JOANNIS MUYS
MEDICINÆ AC CHIRURGIÆ DOCTORIS

PRAXIS MEDICO-CHIRURGICA RATIONALIS,
SEU

OBSERVATIONES MEDICO-CHIRURGICÆ
DECADES XII.

Nec non ejusdem Auctoris

PODALIRIUS REDIVIVUS,
SIVE

DIALOGUS INTER PODALIRIUM, ET PHILIATRUM,
In quo quamplurima Medico-Chirurgica illustrantur, ac esaminantur.

Itemque accesserunt

ABRAHAMI CYPRIANI,
JOANNIS DAVIDIS PORTZII,
ET YVONIS GAUKES

PHILOSOPHIÆ, MEDICINÆ, ET CHIRURGIÆ DOCTORUM
Nonnulla perceleberrima, uti versâ aliquâ paginâ exarata habentur.

Editio tandem novissima, unà cum Indicibus suis, & Mendis, innumeris, quæ irrepserunt in priori, sedulò expurgata.

NEAPOLI,
Ex Typographia Felicis Mosca MDCCXXVII.
EXPENSIS BERNARDINI GESSARI.

Superioribus haud minime annuentibus.

CLARISSIMO,

ATQUE EXCELLENTISS. VIRO

ALOYSIO TORTORA

Philosophiæ, & Medicinæ Doctori, Chirurgiæ Professori Celeberrimo

BERNARDINUS GESSARI

FELICITATEM.

QUum primùm ad Clarissimorum Autorum tum Philosophica tum Medica Commentaria Neapolitanis Typis in publicum emittenda animum appuli, id mi-

hi negotii datum præcipuè credidi ; ut non tam Studioſorum commoditati , & utilitati conſulerem ; quàm ut illa Eruditorum inter noſtrates Virorum autoritate , & patrocinio munirem : utrumque verò quamvis non adeò facile , pro voto eveniſſe , vel ex candidorum Lectorum adprobatione & plauſu , eſt procul dubio mihi perſuaſum . Celeberrimi autem MUYS Opuſcula , Aliaque ejuſdem farinæ , edituro mihi , materiæ in iis pertractatæ ſublimitas , atque ad rem Chirurgicam faciendam neceſſitas , ſtimulos ſanè fecit ; verùm ut Patronum omni ex parte illis reſpondentem ſeligerem , nullum me tenuit dubium , nulla mentis hæſitantia . Primum enim Te , Vir Clariſſime , atque Ultimum vidi , Cui negotium omninò convenire , atque accommodari jure poſſet . Ecquì enim aptiùs famigeratiſſimi Batavi Chirurgi Opera , quàm Celeberrimo Neapolitano Chirurgo dicarentur ? Aluntur ſanè Lectorum mentes elaboratiſſimis Tranſalpini Autoris Commentariis , ſed obſtupeſcunt veriùs, qui expeditam Tuam Ægros tractandi Methodum , fortunatiſſimaſque dexterrimarum Manuum , tum in vivis ad Chirurgiam , tum in vitâ functis ad Anatomen promoven-

vendam ; Operationes vel præſentes vident ; vel per univerſam Europam, quouſque Tua Fama pervolitat, exaudiunt. Clariſſima hujus rei teſtimonia reddere ſanè poſſunt ex quibuſcumque Hominum Ordinibus, ſive ex Noſtratibus, ſive Exteris huc difficillimorum morborum cauſsâ confluentibus innumeri ; Sed omni exceptione majores Teſtes advoco, tria hujus Urbis frequentiſſima Noſocomia, in quibus indefeſsâ aſſiduitate, ferventique amore, nunc inermem, nunc armatam, nunc lenem, nunc efficaciſſimam Chirurgiam, pro neceſſitatis modo, exerces, miſerrimumque Hominum genus, calamitate, & morbo oppreſſum, ſublevas, ac refocillas. Hæc quidem (ut ſuaviſſimum, & incontaminatiſſimum Morum candorem, Tuæ Modeſtiæ parcens, prætercam) ſufficientiſſima ſunt argumenta, quibus motus Te, Vir Clariſſime, Libri hujus Patronum jure invocare debuiſſem. Verùm ſi mente cogitem, meam ſalutem, imò & vitam (poſt Divinum Præſidium, à quo omne bonum) me Tuis debere Manibus, ad idem faciendum, juſtitiæ quoque legibus, & ne ingrati animi notam incurram, me omninò devinctum, & prorſus coactum agnoſco. Munuſculum

igitur

igitur hoc qualecumque, & quòd Te veluti ſponte petat, & quòd à me Tibi omni ex ratione debeatur, ut grato excipias animo, vehementer & omni ſtudio rogo; Vale Patriæ Decus & Ornamentum.

Neapoli Kalendis Januarii MDCCXXVII.

Reimprimatur; Neapoli 7. Mensis Augusti 1726.

D. ANTONIUS CANON. CASTELLI
VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

Reimprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica Neapoli die 14. Mensis Augusti 1726.

ARGENTO REGENS, ET PRÆS.

Pescarinus.

SEQUUNTUR, QUÆ NOTANTUR,

MUYS OPERA:

NEMPE,

ABRAHAMI CYPRIANI

Philosophiæ ac Medicinæ Doctoris, Anatomiæ, & Chirurgiæ in Academia Franequerana nuper Professoris

EPISTOLA

Historiam exhibens Fœtus humani post XXI. *menses ex uteri tuba, matre salvâ, ac superstite excisi. Pagina* 185.

ITEM

JOANNIS DAVIDIS PORTZII

Philosophiæ, & Medicinæ Doctoris, Principis Nassovii Gubernatoris Frisiæ hereditarii Archiatri

DEMONSTRATIO BREVIS MEDICO-CHIRURGICA

DE

ΠΑΙΔΑΡΘΡΟΚΑΚΙ,

VEL TUMORE

SPINA VENTOSA

Dicto ex acido, *&* alcali *tanquam principiis novis eruta, causis ex illis inventis, ut & modo agendi deprompta, & experientiâ multiplici anatomicâ comprobata. Pagina* 213.

TANDEM

YVONIS GAUKES

Philosophiæ, ac Medicinæ Doctoris

PRAXIS MEDICO-CHIRURGICA RATIONALIS,

Seu Observationes Medico-Chirurgicæ Ratiociniis Philosophicis illustratæ, atque continentes Affectus è fæcibus alvinis, pituitâ intestinali, ac sanguine male constitutis oriundos. Pagina 219.

PRAXIS MEDICO-CHIRURGICA RATIONALIS.

OBSERVATIO I.

De Ophthalmia a fungo inducta.

ANno 1680. die primo Augusti Puer duodecim annorum, corpore sanus, inter ludendum, fumum ex orbiculari, vel crepitu lupi (qui belgico idiomate dicitur *een boeduft*) ab alio puero emissum oculis suis excepit, unde spatio duarum horarum vix elapso palpebræ adeo intumescebant, ut oculos aperire nequirent; oculi toti rubebant non aliter, ac si panno rubicundo fuissent cooperti, & talis quoque apparebat interior palpebrarum superficies, ac dolor intensus aderat. Patiens per biduum remedia neglexit, ac interea prædicta symptomata increscebant, & præterea continuus erat lachrymarum acrium effluxus.

Res miranda sane, quam nusquam me legisse memini; sed quo pacto fumus ille horrenda adeo phænomena potuit excitare? Orbicularis scilicet exiguo tantum foramine perforatus a manu pueri undique comprimebatur extrinsecus, atque ita particulas volatiliores & minus cohærentes intus foras urgebat, quæ omnes simul exire non valentes, aliæ alias propellebant, atque ita multo celerius agebantur; non aliter ac videmus aquam ex syringe celerrime prosilire, quando pistillum non nisi leviter ac tarde tantum adigitur, aut sicut cernimus, latera follis molliter tantum comprimi, dum aër interea ex tubo illius non sine impetu propellitur.

Sed si forsan aliquis hic interroget, qualesnam sint illæ particulæ, illi respondeo, ipsas esse acido-corrosivas ac utrinque acriter scindentes, nam tales particulas acidas orbiculari inesse; colligere licet ex illius usu in sistendo sanguine, quandoquidem, cum frustum orbicularis imponitur vasi sanguifero vulnerato, sanguis sistitur partim ob particulas ramosas, ac sibi invicem implicitas, vas apertum obturantes, partim ob particulas acidas orbicularis, quæ sanguinem coagulant, haud secus ac lac coagulatur ab acido infuso.

Hæ igitur particulæ acidæ magna vi ex orbiculari expressæ profunde penetrarunt in poros oculorum & superficiei interioris palpebrarum, & sic lateribus suis scindentibus vehementiori motu agitabant fibrillas nervorum ibidem dispersorum, unde doloris sentiendi occasio menti dabatur, cui dolori etiam suum contribuebat distensio, quæ oriebatur ex eo, quod vapores soliti per poros a particulis orbicularis obstructos exire non possent, ac proin-

de intra tubulos membranarum colligebantur sub forma humoris, qui brevi temporis spatio acescebat a particulis acidis orbicularis tanquam a fermento, sicut videmus fermentum acidum in parva quantitate sumptum totam massam farinaceam in suam naturam vertere.

Hæ igitur particulæ acidæ utræque laterum suorum acle validius impellentes fibrillas nervorum ciebant in illas partes copiosiorem solito spirituum animalium influxum, unde fiebant ibidem leves quædam contractiones, quæ tamen sufficiebant, ut impedirent aliquatenus circulationem sanguinis, & humorum per tubulos illarum partium circulantium, nam adjuvabantur in hoc negotio a vaporibus intra tubulos illarum partium in aquam conversis.

Sanguis in vasis capillaribus contentus, & humores in tubulis, dum ita stagnabant, etiam acescebant modo prædicto & coagulabantur, unde adhuc magis inepti reddebantur ad circulandum, atque hinc jam satis manifestum evadit, unde ortum traxerit rubor oculorum & palpebrarum, harumque intumescentia.

Sed unde continuus ille lachrymarum acrium effluxus? res ex prædictis facile deducitur; scilicet particulæ quædam acidæ orbicularis intrarunt poros glandularum & vasorum lachrymalium, ibidemque leves quasdam convulsiones irritatione sua excitando, lachrymas continuo expellebant; sed unde solito acriores sentiebantur? nullus fere mortalium est, qui, ipso gustu indice, nesciat lachrymas esse salsas, quapropter illæ in transitu effervescentiam quandam subitaneam inibant cum particulis acidis ibi hærentibus.

His attento animo paulisper pensitatis mirari desino, quod fumus ille tantorum malorum causa extiterit, simulque jam non difficilis videtur medela.

Scio namque, quod lac fervens, ab acido coagulatum, iterum solvatur intra horæ spatium, si digeratur cum sale aliquo idoneo; scio etiam quod acetum dulcescat ab injectis oculis cancri, ut & à lithargyrio infuso, novi etiam effervescentiam, quæ concitatur ex concursu olei tartari salsi cum oleo acido vitrioli.

Atque ex his concludo, sanguinem ab acido coagulatum iterum fluidum reddi & acidum temperari posse ab oculis cancrorum, lithargyrio & multis aliis medicamentis multum salis continentibus, qualem exhibet vitriolum album, gummi ammoniacum, sagapenum, galbanum, &c.

Ego igitur tertio læsionis die ad puerum vocatus instillavi calide in oculos guttas aliquot alicujus collyrii, quod ex vitriolo albo, aliisque cum aquis convenientibus mixtis componitur, & super oculum applicui emplastrum ex gummi ammoniaco, galbano, sagapeno, lithargyrio, &c. conflatum & super linteum extensum. Hæc ego quotidie bis iteravi, & puerum in loco tenebroso retineri jussi, atque ita æger intra duas septimanas pristinam sanitatem in totum recuperavit.

OBSERVATIO II.

De usu Fonticuli, ejusque operandi ratione.

Puella tredecim annorum jam per multos annos laboraverat dolore & rubore oculorum, ac palpebrarum tumore, earumque post somnum absolutum

lutum coalitu ab humore viscido in materiam resinæ non absimilem concreto; hæcque ophtalmia jam per longum temporis intervallum a duobus Chirurgis impugnata fuerat, expugnata minime.

Ego tandem accersitus judicavi morbi causam esse sanguinem nimis acidum, ac fermentum ejusdem naturæ a sanguine illo productum & poris oculorum ac palpebrarum firmiter inhærens, ibidemque efficiens, ut sanguis in vasis capillaribus & humores in tubulis magis acescerent, coagularentur, & stagnarent; nam ex his paucis prædicta phœnomena non difficile est deducere.

Ego porro mihi firmiter persuasi puellam brevi sanari posse, si modo fermentum illud acidum temperari ac ex poris oculorum ac palpebrarum posset expelli, sanguisque ille acidus ex corpore deturbari; quapropter usus sum collyrio, quod constabat ex medicamentis multum salis continentibus, ac præterea emplastrum ex similibus paratum super oculos applicabam.

His autem parum profeci, nam simul ac portio quædam fermenti illius temperabatur ac eluebatur, mox iterum ex sanguine novum adducebatur in locum abeuntis, qua de causa ægrotulam singulis septimanis bis purgavi per alvum, sed frustra; tandemque effatum Clarissimi Sylvii inveni verissimum, quod habetur Praxeos libro primo, capite secundo, titulo XXVI. nempe quod vix dentur purgantia per alvum, saltem nobis nota, quæ acidos humores ex sanguine educunt.

His ita constitutis tempus erat, ut animum ad meliora media invenienda applicarem, & dum in hoc occupatus eram, opportune veniebat mihi in mentem sequens experimentum.

Nimirum si habeas compositum ex aqua & oleo inter se mixtis, & si unum ab altero separare coneris, tunc chartam prius oleo inungere oportet, si velis, ut oleum per chartam transcoletur, remanente supra chartam aqua; sin animus tibi sit, ut aqua transcoletur, oleo remanente, tunc charta prius aquâ madefieri debet.

Sed quæ causa hujus phænomeni? pori scilicet in oleo aliter figurati sunt, quàm in aqua, ac proinde materia subtilissima mundi, quæ fluit per particulas ramosas olei, multum differt ab illa, quæ trajicit per lubricas & teretes aquæ particulas; imaginare tibi jam aquam appellentem ad chartam oleo imbutam, & facile cognosces illam debere repelli a materia subtilissima egrediente ex oleo in poris chartæ contento, & non valente ingredi per poros aquæ aliter dispositos, ut & a materia subtilissima ex aqua exeunte, nec potente intrare poros olei in charta hærentis; sed si oleum properet ad chartam oleo prius saturatam, tunc materia subtilissima utrinque similis est, & quæ ab hac parte egreditur, ingreditur per illam, & vice versa, & sic oleum appropinquat ad chartam oleo inunctam, ac per eam transcolatur, & si forsan particulæ quædam aqueæ interjectæ huic negotio aliquatenus obstarent, illæ removerentur ad latera & repellerentur.

Hoc experimentum, ejusque rationem sæpius volvens ac revolvens in animo meo, tandem in ægrotulæ brachio fecui vulnusculum, quod vulgo *Fonticulum* dicunt, illudque per pisum injectum & quotidie renovatum apertum servavi; & sic multi humores aliàs libere per tubulos brachii circulantes, ob interruptos a vulnere tubulos in fonticulo coacervabantur, mutabantur in pus, & mora sua acescebant, ac instar fermenti acidi inficiebant poros tubulorum fonticulo vicinorum.

Si jam particulæ quædam amaræ, dulces, aliæque sanguinis conarentur intrare tubulos, quorum pori repleti erant acido illo fermento, illæ

A 2 repel-

repellebantur a materia ſubtiliſſima utrobique diſſimili, non aliter ac modo explicuimus in citato experimento, ubi vero particulæ acidæ ex ſanguine advehebantur, illæ appropinquabant ſine repulſa & intrabant tubulos Fonticulo vicinos, acidoque fermento infectos, & ſi quæ particulæ alterius naturæ interjectæ erant, illæ repellebantur a materia ſubtiliſſima eadem, quæ efficiebat ſua ſimilitudine, ut particulæ acidæ tubulos acido imbutos intrarent, haud ſecus, quàm magnes ad magnetem accedere cernitur ob particulas ſtriatas, quæ ex uno magnete exeuntes, alterum ſine offenſa ingrediuntur, & ſic aërem omnem intermedium excludunt.

Atque hoc pacto feliciter conſecutus ſum, quod purgationibus per alvum antea fruſtra tentaram; nam ſanguis quotidie a magna acidi portione per Fonticulum expurgabatur, idque eo melius ſuccedebat, quoniam interea temporis, per exterius impoſita acidum fermentum temperabatur, & ex poris oculorum & palpebrarum eluebatur, & pori nimis ampliati & diſtorti per blanda aſtringentia ad naturalem ſtatum reducebantur; at hoc ultimum negotium executus ſum cataplaſmate parato ex ſola argentina in aqua coacta ad mollitiem; nam argentina continet in ſe multum ſalis volatilis, quod prius avolans ex cataplaſmate, fermentum acidum temperabat, ac ex poris eluebat, particulæ vero craſſiores & aſtringentes, quas præter ſal volatile poſſidet argentina, ultimo egrediebantur, & poros oculorum & palpebrarum blande aſtringebant, eodem fere modo, quo videmus cinnamomum & nucem myriſticam in diarrhæa ſale ſuo volatili & aromatico prius temperare & eluere ex poris inteſtinorum acidum & irritans fermentum, & poſt particulis craſſioribus aſtringere blanda vi poros inteſtinorum & vaſorum.

Atque ita hæc ægrotula, vix uno menſe a vulnere inflicto elapſo, incolumis evaſit & permanſit, ac eadem ratione plures poſt hanc puellam pro voto ſanavi.

OBSERVATIO III.

De Gangræna.

ANno 1680. die 7. Septembris Fœmina ſexaginta annorum in dorſo, mammilla, & brachio ſiniſtro multis veſiculis ſumme dolentibus & aquam limpidam continentibus ſubito correpta fuit, ac interea bene comedebat, nec intrinſecus ullum ſentiebat incommodum, quamobrem per biduum remedia neglexit, quo tempore ego acceſſitus veſiculas aperui, & cutim ac carnem ſubjectam inveni nigram & gangræna affectam.

Scilicet fermentum ſumme acidum & corroſivum deliteſcebat immotum & quidem valde profunde in poris iſtarum partium, & quamdiu ita jacebat immotum, non poterat inferre dolorem, nam dolor fit a motu ſolito vehementiore fibrillarum nervorum; corpus autem immotum aliud movere minime poteſt.

Sed quam primum fermentum illud acido corroſivum ex poris ſuis expellebatur ab humoribus ex poris arteriarum egreſſis & per tubulos partium circulantibus, ſtatim dolor ingens exortus eſt, ac mox coagulabantur humores circulantes & a fermento illo in acidum corroſivum mutabantur.

Jam humorum iſtorum coagulatorum particulæ magis lubricæ, flexiles & minores ab humoribus a tergo inſequentibus propellebantur uſque ad ſummam cuticulam, quam, quia ob poros ab aëre frigido conſtrictos penetrare

nequi-

nequibant, elevabant in altum & in formam veficularum; particulæ autem craffiores, ponderofiores & magis acidæ remanebant in fundo, & fibrillas iftarum partium difrumpebant, ita ut humores circulantes amplius intrare nequirent, atque hinc gangræna iftarum partium exorta fuit.

Cum mihi jam manifeftum effet, acidum corrofivum hoc in cafu peccare, haud difficulter colligere potui, quænam adhibenda forent remedia; fcilicet illa, quæ noveram temperare acidum; & quia fciebam fpiritum nitri & falis acidum a fpiritu vini dulcefcere, ideo lavamentum confeci ex fpiritu vini, cui addidi lithargyrium, oculos cancrorum, fpiritum cochleariæ, cretam, aliaque acido refiftentia, illudque lavamentum fæpius de die applicui cum linteo quadruplici, ac interea patiens fingulis duabus horis affumebat duo cochlearia ex fequenti mixtura acidum temperante, ut pars illius per arterias ad partes affectas veniens, externis remediis opem ferret:

℞. *Aq. Melifs.* ℥iij. *& Theriacal. Vitæ Matth. ā.* ℥j. *Sacch. perlat.* ʒiij. *Corall. alb. ppr.* ʒj. *Oculor. Cancr. ppr.* ʒjß. *Bezoard. miner.* ℈jß. *Spirit. Corn. Cerv. gutt.* xx. *Sal. volat. oleof. gutt.* xxv. *F. Mix.*

Lavamento prædicto per unum diem adhibito cum nondum multum proficerem, partes affectas fcarificavi, eafque lavi unguento Ægyptiaco mixto cum fpiritu vini, nec formidabam damnum ex aceto, quod ingreditur Ægyptiacum, quia illud omne in coctione avolat, dum unguentum illud conficitur; præterea partium affectarum margines inunxi oleo de lateribus feu philofophorum, tandemque impofui cataplafma ex ruta, abfinthio, dictamno cretico, radice galangæ, calami aromatici, farina lupinorum, hydromelle, aliifque acidum temperantibus.

Prædictis remediis per paucos dies ufurpatis pus bonum generari cœpit, quod particulis fuis blande *fcindentibus* difrupit reliquas intermedias fibrillas, quæ *carnem vivam* cum mortua adhuc connectebant, & fic partes gangrænâ affectæ feparatæ funt; & tunc applicui therebinthinam communem mixtam cum unguento bafilico & vitello ovi, unde omnes particulæ vifcofæ tollebantur, quæ poros arteriarum & vias tubulorum aliàs obftruere folent, ac fic continuò particulæ quædam ex arteriis egrediebantur, ulceribufque adhærefcebant ob fimilitudinem fuperficierum, atque ita omnia ulcera, quæ valde cava fuerant, brevi carne repleta confpiciebantur, quo tempore lintea carpta ficca appofui, & brevi cicatricem induxi per ea fola, nam omne pus aliàs rodens imbibunt, & ofcula tenerorum vaforum penitus occludunt.

Atque ita noftra ægrota die 21. Octobris priftinæ fanitati in totum reftituta fuit.

OBSERVATIO IV.

De Sphacelo pedis.

SEptuagenarius, Veneri, Bacchoque per totam vitam deditus, ac per intervalla frequentia fpafmo dextri cruris correptus, anno 1681. die 22. Februarii in febriculam non adeo vehementem prolapfus eft; die 26. Februarii appetitus prius proftratus redire videbatur, quare æger eo die bis magnam copiam coaguli lactis ebutyrati valde acidi comedit, & eodem die circa nonam vefpertinam conqueri cœpit de ingenti dolore pedis dextri, ac brevi poft de ejufdem ftupore ac algore; idemque dolor, ftupor, & algor

intra

intra duas horas ascendit usque supra genu. Die 28. Februarii ego accersitus sum, ac scarificans animadverti sphacelum totam manus palmam supra genu ascendisse, nam eo usque frigus summum ac pallor aderat, & in scarificatione nullum doloris signum apparebat, sanguisque nullus effluebat, excepto pauculo sanguinis valde nigri ac coagulati in una aut altera parte prorepentis.

Hæc omnia attento animo contemplans, judicavi Veneris, Bacchique abusum sanguinem hujus viri, ejusdem subtiliori ac volatiliori portione sublata, nimis viscosum ac acidum reddidisse; & cum particulæ quædam acidæ ac viscosæ hujus sanguinis per circulationem ad pedem dextrum pervenirent, illas ibi forsan substitisse, ac pertinaciter postea hæsisse, suâque morâ majorem acorem ibidem acquisivisse.

Hæ autem particulæ nihil mali effecerunt, quamdiu immotæ permanebant, sed ubi per intervalla ex latibulis suis propellebantur ab humoribus circulantibus, ac ubi ab iisdem in motum ciebantur, tunc spasmi dextri cruris causa extiterunt irritando & scindendo fibrillas illarum partium, ac ita occasionem præbendo majori spirituum animalium affluxui.

Continuatus autem Veneris, Bacchique excessus in hujus viri sanguine fere nihil reliquit præter caput mortuum, ut ita loquar, hoc est, nihil præter sanguinem valde viscosum ac acidum, qui rite in corde effervescere, ac per partes circulare non potuit amplius; hic autem sanguis, ubi a febricula illa majorem motum accipiebat, ac magis solito rarefiebat, poros arteriarum satis aperuit, ut multæ particulæ acidæ ac viscosæ egrederentur ac subsisterent, hocque potius contingebat in pede dextro, quàm alibi, quia illic latebat acidum ac viscosum fermentum, quod acidum ac viscosum in sanguine contentum ad se appropinquare fecit eo modo, quem explicuimus in Observatione secunda; & forsan in causa est magna illa copia coaguli lactis ebutyrati valde acidi assumpta, quod hoc evenit die 27. Februarii potius, quàm aliis diebus.

Particulæ autem illæ acidæ cum viscosis ex poris arteriarum die 27. Februarii egressæ, ac in tubulis pedis dextri subsistentes ac conjunctæ cum acido fermento inibi antea contento, laterum suorum acie fibrillis vehementem valde motum impresserunt, atque ita dolorem illum produxerunt; fibrillæ vero impetum hunc non diu sustinere valentes, brevi post prorsus diffectæ sunt, ac ita sensus doloris, quamvis fieret scarificatio, in totum sublatus fuit, & fibrillæ disruptæ in cincinnos resilientes tubulos pedis dextri ita obstruxerunt, ut spiritibus animalibus, nec non sanguine influxus denegaretur, atque huc etiam fecit coagulatio humorum in pede ab acido producta; hic igitur detexi originem sphaceli pedis dextri; & quod ille acido ortum suum debeat, confirmat sanguis ille niger & coagulatus, qui inter scarificationem effluxit, nam nemo nescit sanguinem nigrescere & coagulari ab acido.

Sphacelus igitur jam transcenderat genu, ac interea paulo supra partem sphacelo correptam dolor aderat intolerabilis.

Ego perpendens mecum ægroti dissolutam vitam anteactam, ipsius senectutem, pedem usque supra genu sphacelo tactum, & totam sanguinis massam tam graviter affectam, & præterea memor, quod nulli senes mortem evaserant, quos noveram hoc morbo unquam correptos esse, audacter astantibus & amicis ægroti mortem indubitatam prædixi, sed tamen interim pollicebar, me dolorem mitigaturum, quantum possem, &, si possibile foret, impediturum, ne malum amplius ascenderet.

Primò

Primò igitur patientem singulis duabus horis assumere jussi cochlearia duo mixturæ acidum temperantis, & constantis ex aqua borraginis, buglossæ, theriacali, saccharo perlato, oculis cancrorum, coralio, bezoardico minerali, aliisque acidum infringentibus & viscosum attenuantibus.

Præterea decoctum ex aqua, vino, radicibus calami aromatici, enulæ campanæ, ex ruta, dictamno cretico, absinthio, farina lupinorum, &c. constans cum duplici linteo calide applicui, unde mox doloris levamen, quia acidum laterum suorum acie dolorem inducens, inde temperabatur, quamobrem linteum, quàm primum exsiccabatur, eodem liquore de novo imbuimus, idque per aliquot dies continuavimus.

Ubi jam dies septimus Martii aderat, vidi lanuginem illam, quæ mucoris nomine vulgo venire solet, dispersam per totam cruris internam partem à talo usque ad genu, & quod si bonæ notæ microscopium tum temporis ad manus fuisset, multas plantas cum stipitibus, foliis, floribusque concinno ordine dispositas illic detegere potuissem ex crure hominis adhuc viventis propullulantes, non aliter quàm fungus è terra provenire solet.

Æger interea nihil comedebat, ac febri singulis diebus sæpius veniente & evanescente corripiebatur, tandemque die 14. Martii horâ quartâ matutinâ placide obdormivit, pulsu ante mortem sæpe intermittente, qui quoque ab acido non difficulter deduci potest.

Massam autem sanguineam totam infectam fuisse, atque ea propter extirpationem hic minime convenisse, vel hinc liquere potest, quod tribus diebus, antequam æger moreretur, pes sinister a pollice usque ad talum etiam sphacelo correptus esset, & quod utraque manus duobus diebus ante obitum per viginti quatuor horas glaciei instar algeret, licet, febri postea valide invalescente, iterum incalesceret.

Quod vero remedia huic malo convenientia applicuerim, hinc liquido constare puto, *quod sphacelus*, qui prius, neglecto bono consilio, viginti quatuor horarum spatio a pollice pedis progressus est usque supra genu, quod ille, inquam, sphacelus post apposita mea remedia per duarum septimanarum intervallum non ascenderit altiùs quàm unius palmæ latitudinem.

OBSERVATIO V.

De Erysipelate cruris.

Vir quadraginta annorum cœpit ægrotare febre, horâ duodecimâ post invasionem evanescente, quo tempore æger conqueri cœpit de dolore & rubore cruris dextri.

Nimirum in parte aliqua solida hujus viri extra vasa delitescebat fermentum aliquod acidum, quod hac aut illa de causa inde eluebatur & abripiebatur ad sanguinis massam, in qua inimicam illam fermentationem excitavit, quæ febris nomine innotescit.

Dum autem fermentum illud acidum cum sanguine circulabatur, forte particulæ quædam illius stagnabant & hærebant in cute cruris dextri, quæ brevi omnes alias istius acidi fermenti particulas ad se ex sanguine appropinquare coëgerunt, eo fere modo, quo magnes magnetem ad se accedere facit.

Particulæ illæ ibi hærentes ac fibrillas satis acriter scindentes dolorem in crure produxerunt; rubor autem ortum debebat sanguini in vasis capillaribus stagnanti ob incipientem coagulationem ab acido provenientem sicut

rubor

ruborem satis intensum in facie animadvertimus, ubi collum & venæ illic contentæ a collari aut alia quapiam re nimis constringuntur.

Huic affectui erysipelatis nomen imponere possumus, sed unde febris mox abiit; quando erysipelas apparebat, quia tum temporis massa sanguinea liberata fuit ab acido illo fermento, quod tunc demigravit in crus.

Morbum hunc intra biduum in totum sanavi unico lavamento acidum temperante & constante ex spiritu vini, Camphora, Lithargyrio, creta, sale Prunellæ, &c. quandoquidem firmiter persuasus eram phænomena hæc ex acido suam trahere originem.

OBSERVATIO VI.

De Ulceribus cruris varicosis.

VIrgo quadraginta annorum, jam per longam annorum seriem malæ diætæ dedita, ac inter cætera noxia viscosis, aceto, aliisque acidis nimium delectata, pedesque æstivo tempore in aquam frigidam sæpius immergens, nunc per quindecim annos laboravit varice tibiæ sinistræ ab imo pede ad genu usque pertingente, ac ulceribus duobus circa malleolum internum ejusdem tibiæ profundis, sordidis, valde dolorificis, ac materia quadam acri ac tenui fere semper ad summum usque impletis, & circum circa erysipelas pro comite sæpius habentibus. Horum ulcerum medelæ plures Medici ac Chirurgi per longum tempus frustra incubuere, imo etiam celeberrimus ille practicus Feii, dominus Cranenburgi.

Scilicet ab acidi & viscosi nimia quantitate assumpta sanguis hujus virginis redditus fuit crassus & aptus stagnare, quare portio quædam illius delata ad tibiam sinistram substitit & moram aliquam traxit circa valvulas alicujus venæ, cujus membranæ a majori sanguinis copiâ ibidem congestâ ita distendebantur, ut humores ex arteriolis inter membranas illius venæ dispersis egressi (nam inter membranas venarum arteriolas, venulas nervulosque per microscopium detegere potes, & absque dubio adsunt etiam vascula lymphatica) & per membranarum tubulos errantes, libere transire nequiverint, sed stagnaverint illic, seseque posuerint inter interstitia fibrillarum tantâ copiâ, ut interstitia illa ampliarentur non tantùm, sed ut præterea etiam aditus intercluderetur spiritibus animalibus ex nervulis in tubulos illos prolabentibus, ac venam alias aliquatenus constringentibus, inque illa motum quendam peristalticum producentibus ad sanguinis circulationem in vena promovendam, atque ita sanguis in vena illa aliquatenus stagnans membranas illius supra modum distendens varicis citati causa extitit.

Sed cur varix ille potius in tibia, quàm alibi se conspiciendum præbuit? quia scilicet sanguis venosus ibi ascendere debet per viam horizonti perpendicularem, & præterea hæc via aliquatenus occluditur a ligaculis illis, quibus crura constringere solemus ad retinendas caligas; sic in virgine hac suum etiam huc contulit immersio pedum in aquam frigidam non raro instituta.

Sanguis igitur majori, quàm par est, copia congestus in hac vena, partes quasdam ipsius venæ membranarum minus resistentes distendit magis quàm alias crassiores, & sic recessus quosdam seu sinus sibi formavit, ac præcipue quidem circa valvulas, in quibus sanguis, naturâ suâ jam acidiusculus, majorem adhuc acorem sibi contraxit, quia ibi diutius absque circulatione commorabatur.

San-

Sanguinis autem hujus particulæ multæ acidiores in carnem vicinam transfudarunt per partes varicis magis distentas, ac per consequens, rariores, hoc est, per sinus illos, & sic fibrillis ibi irritatis, & postea discissis, dolor excitatus est, ac postea duo ulcera dolorifica, quæ deinde, pluribus fibrillis disruptis, reddebantur profunda.

Particulæ illæ acidæ pertinaciter hærentes in poris labiorum ac fundi ulcerum humores sinceros adhuc alluentes convertebant in acidos, qui ob tubulos ab ulceribus interruptos circulationem continuare non valentes, ab humoribus a tergo continuo insequentibus propellebantur foras in cavitatem ulcerum, quam ad summum usque fere semper adimplebant humore acri, acido ac tenui, sed ita tamen tenui, ut interim admixtæ essent particulæ quædam viscosiores ac magis ramosæ, quæ, ramulis suis sibi mutuo implexæ, ac hærentes in superficie ulcerum, illa sordida reddebant.

Huc usque explicuimus, quomodo particulæ quædam acidæ per sinus varicis transudaverint in carnem vicinam; nunc tempus est, ut animadvertas, particulas acidas multo plures ex sinubus illis abreptas esse in massam sanguineam, cum qua circulantes magna sui portione ingressæ sunt ulcera, magis, quàm alias partes, ob acidum fermentum illic delitescens, eo modo, quem explicuimus in Observatione secunda, & sic adaucta fuit copia humoris acidi ulcera implentis & ex illis promanantis.

Erysipelas, quod ut plurimum circumvallabat ulcera, ab acido ibidem hærente itidem suam trahebat originem.

Hæc omnia dum aliquantisper mecum volutabam, tandem me converti ad varicem, ut ad primam mali originem, quæ causa procatarctica vel primitiva dici posset, si terminis artis inutilibus uti alicui volupe foret; ac è varice lancettâ aperto eduxi uncias aliquot sanguinis stagnantis, acidi & nigricantis.

Deinde perveni ad massam sanguineam acido fermento imbutam, quæ causæ antecedentis nomine gauderet hoc in casu apud illud subtile nimis eruditorum genus, quod magis de vano verborum apparatu, quàm de rebus sollicitum est; illamque corrigere cœpi per bonam diætam institutam, viscosa, acidaque cuncta prohibentem, atque per pulverem acidum temperantem quotidie assumptum constantem ex scrupulo uno oculorum cancrorum, ac eadem quantitate coralli albi.

Denique ad ulcera ipsa accessi, in quorum fundo, labiisque delitescebat acidum fermentum, quod, si quibusdam forte placeret, causæ conjunctæ nomine posset appeliari.

Præcipuum, quod mihi jam restabat agendum, erat, ut fermentum illud temperarem ac tollerem, atque ut labia ulcerum ad fundum usque sensim & sine sensu deprimerem, nam ex hoc ultimo negotio triplicem mihi pollicebar utilitatem.

Primò sciebam, quod sublatâ hoc modò ulcerum cavitate, nihil in illis posset colligi humoris illius acidi ac aliqua saltem ex parte viscosi, qui particularum viscosarum ac ramosarum ratione ulcera antea sordida reddebat, atque acidarum ac scindentium particularum respectu illa quotidie magis magisque excavabat, quandoquidem in ulcerum cavitate continuò magna copia congerebatur prius, sed quod ille humor, si ad ulcera adhuc veniret, statim post adventum suum deberet foras propelli, hoc est, ad latera ulcerum a corpore duro labiis ulcerum deprimendis validius appresso.

Secundò certus eram hoc pacto circulationem sanguinis ac humorum iri restitutum, in quo magna pars curationis ulcerum sita est; nam labiis ulcerum

 non

non prominentibus, ut ante, supra fundi superficiem, effici posse videbam; ut humores per tubulos in labiis ulcerum contentos circulantes, qui prius ob tubulos ab ulceribus interruptos in ulcerum cavitatem defluebant, jam viam sibi quærerent per tubulos in fundo ulcerum repertos, atque ita prorsus novam circulationem iterum inirent, quæ non impediretur ab aëre ambiente, uti prius, quia ille satis arceretur ab eodem corpore, quod ulcerum labia deprimeret, quoniam illud satis crassum, solidum, durumque reddere mihi proposueram.

Tertiò sæpius in ulcerum vulnerumque curatione observaveram, cicatricem generandam nunquam initium capere a centro, aut alia parte vicina ulcerum, vulnerumve, sed semper incipere ab extremitate cutis ambientis ob similitudinem superficierum, quæ inter cutim ac cicatricem reperitur; atque hinc firmiter persuasus eram, ulcera ab acido fermento sordibusque liberata prius, planaque reddita modo prædicto, ac circulatione restitutâ gaudentia, brevi temporis spatio contecta fore cicatrice.

Congessi igitur nonnulla idonea medicamenta acidum temperantia contra fermentum peccans in ulceribus delitescens, atque, ut unâ fideliâ duos dealbarem parietes, formavi ex illis placentulam satis duram crassamque ac ulceribus paulo majorem, sic ut tegeret etiam portionem parvam labiorum, eamque ulceribus imposui, ac per strictam satis ligaturam validius appressi, & reliqui per horas duodecim, post quas transactas vidi, quod spes, quam inde conceperam, me non fefellisset, nam ulcera reperi plana prorsus, a sordibus omnibus liberata, ac jucundo rubore conspicua, parumque aut nihil fere dolentia, unde propemodum raptus in admirationem: collegi acidum in ulceribus fermentum jam magna ex parte esse temperatum, ac brevi totum temperatum iri.

Post paucos dies, circulatione restituta, particulæ bonæ notæ per tubulos cutis ambientis euntes, illius extremitati adhæserunt firmiter ob similes cum cute superficies, atque ita nobis in conspectum venit rudimentum quoddam cicatricis, quæ intra quinque septimanas ulcus utrumque plane occlusit, quandoquidem quotidie magis magisque accrescebat.

Tandem singulis annis semel aperui varicem citatum, ex eoque eduxi libram unam sanguinis, atque ita effeci, ut ulcera illa postea nunquam iterum disrupta sint.

Erysipelati, quod ferme oblitus eram, interea, dum medebar ulceribus, imponebam linteum quadruplex imbutum mixturâ conflata ex aqua florum sambuci, spiritu vini, camphora & saccharo Saturni ad acidum peccans temperandum, quo temperato omnia erysipelatis symptomata cessarunt, ac inter cætera etiam ardor inductus prius a particulis acidis, dum laterum suorum acie fibrillas citius solito commovebant.

Sed unde contigit, ut ulcera hæc longo temporis intervallo sanari non potuerint a tot Medicis ac Chirurgis, etiam provectæ satis ætatis viris, quique ideo, solidum aliorum ratiocinium spernentes, nil nisi experientiam suam semper crepabant?

Experientia sine vera ratione parum potest; nam sicut inter mille facies humanas nulla reperitur alteri per omnia similis, sic inter totidem morbos nullus est, qui cum alio in omnibus prorsus conveniat; & præterea valde credibile est, sanguinem & partes internas unius hominis non minus differre a sanguine & partibus internis alterius hominis, quàm externas, unde iterum exsurgit varium hominum temperamentum, cujus varietas varia remedia postulat, ac præterea præter experientiam etiam sanum

sanum Medici judicium, quod alia pro hoc, alia pro illo remedia novit eligere.

Ad hæc, ut dicamus, quod res est, Medici illi ac Chirurgi secundum vanam ac inutilem quandam theoriam ac philosophiam conceptus suos dirigentes, nec causam varicis nec illius effectus, neque etiam ejusdem remedium invenire potuerunt.

Deinde illi omnes fere morbos deducebant ex quatuor suis humoribus, cum tamen interim nescirent, quid foret unusquisque & quibus particulis constaret, ut bilis, pituita, sanguis, melancholia; atque hinc factum est, ut vera remedia eligere illis esset impossibile. Multò prudentius egissent, si respexissent potius ad varias sanguinis particulas, quæ figura, magnitudine ac motibus suis a se invicem differunt, & præcipue, si attendissent ad acidum & sal, ut liceret ipsis expiscari, utrum horum in sanguine teneret dominatum, & si foret hoc acidum, purgationes per alvum nunc minime convenire.

Præterea illi conceptus suos nimis confundebant, cum putabant ulcera illa prius per quædam medicamenta debere detergi, deinde per alia incarnari, & tandem cicatricem iterum ab aliis induci debere, nam hanc nimis anxiam distinctionem valde inutilem esse, vel hinc manifestum evadit, quod ego solâ & unicâ meâ placentulâ utrumque ulcus tam brevi sanaverim.

Denique illi inter medendum attendebant ad axioma suum, quod contraria contrariis curentur, ac animadvertentes ardorem in erysipelate ulcera cingente, illum propellere tentabant per frigida, quæ sanguinem & humores sistebant, unde illi acescebant, sicque ardorem erysipelatis non parum adaugebant; sed abutebantur illi suo axiomate, quo si bene uti voluissent, debuissent scire, ardorem esse tantum effectum, & pro causa agnoscere particulas quasdam acidas propter obstructionem circa ulcus hærentes, quæ lateribus suis scindentibus fibrillas nervosas citatiore solitò tremore concutiebant; & tunc *rectius* contraria contrariis curassent, applicantes scilicet talia, quæ acido vellicanti atque viscoso obstruenti resistere pro comperto habebant.

OBSERVATIO VII.

De Vulnere oculi.

ANno 1680. die 21. Novembris me jussit accersi juvenis nobilis, viginti quatuor annorum, vitam agens militarem, qui ante triduum vulneratus erat a grandine plumbeo per sclopetum emisso in ea oculi sinistri parte, quæ est inter iridem & pupillam, ita ut grando in oculum usque penetraverit, & sic humoris aquei non parum mox ex vulnere facto profluxerit. Foramen vulneris obturatum inveni materiâ quâdam fibrosa ac candicante. Iris cum pupillà sauciâ valde livescebat, ac reliquum oculi sauciati intense rubebat, tumebatque, aderat ardor ac lachrymarum acrium profluxus; dolor comitabatur continuus, qui remittebat, ubi æger caput in posteriorem partem deflectebat, & quoties pronus sedebat, invalescebat; visus oculi læsi in totum sublatus erat, præterea oculus dexter, licet intactus mansisset, rubebat ac dolebat. Chirurgus quidam per triduum materiæ isti vulnus obturanti imposuerat acria, ac reliquæ oculi parti frigida.

Forsan alicui mirum videbitur, quod non omnis humor aqueus per vulnus promanaverit, sed mirari desinet, si duas subsequentes rationes attento animo perpenderit.

Primò consideret, quod grando inferiore sui parte fortius appulsus fuerit in oculum, quam parte superiore sui, & sic partem inferiorem membranæ oculi disrupit, superiore membranæ parte manente integra, atque ita pars membranæ disrupta intrò vergens aperturam quandam formabat, per quam portio humoris aquei effluxit, qui tamen in effluxu suo membranam illam prius intro vergentem foras iterum propulit, quæ tunc instar valvulæ foris intrò, non intus foras spectantis aperturam vulneris iterum occlusit, sicque impedivit, ne plus humoris aquei ex oculo profflueret.

Secundo loco consideranda venit materia illa fibrosa ac candicans foramen vulnusculi obturans; sed unde hæc materia suam trahebat originem? Si jam cum vulgo eruditorum ad consuetum ignorantiæ asylum confugere vellem, facillima mihi foret responsio, dicendo tantum, quod natura tam provida fuerit hoc in casu, ut foramen brevi impleverit materiâ idoneâ, non tantum ne humor aqueus effflueret omnis, sed etiam, ne aër ambiens frigidissimus ad partes oculi internas penetraret, iisque noceret; sed tale responsum non minus ridiculum mihi videtur, quàm si mihi, interroganti, cur pelliculâ generetur in pulte fervente ac aëri exposito, alter responderet, naturam pultis adeo providam esse, ut statim pelliculam quandam formet in superficie pultis ferventis, eum scilicet in finem, ne aër frigidus, ad partes internas pultis accedens, iis possit nocere, utque calor in pulte tanto diutius conservetur, & vapores, alias avolantes, ob super impositam membranulam retineantur ac coërceantur intra pultem; cum potius reponere oporteret, multas pultis particulas tenuiores & majorem motus quantitatem nactas, ac figuras habentes ad motum faciles in auras avolare, & inter avolandum abripere secum usque ad superficiem pultis particulas quasdam crassiores, ramosas, ac ad motum minus aptas, quæ motu suo in aërem ambientem translato, quiescunt in superficie pultis, ubi ramulis suis sibi invicem implicitæ concrescunt in cuticulam, quæ pultem contegit.

Sed ad propositum revertentes potiori jure respondebimus hunc in modum: particulæ quædam ex poris arteriarum egressæ & in tubulis membranarum oculi circulantes ferebantur usque ad finem tubulorum a vulnusculo interruptorum, & sic quidem particulæ tenuiores avolabant in auras, sed particulæ quædam magis ramosæ extra tubulos prolapsæ, motu earum sublato ab aëre tunc temporis frigidissimo, sibi invicem per ramulos suos implicabantur, & concrescebant in materiam quandam fibrosam ac candicantem non absimilem illi materiæ, quæ conspicitur plerumque in aqua, in quam sanguis ex vena pedis aut manus secta profluxit.

Grando ille plumbeus oculum intrare non potuit, quin eum valde contunderet, ac vascula sanguifera quædam disrumperet, ex quibus sanguis sub ratione sanguinis emanans stagnabat ac livore inficiebat iridem & pupillam.

Vulnus autem fieri non potuit in oculo, quin fibrillæ multæ disrumperentur, & disruptæ resilirent in cincinnos, atque ita tubulos multos obstruerent, in quibus humores circulantes accumulati premebant vasa sanguifera vicina, sic ut sanguis in vasis stagnaret, unde tumor & rubor in toto ferme oculo.

Sanguis vero in vasculis capillaribus stagnans, præcipue autem ille, qui extra vasa effusus jacebat, brevi acescere cœpit, tuncque particulis suis scindentibus fibrillas vicinas solito citius & vehementius commovebat, unde ardor & dolor exortus est.

Particulæ porro acidæ ejusdem sanguinis stagnantis & coagulati irritatione sua leves quasdam concussiones excitabant in glandulis oculi; unde

con-

contentus in illis liquor, hoc eſt, lachrymæ continuo fere expellebantur, quæ ſolito acriores erant, quandoquidem illæ, utpote ſalſæ, in effluxu ſuo ſubitaneam quandam effervescentiam concitabant cum particulis acidis ſanguinis ſtagnantis in tranſitu hærentibus.

Dolor autem, de quo dixi, non tantum a particulis acidis & ſcindentibus proveniebat; ſed præterea etiam a grandine plumbeo intra oculum nunc huc, nunc illuc iterum volutato, atque hic erat dolor, qui remittebat, ubi æger caput demittebat in tergum, quia grando ille tunc immotus jacebat & quieſcebat ſuper oſſeam oculi orbitam; quando vero æger caput inclinabat in pectus, tunc ſtatim aderat doloris exacerbatio, quoniam tunc grando iterum commovebatur & premebat partem oculi vulneratam.

Maxima pupillæ pars tegebatur materiâ illâ fibroſâ ac candicante, reliqua parte liveſcente interim a ſanguine extravaſato, ſic ut globuli cœleſtes per pupillam intrare nequirent ad fibrillas nervi optici per fundum oculi diſperſas commovendas, atque ita nemini mirum videri debet, quod patiens viſu oculi vulnerati prorſus deſtitueretur.

Sed majori jure forſan mirabitur aliquis, quod oculus dexter, qui a grandine plumbeo nihil mali paſſus erat, interim rubore nec non dolore etiam vexaretur, ſed hanc mirandi cauſam brevi tollere conabor.

Nemo eſt, qui non aliquando expertus eſt in ſemetipſo, quod, uno oculo moto, alter immotus retineri vix poſſit, cujus rei cauſa eſt, quod ſpiritus animales de novo ex cerebro per nervos in muſculos unius oculi determinari vix queant, quin eodem temporis momento ſimul aliqui pergant in muſculos oculi alterius; unde manifeſtum evadit, quod, ubi unus oculus dolet, hoc eſt, ubi in eo adeſt vehementior ſolito fibrillarum agitatio, quod tunc, inquam, major copia ſpirituum animalium ob poros in cerebro magis apertos debeat profluere in oculum *dolentem non tantum*, ſed etiam in oculum ſanum, in quo *hoc pacto producentur* leves quædam contractiones, quæ tubulos & vaſa ſanguifera conſtringent aliquatenus, & ſic ſanguinis & humorum circulatio aliquo modo ſiſtetur, unde illi brevi aceſcent, & particulis ſuis ſcindentibus inferent dolorem, quem comitabitur rubor, proveniens a ſanguine in vaſis capillaribus ſtagnante.

Rebus ita ſtantibus ægro prædixi, quod viſum oculi vulnerati nunquam poſſet recuperare, in quo mox acquievit patiens dicens, ſe gratias æternas mihi acturum, ſi modo viſum alterius oculi conſervare valerem, quod illi mox aſſeveravi.

Progrediens igitur ad vulneris hujus medelam judicavi præcipuum, quod mihi agendum incumbebat, eſſe, ut circulum ſanguinis & humorum impeditum reſtituerem, ac proinde aërem arceri debere & acidum eſſe temperandum.

Primò igitur bis de die guttulas aliquot ſequentis collyrii calide in utrumque oculum inſtillavi ad acidum temperandum:

℞. *Aq. Euphrag. Chelidon. ā. ℥ij. Hyſſop. ℥j. Oculor. cancror. ppr. Corall. ppr. ā. ʒj. Troch. alb. Rhaſ. ℈ijß. Sacch. ſaturn. ℈iß. Tutb. ppr. ℈ij. M. & F. Collyr.*

Tunc ſuperpoſui ſacculos duos coctos in vino Gallico, qui conſtabant ex fœnogræco, hyſſopo, floribus lavendulæ, aliiſque multo ſale volatili gaudentibus, ac poſtea horum ſacculorum loco applicui emplaſtra copiâ ſalis abundantia, quale reperitur in gummi ammoniaco, ſagapeno, &c.

Ac tandem utrumque oculum ita obligavi, ut immotus quieſceret uterque, & quidem in loco calido & tenebricoſo.


Ut

Ut autem admirandi occasionem tollam, quam forsan aliquis caperet ex eo, quod oculum dextrum, qui non erat vulneratus, tam anxie curaverim, rationes, prout opinor, satis validas, quibus ad hoc impulsus fui, addere proposui.

Quod hoc fecerim, non tam respectu oculi dextri, quam sinistri fuit; nam si dexter oculus mansisset apertus, æger eundem sæpe movisset, ac eodem vidisset.

Motus autem ille externus oculi dextri vix contingit, quin simul moveatur sinister oculus, & quantum dolor hinc fuisset exacerbatus in oculo vulnerato, is facile conjiciet, qui aliquando expertus est, quanto cum dolore manus aut pes saucius de loco in locum moveatur.

Ad hæc, si oculus dexter non fuisset occlusus, absque dubio multa objecta hoc aut illo tempore visu attigisset, atque illud fieri non potuit, quin simul motus aliquis de novo produceretur internus, hoc est, in fibrillis nervi optici, a globulis cœlestibus; quod vero ne minima quidem fibrilla nervi optici, in dextro oculo possit moveri, quin eodem tempore moveatur etiam fibrilla ejusdem ordinis in nervo optico oculi sinistri, id liquido constat ex sequenti figura, qua utitur etiam Clarissimus Rohaultius in sua physica nunquam satis laudata, sed fine longe alio, quam ego; ille scilicet hac figura ostendit modum, quo quæ imagines (quarum una in oculo dextro, altera in sinistro depingitur) ubi ad cerebrum pervenerunt, animæ conceptum præbere possint unius tantum imaginis. In hac figura unusquisque oculus tantum delineatas habet quinque fibrillas, ut res eo facilius concipiatur, sed quod hic dicitur de quinque fibrillis, idem de multo pluribus potest intelligi, quod scilicet nulla fibrilla nervi optici dextri commoveri queat, quin statim moveatur fibrilla ejusdem ordinis in nervo optico sinistro, quia scilicet hæ fibrillæ in unum punctum coëunt & terminantur.



Atque ita oculo dextro brevi & sanitas pristina & visus integer rediit, sed sinister oculus sanari non potuit ante mensem Martium anni sequentis, & circa id tempus omnis tumor & rubor abiit, livore jam dudum discusso, grando autem cum hac aut illa parte oculi coaluit, ideoque immotus permansit, & sanguini, humoribusque sua libera restituta fuit circulatio, unde humores per tubulos a vulnere interruptos circulantes continuo particulas quasdam deponebant ad latera vulneris, quæ ob similitudinem superficierum adhærebant & agglutinabantur, sicque efformabant cicatricem, quæ vulnus con-

contegebat & materiam illam fibrosam ac candicantem propellebat, sed quia tam densa fuit, ut globulos cœlestes prohiberet, ne per lineam rectam ipsam possent penetrare, ideo visus oculi vulnerati deperditus permansit.

Sed hic oculus interea quoad molem suam vix differebat ab oculo dextro, quamvis humoris aquei non parum ex vulnère recens facto profluxerat, quia scilicet particulæ teretes & lubricæ quædam per poros arteriarum effluebant in cavitatem illam, in qua humor aqueus continetur, quæ damnum humoris amissi resarciebant.

Inter medendum semper abstinui a frigidis, quia illa tubulos & poros valde angustos oculorum obstruunt, atque hanc ob causam hic etiam rejicio pinguia, utpote quæ ramulis suis tam profundè & pertinaciter se implicant angustissimis oculorum poris, ut illà difficillime possis iterum expellere.

Sed cur vulnus hoc non citius sanari potuit? Hoc partim ob ægroti, partim ob chirurgi delictum contigisse assero.

Patiens & veneri & vino nimis indulgebat, unde sanguis valde commovebatur, cujus tunc portio magis concitata tendebat sursum, utpote per viam magis rectam, atque ita impingebat in obstructiones oculi saucii, quas tamen ob pertinaciam suam perstringere nequibat, atque hoc pacto dolor increscebat.

Præterea inter densissimas nives ex aëre frigidissimo delabentes per totos aliquando dies exercebat venatum, oculo dextro, invito me, aperto, atque hinc obstructiones adhuc factæ sunt multo pertinaciores & numerosiores.

Chirurgus, qui per triduum huic vulneri medebatur, deliquit in eo, quod materiæ illi fibrosæ, quæ humoris aquei effluxum impediebat, ideoque auferri non debebat, imposuerit acria, quæ tamen oculus perferre non potest; deinde, quod reliquo oculo applicuerit *frigida*, ad affluxum scilicet sanguinis & humorum, ut ille *ajebat*, *sistendum*; sed an ignoras, bone vir, quod affluxus *hic sanguinis & humorum* sit oculo, ut & reliquis partibus *naturalis* & *necessarius*, & si medicamenta pro voto tuo operata essent, quod tunc brevi præstò fuisset gangræna; vides sanguinem & humores majori copia, quam par est, adesse in oculo; sed male ratiocinaris, ubi putas hoc fieri ob majorem solito affluxum, cum potius fiat propter obstructiones, quæ refluxum sanguinis per venas, ac humorum per vasa lymphatica, prohibent, unde sanguis & humores majori copia in oculo colliguntur, stagnant & acescunt, quare potius debuisses adhibere acidum temperantia, quæ præterea convenissent ad tollendum livorem Iridis & pupillæ a sanguine grumescente productum; nam certum est, sanguinem grumescentem & coagulatum per frigida non posse restitui, sed crassiorem reddi, atque obstructiones peccantes hoc pacto non tolli sed augeri. Sed antequam huic observationi finem imponam, unum adhuc phænomenum mihi discutiendum restat circa vulnera.

Certum est, quod sublatâ causâ tollatur effectus; sed cur igitur sublato ense, cultro, aut alia re vulnerante non statim tollitur dolor in vulnere, sed aliquando per longum tempus perseverat? Dolor in parte læsa non est nisi solito vehementior fibrillarum concussio, quæ fieri nequit nisi ab alio corpore in motu posito; quid igitur de dolore dicam, qui aliquando per totos dies, imo per totas septimanas post vulnus inflictum protrahitur, cum ensis, culter, aliæque res externè vulnerantes jamdudum sublatæ sunt? circumspiciam caute, num aliud quippiam invenire queam, quod fibrillas partis sauciæ in solito majorem agitationem cieat, sed, ecce inveni, ubi fibrillæ quædam ab ense discinduntur, tunc statim resiliunt in cincinnos, atque ita tubu-

tubulos partis vulneratæ obstruunt, sic ut humores libere circulare nequeant, sed impingant in illas obstructiones, unde dolor, qui adhuc increscit, ubi humores illi jam incipiunt acescere, & particulis suis scindentibus fibrillas adhuc magis irritant; præterea multæ fibrillæ, quæ antea cute tegebantur, post vulnus inflictum exponuntur aëri ambienti, qui illas vehementiore, quam par est, tremore afficit, dum iisdem aliquid communicat de motu suo, quo continuo, & quidem satis validè agitatur.

OBSERVATIO VIII.

De Tumore suppurato, nec non de Carie ossis.

PUella decem annorum, febri fervida correpta, brevi post dolorem, ac mox etiam tumorem sensit in humero, qui erat ejusdem cum cute coloris, ac duriusculus.

Sanguis nempe a febre solito magis agitatus ex latibulo hujus aut illius partis solidæ eluit particulas multas acidas & viscosas, quæ, cum sanguine circulantes, aliqua sui portione egressæ sunt ex poris arteriarum tum temporis ob febris fervorem magis dilatatis in tubulos circa humerum & longe infra cutim sitos, in quibus hærebant & dolorem excitabant, dum laterum suorum acie fibrillas solitò vehementius commovebant, atque hoc pacto tubulos vicinos etiam aliquatenus distorquebant, unde humores ibidem etiam stagnarunt, qui, licet essent sinceri, brevi mora ibi acescebant; sanguis hinc etiam stagnabat in multis vasculis capillaribus, sed tam profundè infra cutim sitis, ut rubor per cutim translucere nequiret, atque ideo tumor apparuit ejusdem cum cute coloris.

Sed unde durities illa tumoris? nam liquor est, qui in eo continetur, & liquor, utpote fluidus, & manui blandè appellenti nullam resistentiam exhibens, non sentitur durus sed mollis.

Sed magna liquoris copia continetur in pomo, potestque ex illo exprimi, & tamen interim sentitur duriusculum, quia scilicet liquor ille valde divisus est, ac in singulis pomi tubulis & poris a se invicem distinctis hæret separatus, quare manus pomum tangens occurrit primo pomi tubulo, unde particulæ liquoris in eo contentæ quidem aliquatenus recedunt, sed mox accedentes ad subjacentem tubulum, inveniunt resistentiam, atque hinc manifesta redditur pomi durities & per consequens etiam durities tumoris.

Certo igitur persuasus, hoc in casu peccare particulas viscosas obstruentes, acidasque scindentes & irritantes, nihil magis hic convenire judicavi quàm aperientia & acidum temperantia, quamobrem apposui tumori emplastrum stipticum *Paracelsi*; sed, ut hoc obiter notem, in eo supervacuus mihi videtur magnes, qui nulla alia de causa hìc additur, quam ut res noxias ex profundo ad se alliciat; magnes autem non quævis corpora sine discrimine ad se accedere facit, sed tantum modo ferrum & magnetem, atque hanc etiam vim prorsus amittit, ubi in pulverem conteritur, quia pori striati tunc diffringuntur, sicut id ipsum expertus est Rohaultius, qui melioris notæ magnetem in pulverem redegit, eumque indidit linteo, ejusque pulvisculos satis valide ad se invicem appressit, & tunc invenit & animadvertit pristinas in magnete vires in totum evanuisse.

Emplastrum citatum (ut ad propositum revertar) reliqui per aliquot dies super tumorem, sperans, acidum hoc pacto temperari, ac viscosum atte-

attenuari posse ita, ut partim circulationi pristinæ restitueretur, partim per poros cutis avolaret, sed malum fuit nimis pertinax, atque ideo spes mea me fefellit. Quid igitur factum est? Scilicet acidum particulis suis scindentibus tandem fibrillas & tubulos quosdam disrupit, atque ita liquor in tumore contentus in unum locum confluxit, & tum temporis tumor non amplius durjusculus, sed mollis existebat, non aliter quàm liquor, ex pomo antea duro expressus, & vasculo aliquo exceptus, se mollem exhibet digito palpanti, atque in eo puto consistere factam in tumore suppurationem.

Jamjam audire videor clamans contra me vulgus eruditorum, quod scilicet hanc ægrotulam non tractaverim secundum artem, hoc est, secundum falsam ac inutilem ipsorum theoriam, quæ in principio tumorum repellentia applicare jubet, sed respondere facillimum est, dummodo dicam, quod omnium ferme tumorum causa sit obstructio, quæ (secundum proprium ipsorum axioma, quod scilicet contraria contrariis curentur) per aperientia tollenda venit, non autem multiplicanda per repellentia vulgò dicta, hoc est, per frigida & astringentia.

Sed quid si adversarios proprio ipsorum gladio jugulem, eosque convinciam duobus argumentis, vel in ipso tumorum fere omnium initio rarissime, imo nunquam convenire repellentia vulgò dicta? tentabo saltem.

Volunt igitur adversarii, ut in principio tumorum applicentur repellentia, sed interim tamen duos casus excipiunt, primo, cum tumor fit per congestionem, secundo, quando ille reperitur in emunctorio.

Quoad primum, certum est unicuique a præjudiciis nondum plane occæcato, nullum tumorem fieri per fluxum, qua talem, utpote naturalem, sed omnem tumorem fieri per congestionem, hoc est, tum demum, quando sanguinis ac humorum fluxus aliqua ex parte impeditur propter obstructionem, ob quam sanguis & humores alicubi congerantur & accumulentur, atque hinc *evidentissime sequitur*, repellentia nunquam valere in tumoribus.

Quoad alterum, brevitatis ergo sumemus tantum unum emunctorium sic ab illis vulgò nuncupatum. Afferunt igitur repellere non licere in tumore inguinis, quia illud est emunctorium hepatis, hoc est, quia per illud sordes hepatis expelluntur, sed hæc est ratio mehercule falsissima: nam vasa lymphatica & venæ liquorem contentum ab inguine sursum deferunt, sic ut nihil restet præter nervos & arterias, per quos vel quas hepatis excrementa deponantur; sed licet nervi excrementa quædam ejicerent per inguen, tunc illud non esset emunctorium hepatis, sed potius cerebri aut medullæ spinalis, nam nervi, qui valde pauci in hepate esse reperiuntur, ex eo nihil recipiunt, & quamvis per arterias, quæ ex hepate etiam nihil excipiunt, recrementa quædam expellantur in inguen, ac per illud foras proturbentur, non ideo inguen meretur dici emunctorium hepatis, sed potius totius massæ sanguineæ, & si propterea in inguine repellere non licet, quia illud est emunctorium sanguinis, tunc per consequens vetitum erit in ulla corporis parte repellere, quia ubique per poros corporis multæ particulæ ex sanguine evacuantur & exhalant.

Sed tempus est, ut ad propositum revertamur, unde nimis longè digressi sumus.

Quandoquidem igitur tumor maturus erat, & pus, quod continebat, tam profunde situm erat, ut carnem ac cutim superpositam perrumpere non posset, ideo apertionem feci in ea tumoris parte, quæ mollior ac eminentior apparebat, sicque puris haud parum profluxit; sed ecce, tunc invenio sub-

jectum nigrum ac cariosum ab acido scilicet in tumore contento, quod fibrillas periostei, ac post ipsius etiam ossis discidit, ejusque salem volatilem corrupit, qui ossibus naturalis est, ac magnâ copiâ in illis reperitur, sicut liquet ex destillatione cranii humani, ex quo multum spiritus, multumque salis volatilis in forma sicca elicitur.

Quod si autem aliquis in hisce meis ratiociniis nondum acquiesceret, nec crederet hanc cariem ab acido esse inductam, illi juberem, ut oleum vitrioli, quod valde acidum est, applicaret dentibus, nam sic damno suo animadverteret illos tandem inde reddi cariosos ac frustulatim excidere.

Imo *Fabritium Hildanum*, expertissimum illum ac celeberrimum Medico-Chirurgum, hoc non latuit, quamobrem ille in carie ossis nihil magis damnat, quàm oleum sulphuris, vitrioli, aquam fortem, &c. acida, & quidem merito.

Jamdudum sciebam ulcera cum carie ossis comite sanari non posse, nisi osse prius restituto, atque ideo ossis cariosi medelæ primò incubui.

Non ignorabam quoque pinguia ossibus valde nocere, quia illa ramulis suis facile obstruunt angustos poros & tubulos ossium, & quidem satis pertinaciter, qua de causa omnia pinguia cane pejus & angue hic vitavi, ac ossi carioso inspersi pulverem euphorbii, quod multum salis volatilis, & quidem acerrimi, continet, atque ita brevi tempore omnis caries sub forma pulveris impalpabilis ex ulcere sensim evacuata fuit.

Quod acredo euphorbii non sit acida, ut aliquis forsan conjiceret, sed salina, manifestum redditur ex eo, quod tam vehementer sternutationem moveat, non aliter quàm spiritus salis armoniaci, qui a nemine salsus esse negatur. E contra naribus admoveto spiritus acidos nitri, vitrioli, salis & sulphuris, animadvertes illos, licet acerrimi sint, sternutationem tamen minime movere.

Ut autem externis medicamentis per interna opem ferrem, inter usum euphorbii ægrotulæ exhibui decoctum ex china, sarsaparilla, aliisque multum salis volatilis continentibus constans.

Si caries hisce cedere noluisset, adhibuissem ferrum candens, quod a quibusdam dicitur cauterium actuale, ad distinctionem cauterii potentialis, sed male, nam cauterium potentiale non datur; omne cauterium, hoc est, omnis res urens agit; & si illud cauterium potentiale dici meretur, quod, quamvis jam urere nequeat, brevi post tamen illud præstabit, tunc glacies optimo jure habebitur pro cauterio potentiali, quia illa reduci potest in aquam bullientem, & quam inepta sit talis locutio, aliis judicandum relinquo.

Ferrum candens autem duabus de causis in osse carioso juvat; primò, namque fermento acido-corrosivo in osse hærenti tantum de motu suo communicat, ut illud evaporare possit, sicut spiritus vitrioli in destillatione per ignem in altum elevatur; secundò, illam portionem fermenti acido-corrosivi, quæ reliqua manet in osse carioso, temperare potest, nam ferrum egregie resistit acido, ut patet confectione vitrioli Martis, in qua manifesta satis excitatur fermentatio, dum spiritus vitrioli infunditur limaturæ chalybis, atque ita brevi temporis intervallo spiritus vitrioli multum amittit de sua vi corrosiva ac de acore suo, imo dulcescit.

Carie ossis sublatâ reliquum ulcus brevi carne impletum fuit solâ therebinthinâ communi cum vitello ovi imposita, ac cicatrix per lintea carpta sicca inducta fuit, quæ imbibunt continuo pus, quod in ulcere relictum cicatricis generationi non parum obstat.

Com-

Complures sunt, qui arterias & venas ex parte sublatas nunquam regenerari existimant, quia nempe sunt partes spermaticæ, sic ab illis vulgò nuncupatæ, sed falluntur, nam qua de causa sanguis ex arteriola abscissa prorepens non posset ad latera protrudere particulas quasdam ramosas & ad motum minus aptas, quæ sibi invicem implicitæ formarent ibidem rudimentum alicujus tunicæ, quæ arteriolæ nomen mereretur, & cur idem sanguis, in cursu suo tandem impedimentum aliquod offendens, non posset reflecti, & sic, particulis ramosis iterum ad latera projectis, ibidem producere rudimentum alicujus venæ, non aliter, ac videre licet post aliquot ab incubatione dies in ovo, in quo arteriæque venæque eodem modo ex colliquamento proveniunt? hæc res sanè intellectu est facillima.

Imo blandus tantummodo contactus illius tenellæ carnis, quâ ulcus de novo impletum est, statim sanguinem prodire facit, quod certe non fieret, nisi arteriæ, venæque eo usque essent prolongatæ.

Sed si forsan aliquis adeo incredulus reperiatur, ut dictis fidem adhibere nondum queat, illum dimitto ad industrium dominum *Blanckart* in collectaneis Medico-Physicis, ubi narrat, vel se, vel alium quendam in ulceribus prius cavis ac nova carne iterum repletis detexisse venas & arterias per microscopium, imò per nudos etiam oculos ac nullo microscopio munitos, si pars sanata prius aliquandiu fugeretur.

Atque hoc pacto puto me phænomena in hac ægrotula occurrentia modo tam perspicue explicuisse, ut ab omnibus queat intelligi, longe aliter, quàm facere consuevere nimis anxii veterum sectatores, nam si illos interrogassem, unde tumor ille humeri, de quo antea locutus sum, exortus esset in ægrotula febricitante, mox reposuissent, naturam se ibidem loci exonerasse, sed hoc æque absurdum judico, ac si ego interrogarem, cur cerevisiæ recens coctæ fæx per dolii foramen evacuetur, ac alter regereret, naturam cerevisiæ *se ibidem loci, & hoc pacto liberare ab onere suo*, cum potius dicendum foret, cerevisiam fermentari, hoc est, motum quendam intestinum esse in parvis cerevisiæ particulis, atque ab illis particulas ramosas aliasque ad motum illum non satis idoneas protrudi eodem, ubi ad motum tam celerem non coguntur.

Si porro rogassem, quare tumor ille potius in humero, quàm alibi se præbuerit conspiciendum, in promptu sequens habuissent responsum, nempe hoc contigisse ob debilitatem facultatis expultricis in humero, bellum sanè ratiocinium, tot chimæras, quot verba, continens.

Quod si aliquis ex vase capaci liquorem quendam tenui ac æquali semper radio infunderet in cantharum angustioris colli per infundibulum, ac primo videret liquorem eâdem celeritate egredi ex infundibulo, quâ intraret, deinde autem observaret, liquorem in infundibulo magis magisque accumulari, an ille non egregie se unicuique exponeret ridendum, si pro causa hic in medium afferret debilitatem facultatis expultricis in infundibulo, cum vera causa sit obstructio in inferiore ac angusta infundibuli parte; aut in angusto canthari collo, inducta a corpore aliquo crassiore in liquore forte contento? quicunque jam hæc omnia attento animo perpendere voluerit, rem in utroque casu eodem modo se habere animadvertet, ac rationem utrobique allatam inveniet æquè ridiculam.

Antequam hanc observationem finiam, unum adhuc problema mihi discutiendum restat, nempe an ulcus aut vulnus cavum non posset impleri aliâ quadam carne, quæ toti agglutinaretur, sive illa caro desumeretur ex aliâ quadam parte ejusdem hominis, seu etiam ex alio homine, aut bestiâ aliquâ? præsertim cum videamus ungues, quibus galli contra gallos galli-

naceos in pugna utuntur, ex pedibus exſectos capiti non tantum agglutinari, ſed egregie etiam augeri brevi tempore, ſicut hoc quotidie videmus, dum galli gallinacei caſtrantur, imo etiam nemo ferè eſt, qui non aliquando conſpexerit, quàm belle ramulus ex una arbore exciſus cum trunco alterius arboris coaleſcat & uniatur.

Sed diſpar longe ratio eſt, nam tubuli in unguibus gallorum, inque ramulis arborum conſtantes ſunt, ita ut ſectio illos diſtorquere non poſſit, quare liquorum circulatio per eoſdem facile peragitur, etiamſi in alienam partem aut aliud corpus inſerantur. In carne verò noſtra tubuli adeo tenelli ſunt, ut a ſectione aut aliâ quadam vi ſtatim valde diſtorqueantur, atque eorum latera hoc pacto fere ad ſe invicem accedant, atque ita tum temporis & humorum circulatio per eoſdem prorſus impeditur.

OBSERVATIO IX.

De Fractura tibiæ.

VIr triginta annorum è curru deſiliens fracturam paſſus eſt obliquam in medio fere oſſis tibiæ, aderatque cruris inæqualitas, crepitus oſſis, dolor, & motus imbecillitas.

Una nempe tibiæ extremitas ob fracturam acutam in hanc, altera in illam partem vergebat, unde cruris inæqualitas, & dum illæ extremitates ad ſe invicem allidebantur, oſſis crepitus exortus eſt, ac dum perioſteum, parteſque vicinas acie ſuâ premebant, prima doloris cauſa prodibat, ſecunda autem tunc, quando extremitates oſſis diſrupti preſſione ſua cogebant humores, ut in tubulis partium vicinarum ſtagnarent, aceſcerent ac fibrillas irritarent.

Dum autem fibrillæ hoc pacto ab oſſium acie, & humoribus acidis vellicabantur, ſpiritus animales non poterant potius in hunc, quàm in illum muſculum determinari, ſed ſine diſcrimine proruebant ad omnes partes vellicatas, & ſi qui adhuc in parva quantitate ad certos muſculos accedebant, eoſdem tamen intrare & inflare nequibant ob tubulos ipſorum muſculorum ab humoribus ſtagnantibus obſtructos, & ſi qui ſpiritus eoſdem muſculos adhuc intrarent & inflarent, tamen nihil agebant aliud, quàm ut unam oſſis diſrupti extremitatem ſcindentem in hanc, aliam in illam partem moverent, unde nil niſi vellicatio, preſſio, novuſque dolor proveniebat, atque ex his ſatis manifeſtum redditur, quæ cauſa extiterit imbecillitatis motus.

Ego accerſitus oſſa fracta ſtatim repoſui, atque tum temporis hoc agere præcipuè volui, ut reſtituerem impeditam circulationem humorum & ſanguinis, qui abſque dubio hìc, atque illic etiam ſtagnavit, ideoque ad acidum peccans temperandum partem affectam lavi ſpiritu vini, in quo aliquid gummi ammoniaci diſſolutum erat, ac in eundem finem impoſui emplaſtrum ex diapalma, bolo, ſpiritu vini ac oleo camomillæ compoſitum, tandemque ad oſſa repoſita retinenda ligaturas, aliaque idonea applicui, atque hæc per intervalla quædam renovavi, atque ita patiens intra ſex ſeptimanas iterum inceſſit.

Non dicam hoc in loco, quod fractura per tranſverſum facta facilius poſſit retineri, quàm obliqua, nec etiam, quod pro ſigno bonæ reſtitutionis in fracto tibiæ oſſe plerumque habeatur, ſi pollex pedis directè reſpiciat genu, quandoquidem hæc nimis nota ſunt; nec magis cauſam reddere conabor, cur dolor

dolor post os repositum mitigetur, quoniam liquidum est; hoc fieri, quia prima doloris causa, de qua modo locutus sum, aufertur tum temporis, sed antequam finiam, explicare decrevi, quo pacto callus producatur, qui ossa fracta conglutinat.

Quando sanguinis & humorum circulatio restituitur iterum tam in osse fracto, quàm alibi, tunc particulæ quædam ex poris arteriarum egressæ transeunt per tubulos ossis, &, cum perveniunt ad extremitatem ossis diffracti, amplius pergere nequeunt per lineam rectam ob tubulos a fractura interruptos, ideoque deflectunt ad latera, ubi ossi & sibi invicem adhærentes constituunt tandem callum, qui ossa iterum conjungit.

Callus hic in senibus, & debilibus tardius generatur ob sanguinem viscosum & crassum, qui per angustos ossium tubulos transire non potest, atque ideo in tali casu crassiores sanguinis particulæ debent attenuari per lapidem osteocollam dragmæ pondere quotidie sumptum, imo nocere non posset, si lapidis ejusdem pulvis commisceretur etiam cum emplastro; quod externe imponitur.

Sed in ægroto nostro res longe aliter se habuit, nam callus in indecoram molem excrescebat, quamobrem imposui emplastrum de ranis cum Mercurio & strictam ligaturam, ut scilicet emplastrum hoc particulas quasdam calli ita attenuaret, ut avolarent, & ligatura callum ita comprimeret, ut novæ apponi non possent.

Atque ita finem imponam huic observationi, postquam dixero, quod crus ægroti semper extensum jacere jussi, & curam gessi, ut calx pedis inniteretur pulvinari parvulo, in cujus medio foramen erat, nam aliàs contingere posset, sicut experientia testatur, ut gangræna invaderet calcem, quia vasa & tubuli partium a longo decubitu vehementer comprimuntur.

Reperiuntur nonnulli, qui in fractura tibiæ commendant viscosa, quæ ego, ut noxia, rejicio, quandoquidem in corpore se non exercente obstructiones non parum augent, quæ è contra potius diminuendæ forent.

OBSERVATIO X.

De Dislocatione humeri.

Vir triginta duorum annorum, è curru prolapsus, passus est dislocationem in humero sinistro, sic ut caput ossis, in inferiorem partem prolapsum, causa foret ibidem alicujus eminentiæ, dum è contra in parte superiore depræhendebatur cavitas insolita; æger conquærebatur de dolore satis valido, nec manum per partem anteriorem ad frontem, nec per posteriorem ad collum movere valebat.

Os scilicet a sede sua prolapsum periosteum, partesque comprimebat vicinas, unde dolor, qui incrementum capessebat ex eo, quod in tubulis partium compressis & distortis humores stagnarent, acescerent, ac velicarent fibrillas.

Motus brachii consuetus peragi non poterat, quia caput ossis è cavitate propria propulsum, non gaudebat, ut ante, loco cavo, glabroque qualis ad motum ipsius obeundum requirebatur; huc etiam faciebat, quod spiritus animales, per tubulos ab humoribus stagnantibus obstructos & ab osse dislocato compressos, musculos intrare, eosque inflare nequirent; huc tandem accedit, quod motus fieri non posset, quin caput ossis magis adhuc premeret partes

tes

tes conterminas, unde dolor de novo exoriebatur, qui ad motum rite peragendum non parvum quoque afferebat obstaculum.

Ad ægrum vocatus os dislocatum mox reposui, statimque motus redibat, & dolor quidem aderat adhuc aliquis, quia humores acidi stagnantes fibrillas adhuc aliquatenus irritabant, sed tamen valde diminutus erat, quia caput ossis jam in propria cavitate contentum non amplius comprimebat partes sensibiles.

Osse reposito humores stagnantes per acidum temperantia dissolvere, ac circulationem humorum restituere studui, quare partem affectam lavi spiritu vini, in quo gummi ammoniacum dissolutum erat, & imposui emplastrum compositum ex diapalma, bolo, spiritu vini, ac oleo camomillæ, tandemque, sub ala posito linteo in pilæ formam convoluto, adhibui idoneam ligaturam, sicque æger brevi temporis spatio sanatus est.

Petrus Pigræus, Gallicus auctor, ac Chirurgus laude dignus osse reposito commendat astringentia, sed (pace tanti viri dictum sit) in hoc egregiè fallitur, nam astringentia augent obstructiones, quæ potius essent minuendæ.

Paulus Barbette vult, ut influxus humorum hoc in casu prohibeatur, sed male, quoniam ille, utpotè naturalis, prohiberi non debet. Vidit ille vir absque dubio partes vicinas in dislocatione non raro elevari in tumorem, observavit præterea per crebram experientiam, thus, masticben, bolum, similiaque hunc tumorem fugare, & bene; sed ubi judicavit tumorem hunc produci a solito copiosiori influxu, & ubi secundum hoc præjudicium putavit medicamenta sua ideo juvare, quod influxum istum prohiberent, tunc, inquam, erravit, nam obstructiones in causa sunt, ut humores coacerventur & in tumorem eleventur, ac acescant, dictaque medicamenta prosunt ex eo, quod obstructiones tollant, ac acidum temperent.

Jam locutus sum de dislocatione humeri subitò contingente, restat adhuc alia tarde invadens, ac tardius adhuc sanabilis, cum scilicet a vi aliquâ externâ ligamenta humeri contunduntur, sic ut tubuli distorqueantur, unde humores per ligamenta circulantes, ibidem subsistunt, ac progressu temporis se insinuant in poros fibrillarum, ex quibus ligamenta constant, eosque poros extendunt non secundum latitudinem, sed secundum longitudinem ligamentorum, quia ligamenta, dum motus peragitur, in longum sæpius extenduntur, atque ita ligamenta, quæ caput ossis aliàs in cavitate sua continebant, jam prolongantur, adeo ut os ex propria sede prolabatur.

Hæc dislocatio facile restituitur, sed os repositum difficillime retineri potest.

Medicamenta externa, quæ, osse in locum suum redacto, hic prosunt, sunt talia, quæ multo sale volatili constant, quod sal volatile particulas in poris ligamentorum hærentes potest attenuare, ac ex poris ita propellere, & circulationem humorum restituere. Curatio autem facilior & brevior reddetur, si externis medicamentis opem feramus per internum decoctum constans ex ligno guajaco, radice sarsæ parillæ, chinæ, aliisque medicamentis multo sale volatili gaudentibus.

Primæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis

FINIS.

DECA-

DECADIS SECUNDÆ.

OBSERVATIO I.

De Punctura nervi.

JUvenis viginti annorum, chirurgiæ operam dans, novaculæ mucrone læsit digitum Indicem dictum manus sinistræ circa medium articulum, unde dolor primò non adeo magnus, qui tamen sequenti luce in immensum exauctus est, ac præterea totum digitum invasit rubor, ardor, ac intumescentia, cutisque pallida ac insensibilis in locis vulnusculo vicinis separabatur.

Postquam phænomena hæc attento animo consideraſſem, nervum a novacula læsum fuiſſe judicavi, unde primo quidem dolor non valde gravis exortus eſt.

Sed ob tubulos nervo vulnerato vicinos & a vulnusculo interruptos humores, aliàs liberè circulantes circa vulnus subſtiterunt & acidi evaſerunt, atque ita ab humoribus a tergo inſequentibus propulſi ſunt ad vulnusculum nervi, ubi, permiſti cum ſpiritibus animalibus per nervum properantibus, effervescentiam quandam concitarunt ratione ſalis volatilis in ſpiritibus animalibus contenti, atque hoc pacto particulæ acidæ in magno ſatis motu conſtitutæ fibrillas nervi vulnerati laterum ſuorum acie egregie vellicarunt, ſicque dolorem *illum gravem* excitarunt, de quo mox locutus ſum.

Humores autem acidi ita cum ſpiritibus animalibus effervescentes non tantum nervi ſauciati fibrillas irritarunt & agitaverunt, ſed etiam fibrillas partium vicinarum, imo totius fere digiti, unde tubuli multi diſtorti ſunt ita, ut ſanguis & humores in illis ſubſtiterint, & brevi mora naturam acidi aſſumpſerint, atque hinc facile deducitur rubor, ardor, & tumor totius digiti, vel ejuſdem inflammatio.

Eædem particulæ acidæ effervescentiam ſuam exercentes diſſecabant prorſus illas fibrillas, quæ cutim circa vulnus ſitam cum parte ſubjecta connectebant, atque ita cutis ſeparabatur, & quidem pallida & inſenſilis, quia ſæpius citatæ particulæ acidæ & ſcindentes plurimas fibrillas ipſam cutim conſtituentes diſſecuerunt, quæ in cincinnos reſilientes tot & tam pertinaces obſtructiones produxerunt, ut ſanguinis, humorum, & ſpirituum circulatio per cutim in totum impediretur.

Rebus ita ſtantibus vulnus ſatis periculoſum eſſe judicavi, ideoque ejuſdem medelæ gnaviter eſſe incumbendum, quandoquidem ego jam dudum videram militem Gallicum, cui nervus circa cubitum ab enſe leviter tantum compunctus erat, & qui poſt longum temporis progreſſum, & multas ſuperatas difficultates non ſine ſummo labore tandem priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt; imo vidi præterea ruſticum, cui nervus in femore a globulo plumbeo per pulverem pyrium impulſo vulneratus, excitatâ convulſione, brevi poſt vulnus inflictum tempore lethiferus fuit.

Sæpius jam oleum therebinthinæ cum oleo vitrioli acido miſcueram, ac videram inde exurgentem effervescentiam, imo ſenſeram meis manibus mani-

feſtum

festum satis calorem inde productum in ampulla vitrea dictos liquores continente, atque hinc persacili negotio intelligere potui, quàm egregie oleum therebinthinæ resisteret acido, & per consequens quàm belle conveniret in hoc nostro casu, quapropter insudi in vulnus oleum therebinthinæ, & quidem satis calidum, ut ita ipsius particulæ in majori motu positæ faciiius & altius penetrarent, atque validius agerent ad acidum peccans temperandum; imposui præterea emplastrum stīcticum *Paracelsi*, quod quoque temperat acidum, tandemque toti digito, ac etiam manui cum linteo duplici superimposui lavamentum constans ex spiritu vini, aquâ sambuci, camphorâ & salo prunellæ, atque his quotidie bis iteratis, & cute a subjecta carne jam separatâ ac per forficem sublatâ, juvenis noster brevi sanatus est.

Sed interim notandum est, quod valde industrius fuerim in aëre ambiente arcendo, quandoquidem ille acidum in se continet, quod vel ex eo patet, quod lac coagulet, imo etiam ipsum sanguinem, qui extra vasa effusus brevi coagulatur ab aëre, cum idem per aliquot dies in fluore solito persistere reperiatur, si in vasis alicujus cadaveris permaneat, ubi ab aëre immunis est.

Ex dictis jam satis manifestum redditur, cur doior multo minor fit in nervo prorsus dissecto, quàm in eo, qui tantum punctus aut alio modo leviter sauciatus est, nam ubi nervus in totum dissecatur, una extremitas in hanc, altera in illam partem retrahitur & a carne absconditur, atque humor acidus in vulnere hærens, & aëre ambiens ad nervum pervenire non potest.

Clarissimus *Sylvius* dolorem ingentem, aliaque phænomena in vulnere nervi occurrentia deducit ab alia longe causa, quàm ego, putat nempe, quod, fibrillis quibusdam in nervo dissectis, reliquæ, integræ adhuc, tanto magis patiantur a tensione continua a spiritibus animalibus producta, atque hinc oriri dolorem, convulsionem, aliaque mala in talibus casibus non raro observata, sed pace tanti viri dictum sit, hæc causa mihi non arridet, quandoquidem ex ea deducere nequeo, quod cutis pallida & insensilis a parte subjecta non raro separetur, imo illius causa repugnat experientiæ, quæ docet puncturam nervi esse periculosiorem, quàm si nervus ad medium usque sectus sit, cum tamen in nervo, cujus dimidium dissectum est, multo plures fibrillæ dissecentur, quàm in nervo puncto, in quo sæpe paucissimæ tantum fibrillæ læduntur; sed certum est, quod ipse *Sylvius* sibi persuaserit, rationem suam non sufficere, quandoquidem dicit in eodem capite xxiij. lib. ij. quod phænomena in punctura nervi se exhibentia, illi videantur somnio similiora, quàm observatione alicui per sensus factæ.

Ut igitur tandem hanc observationem finiam, dico, quod in vulnere nervi peccet acidum, & quod talia oporteat adhibere medicamenta, quæ acidum infringunt, atque hac de causa commendatur etiam oleum ceræ & cerumen aurium; acida vero hic exulare debent, quod etiam observavit *Fœlix Platerus*, qui in libro Observationum pag. 468. dicit acidum nervoso generi valde esse inimicum.

OBSERVATIO II.

De Dolore capitis.

Vir annos natus quadraginta & duos dolore capitis vexabatur acerbissimo, & quidem tantum circa tempus unius lateris, ubi fixus permanebat,

bat, quem si quis hac de causa clavi novi nomine insignire vellet, per me liceret.

Causam hujus doloris esse judicavi humorem acido-corrosivum ibidem satis profunde delitescentem & stagnantem propter obstructionem valde pertinacem.

Aderat Medicinæ studiosus, qui sibi persuadebat hujus affectus curam optime perfici posse sudoriferis, quod ego tamen propter pertinaciam obstructionis in hoc morbo æque impossibile censebam, quàm in panaritio, quod tamen nunquam audivi per sudorifera fuisse sanatum, quamvis itidem ortum suum debeat humori acido-corrosivo, nam valde parva sudoriferi pars est, quæ ad partem dolentem pervenit.

Ego igitur parti affectæ potius imposui pulverem Cantharidum cum propria saliva efformatum in vesicatorium circa vesperam, & per noctem reliqui.

Clarissimus *Sylvius* Cantharidibus addidit acetum, putans exinde oriri fermentationem quandam, & sic vesicatorium melius operari, imo doctissimus *Willisius* plerisque vesicatoriorum formulis etiam adjungit acida, quod & ego sæpius secutus sum, sed toties, etiam post integrum totius diei intervallum, nullam vesiculam a Cantharidibus excitatam fuisse observavi, quoties illas miscueram cum aceto, hac scilicet de causa, quod ab aceto sal volatile Cantharidum enervetur, in quo tamen præcipua earundem virtus consistit.

Sequenti die adveniens vesicam ingentem a Cantharidibus productam conspexi, &, ex ægro dolorem prorsus abiisse, intellexi.

Dolorem autem illum ob vesicam, & propter aquam ex eadem aperta promanantem, sublatum fuisse, minime mihi persuadeo, nam aqua profluens nec acris gustabatur, nec talis esse poterat, quandoquidem alias ante vesicæ apertionem *subjectæ cuti aliquem* intulisset dolorem, quod tamen non fecit, licet cutis epidermide hoc modo sublatâ, satis sensilis sit, ut patet ex eo, quod ab aëre ambiente non raro lædatur & dolorem sentiat.

Sed quidnam ergo fuit, quod dolorem illum sustulit? sal volatile Cantharidum, quod a vaporibus ex cute egredientibus in motum satis celerem concitatum, pervenit usque ad humorem acido-corrosivum, eumque temperavit & incidit, ac obstructionem sustulit.

Verum unde tunc vesica suam traxit originem? dicam; interea temporis, dum particulæ Cantharidum volatiliores satis alte penetrabant ad humorem peccantem corrigendum, aliæ crassiores & acriores circa cutim subsistebant, in qua fibrillas quasdam diffringebant, quæ in cincinnos resilientes tubulos ita obstruebant, ut humores, in circulatione aliqua ex parte impediti, colligerentur in superficie cutis ac cuticulam elevarent in formam vesicæ, quod facile contingere potuit, quia fibrillæ, quæ cutim cum cuticula jungebant, jam disruptæ erant a particulis crassioribus & acrioribus Cantharidum citatis.

Atque aliquis dicet hîc fortasse, quod aqua illa ibidem congregari non debuisset, sed potius foras egredi per poros cuticulæ, per quos sudorem tam sæpe promanare videmus, cui respondeo, particulas crassissimas Cantharidum mansisse & hæsisse circa cuticulam, ejusque poros valde constrinxisse, quod nemini mirum videbitur, qui vel semel in vita vidit, quàm facile ignis calore membranæ possint corrugari, & quod ignis communis, qui membranas ita corrugat, etiam aliquando excitet vesiculas, prorsus similes illis, qui a Cantharidibus producuntur; quia autem pori cuticulæ ita constricti sunt,

D ideo

ideo vapores alias libere exhalantes accumulantur, augentque copiam humoris in vesica contenti.

Si quis tandem, ratiocinio nostro nondum plane convictus, credat tam diu Cantharides ob vesiculas excitatas juvare, donec probati alicujus Scriptoris auctoritate flectatur, illum adire jubeo *Lazarum Riverium*, qui *centuria* III. *observ.* XIV. refert, quod vesicatorium dolorem a punctura Apis relictum intra quadrantem horæ abegerit omnino, vesicis non excitatis ob moram exiguam.

Franciscus Redi in tractatu de Insectis affirmat, se vidisse humorem albicantem & absque dubio acido-corrosivum, ex aculeis Scorpionum profluentem, & talem humorem in puncturis Apum ex earum aculeis itidem promanare valde verosimile videtur, qui doloris causa existat, unde jam manifestum redditur, quod dolor, de quo *Riverius* loquitur, evanuit, quia humor acidus, qui ex Apis aculeo profluxerat & dolorem excitabat, temperabatur a sale volatili Cantharidum.

Apum autem aculeos cavos esse nemo mirabitur, qui unquam vidit tubulos vitreos arte confectos, quibus utuntur ad sanguinem, aliosque liquores per microscopium examinandos & conspiciendos, quandoquidem illi, licet pilo tenuiores sint, cavitate tamen aliqua donantur.

OBSERVATIO III.

De Contractura tendinis post fracturam ossis humeri.

JUvenis duos & viginti annos natus brachium inflexum & rigidum post fracturam ossis humeri sanatam extendere non potuit.

Causa hujus mali remotior fuit incuria Chirurgi, qui brachium per quinque aut sex septimanas reliquit incurvatum, cum potius illud singulis, quibus vicibus fracturam religabat, aliquoties extendere debuisset, ad quod in praxi exercenda bene attendendum est.

Hoc autem adeo mirum non est, cum quotidie videamus arcum, qui aliquandiu remansit incurvatus, non resilire; imo quis non aliquando in semetipso expertus est, quàm difficulter incedere atque pedes extendere posset, postquam per unicum tantum diem in curru consedisset immotus.

Verum enim vero quandoquidem hæc comparatio rem nondum satis illustrat, ejusdem causam paulo altius hic investigare animus est.

Ubi scilicet brachium incurvabatur circa cubitum, tendo musculi bicipitis cubitum flectentis contrahebatur (quod autem hic dicitur de tendine musculi bicipitis, de aliis musculorum cubitum flectentium tendinibus etiam intelligi potest) atque ita pori fibrillarum, ex quibus tendo constat, prius rotundi, mutabantur in ovales, sic ut major pororum diameter respiceret latitudinem fibrillarum.

Interim humores ex poris arteriarum egressi, qui prius ob motum sæpius institutum libere circulationem suam perficiebant, jam ob quietem aliquatenus subsistebant in tendine, imo brevi temporis intervallo particulæ quædam satis crassæ eorum humorum sese insinuarunt profunde in poros illos ovales fibrillarum, eosque in oblonga illa figura conservabant atque confirmabant, imo progressu temporis citatæ particulæ tam pertinaciter inhæserunt poris mox nominatis, ut vix ac ne vix quidem illas expellere liceret, atque hinc tendo musculi bicipitis fiebat brevior, non aliter ac videmus funem, pannosque novos aqua conspersos fieri breviores.

Hinc

Hinc etiam tendo dictus apparebat durus & rigidus; atque ita satis liquido constare existimo, cur brachium extendi non potuerit; nam musculi brachium extendentes munus suum obire non possunt, quin prius contrahantur, nequeunt autem contrahi, quin tendo bicipitis cum suo musculo a contractione incipiat cessare, hoc vero impossibile erat ob poros fibrillarum, ex quibus tendo conflatus erat, a particulis dictis obsessos.

Causâ hujus phænomeni hoc pacto investigatâ modus curandi non difficilis fuit inventu; scilicet particulas poros obstruentes expellere oportebat, quamobrem usurpavi fomentum ex vino, cui herbæ, aliaque multo sale volatili constantia incocta erant, ac deinde applicabam emplastrum de ranis cum Mercurio, & postquam per aliquot dies illud continuassem, ægrum aliquoties pondus aliquod manu gestare jussi, ut ita particulæ in poris obstructis hærentes, ac per prædicta medicamenta maceratæ aliquo modo (belgice *los gemepckt*) vi quadam ejicerentur, atque ita æger brevi temporis spatio pristinam sanitatem recuperavit.

OBSERVATIO IV.

De Vena secta.

VIr triginta sex annorum venam in flexura brachii sibi jusserat secari, sequenti die unciæ aliquot humoris limpidi ex venæ vulnusculo profluxerant, ac per aliquot dies idem perseverabat continuò effluxus, atque interea brachium nec dolebat, nec rubebat; rarum sane phænomenum, quod in tota praxi mihi nunquam contigisse memini.

Scilicet forte vasculum aliquod lymphaticum supra venam secandam jacebat, quod in Venæ-sectione sauciatum, ac a particulis quibusdam circa vulnusculum stagnantibus & acescentibus irritatum, leviterque continuo convulsum hanc humoris limpidi copiam emittebat.

Ego acidum circa vasculum lymphaticum peccans temperavi oleo therebinthinæ calidè infuso, & sic aperturam coalescere, & humorem limpidum brevi subsistere vel potius per naturalem viam iterum circulare coëgi.

Præterea novi quendam in Chirurgia Tyronem, qui in sectione medianæ subjectum tendinem pupugit, unde dolor, rubor, iisque sanatis tandem affuit contractura tendinis musculi bicipitis tanta, ut brachium jam per longum tempus incurvatum ab ægrota minime posset extendi, cujus mali curationem Patiens consequuta fuit haud aliter, quàm in prægressa dixi observatione.

Scilicet humores aliqui stagnantes acescebant circa tendinem vulneratum, eumque irritando, spiritus animales majori solito copia influere faciebant, unde tendo cum annexo musculo contrahebatur, & brachium incurvabatur, quod postea ita mansit inflexum ob particulas quasdam, quæ poros fibrillarum in tendine eodem modo obstruxerunt, quem fusius explicui in observatione præcedenti.

Dolor autem ruborque, qui tendinis puncturam non raro comitantur, eandem causam & medelam agnoscunt, quam in punctura nervi proposui.

Plerique Chirurgi, ubi sanguinem crassum evacuare volunt, majorem plagam infligunt venæ, minorem verò, quando ipsis animus est, emittere sanguinem subtiliorem, sed malæ; nam si crassæ sanguinis particulæ satis accuratè cum tenuibus mixtæ per arterias, venasque capillares circulare

 queant,

queant, nonne Sole meridiano clarius est, quod vulnusculum tam exiguum in Venæ-sectione fieri non possit, ex quo cum subtiliori sanguine non itidem expellatur ille, qui crassior existit? Quod acutissimus *Franciscus Bayle* bene animadvertit.

Clarissimus Dominus *Leeuwenhoeck* per microcospium detexit, sanguinem humanum constare ex globulis rubris in humore crystallino natantibus, qui ubi sanguis post Venæ-sectionem in vasculo exceptus coagulatur, motu suo amisso, descenderent ad fundum, humore crystallino, per quem sparsi prius movebantur, supernatante.

Mirum certe inventum, nec injucundum quoque, sed in praxi Medica nullius usus, nam qui ex hoc fundamento Febrium, aliorumque morborum causas & medelas eruere ac deducere conantur, garrire mihi videntur, omnemque operam perdere, qui, si attenderent potius ad acidum, salem amarum, dulce, aliaque in sanguine sine controversia contenta, absque dubio multo majorem in sanandis ægris utilitatem inde perciperent.

Multi Authores volunt, ut Cephalica potius, quàm Mediana, aut Basilica aperiatur, sed perperam, quandoquidem ego sæpius expertus sum, illam facile ex loco proprio recedere, atque ita, dum secatur, plagam intentatam effugere.

Sæpius observavi in pinguibus venam statim post ligaturam injectam satis esse tumidam & manifestam, eandem vero, nisi mox aperiatur, ex conspectu evanescere, dum scilicet sanguis pinguedinem subjectam & facile recedentem deorsum premit, ut ita, non obstante ligatura, venam iterum libere permeet.

Cum vena satis occlusa videbatur, non raro sanguinem inde magno impetu iterum profluentem conspexi post sectionem venæ, & quidem nulla alia de causa, quàm quod ligaturam & linteum comprimens imponerent prius, & post brachium incurvarent, nam hoc pacto labia vulnusculi, quæ prius in extenso brachio erant conjuncta, iterum a se invicem dehiscunt, dum brachium inflectitur.

Sæpe lividitas aliqua post Venæ-sectionem reliqua reperiatur, cujus causa non raro est malus usus aceti, quo linteum comprimens, quod aperturæ venæ imponitur, imbuitur, quandoquidem satis manifestum est sanguinem ab acido coagulari, lividumque ac nigricantem colorem nancisci.

Antequam finiam, addendum restat consilium *Petri Pigræi*, ut inde, si possibile sit, fructum adhuc aliquem eliciamus.

Præcipit clarissimus ac dexterrimus ille Chirurgus, ut post Venæ-sectionem apertura illinatur oleo quodam, si animus sit eodem die ex eodem foramine absque nova apertura iterum sanguinem educere.

Si autem oleum impediat aliquandiu, ne vulnusculum venæ rursus coalescat, vides, quàm male agant illi, qui olea adhibent in vulneribus, idque non aliam ob causam, quàm quia illud a Magistris suis fieri conspexerunt, ut oleum hyperici, ex. gr. nam si hypericum prosit vulneribus ob salem suum volatilem acidum peccans temperantem, cur tincturam hyperici non potius extrahunt per spiritum vini, in quem salem suum volatilem multo facilius & copiosius transferet, quàm in oleum, quod vulneribus nocet, quia, poros & tubulos obstruendo, sanguinis & humorum circulationem sistit, cum tamen illa potius promovenda sit, ad quod non parum valet spiritus vini, quoniam egregie temperat acidum, quod sanguinem & humores in vulneribus plerumque coagulat, & circulationi ineptos reddit; sed ne nimis prolixus videar, huic observationi finem imponam.

OB-

OBSERVATIO V.

De Crepitu tendinis.

FOEmina quadraginta trium annorum post solito majorem laborem in manu dextra passa fuit impotentiam ad motum, tumorem & dolorem; ac tendo in manu situs, cum digito præmebatur, sonitum edebat.

Est hic affectus, qui in praxi non raro occurrit, quamvis a nullo, quod sciam, hactenus tractatus sit, quamobrem ego eundem crepitum tendinis appellabo.

Ab insueto scilicet labore fibrillæ tendinis distorquebantur ita, ut humores in circulatione impediti ibidem subsisterent & coagularentur, unde motus impotentia, tumor, dolor, ac tendinis crepitus facillime deducitur.

Metuebam, ne humores in tendine stagnantes in dies magis magisque coagularentur, & sic exoriretur tumor, qui Ganglii nomine plerisque notus est.

Imo formidabam præterea, ne particulæ quædam humorum subsistentium reciperentur intra poros fibrillarum tendinem componentium, eosque obstruerent, ita ut in Observatione tertia hujus Decadis requiri ostendimus ad contracturam & rigiditatem tendinis inducendam.

Quapropter manum medicam mox adhibendam esse censens, spiritum vini accendi curavi hoc pacto, ut vapor inde exurgens totam manum affectam circumvolitaret, hocque peracto imponi jussi emplastrum de ranis cum Mercurio, atque ita humores coagulati dissoluti, obstructionesque sublatæ sunt, ac ægrota paucis interjectis diebus in totum pristinæ sanitati restituta fuit.

OBSERVATIO VI.

De Hæmorrhagia ex ulcere tibiæ varicoso.

FOEminæ quadraginta annorum ulcus in tibia dextra exortum est a causa interna supra varicem satis amplum, quod nullis remediis obtemperabat, aderatque tumor & erysipelas satis grave nullis medicamentis morem gerens.

Post aliquot dies inopinato ab humore acido-corrosivo illic hærente apertus est varix, ex quo ad minimum duæ libræ sanguinis nigricantis ac (ut astantes asseverabant) in effluxu valde fœtentis promanaverunt.

Ego placentam illam duriusculam ex medicamentis acidum temperantibus conflatam, quàm in Observatione sexta primæ Decadis laudavi, a Chirurgo imponi curavi, & sic varicem non tantum obturavi, verumetiam acidum illud in ulcere hærens temperavi, quod aliàs corrosione sua varicem facile iterum aperuisset, ac præterea ulceris curationem impedivisset.

Erat visu mirabile, quod, postquam varix inexpectato apertus tantam sanguinis copiam profuderat, erysipelas, aliaque symptomata mox evanuerint, & ulcus, de die in diem melius habens, intra tres septimanas solius prædictæ placentulæ ope prorsus coaluerit.

Ego jam temporis minime mihi proposui originem ac medelam varicis, ulceris, ac erysipelatis tradere, quandoquidem illud in Observatione sexta primæ

primæ Decadis satis accuratè executus sum, & mihi semper, si cuiquam alii, crambe bis cocta mors est.

Sed animus mihi est hic loci per experientiam confirmare, quod dixi & egi in primæ Decadis Observatione sexta, quàm indubitatum nempe sit erysipelas ac ulcus originem suam trahere ab acido, & quàm opportune instituerim sectionem varicis in ulcere illo tibiæ varicoso.

Hæc autem sine ullo negotio ex allato exemplo deducuntur, nam nec erysipelas nec ulcus ullis remediis cedebat, quamdiu varix ille tanta nigricantis & absque dubio mora sua acescentis sanguinis copia repletus erat, & quamprimum sanguis ille peccans affluxerat, erysipelas evanuit, vulcusque non longo post coaluit.

OBSERVATIO VII.

De Ingenti contusione brachii.

Matrona quinquaginta sex annorum post lapsum ab alto conquerebatur de ineptitudine ad motum & summo dolore brachii sinistri, quod valde intumefactum apparebat, quamvis ejusdem cum cute sana esset coloris. Ex pulsu sanguinis motum solitò concitatiorem animadvertebam ob terrorem scilicet, quem Patiens ex lapsu conceperat.

Postquam accuratè satis causam hujus mali per totam brachii longitudinem inquisivimus, tandem nec fracturam, nec dislocationem adesse animadvertimus, sed summam contusionem totius brachii, sic ut multum sanguinis extravasati, ut & humorum in tubulis brachii a contusione distortis hærentium stagnaret, & brevi post acesceret, unde motus imbecillitas, tumor & dolor haud difficulter deduci potest.

Plerique ad sanguinis motum placatiorem reddendum hic statim venam secassent, cum tamen ego è contra, omissa Venæsectione, tincturam anodynam ex opio aliisque paratam ægræ propinaverim, quæ multo securius & majori cum utilitate sanguinis motum diminuit.

Post aliquot horarum intervallum ægrotæ exhibui pulverem sudoriferum, simulque acidum sanguinis extravasati & humorum stagnantium temperantem, quem duabus subsequentibus vesperis cum commodo iteravi; constabat autem ex antimonio diaphoretico, oculis cancrorum præparatis, sale prunellæ antimoniato, aliisque; atque hinc dolor non parum remisit de sua vehementia, & sanguis extravasatus propulsus fuit usque ad cutim, quæ tunc per totum brachium ab humero usque ad digitos egregie livescebat, imo nigricabat.

Chirurgi, qui mecum aderant, invito me in principio brachium totum inungebant oleo rosarum, quod non tam nocet propter rosas, quàm propter oleum olivarum, nam licet hoc aliquid boni præstare posset, tamen prodesse nequiret, nisi perveniret usque ad eum locum, ubi sanguis extravasatus & humores stagnantes jacent, eò autem pervenire non potest nisi sub forma halituum, calor autem nostrorum corporum impotens est ad oleum olivarum in halitus convertendum, quandoquidem ignis satis vehemens ex ligno & cespitibus constructus debilior est, quàm ut particulas olei olivarum ollæ inditi ad formam halituum redigere possit.

Tantum autem abest, quod oleum olivarum prodesset, ut contra id, quod supposui; potius obesset, quoniam particulis suis ramosis obstructiones augeret,

geret, ac ita efficeret, ut sanguis & humores adhuc magis stagnarent, ac præterea, poros cutis claudendo, impediret, ne alia medicamenta ad locum debitum pertingerent.

Si rosæ communes frigidæ forent, ut plerique sentiunt, easdem hic rejicerem, sed quia ex amaritie & penetrante earundem odore contrarium potius colligi debet ab illis, qui, sepositis suis præjudiciis, non tam vetustatem, quàm veritatem sequuntur, ideo oleum rosarum improbo hoc in casu ob oleum olivarum non autem ob admixtas rosarum particulas nonnullas.

Iidem Chirurgi, brachio toto oleo rosarum inuncto, imposuerunt emplastrum illud defensivum, cujus descriptionem exhibet Pharmacopæa Ultrajectina, quod quidem hic non prorsus rejicio, quia continet multa ingredientia acidum temperantia, qualia sunt bolus, terra sigillata, lythargyrium, aliaque; sed quorsum baccæ myrthi, oleum myrthinum & vinum rubrum austerum? illa sane poros cutis astringunt, atque ita aliis idoneis ingredientibus viam penetrandi ad partem affectam prorsus præcludunt.

Ratiocinium autem meum experientia brevi confirmavit, cum pustulæ multæ per totum brachium dispersæ in conspectum veniebant.

Quamobrem ego sequens lavamentum præscripsi, quod in locum olei ac emplastri substitui, utpote acido egregie resistens & per consequens sanguinem & humores coagulatos optime dissolvens.

℞. *Rad. ireos, calam. aromat. brion. ā.* ℥ß. *Herb. rorismar., betonic., Salv. ā. M.*ß. *Baccar. juniper., Laur. ā.* ℥iij.

Coque in vase bene clauso cum vino Gallico, ac Colat. ℔ij. adde

Gumm. ammon. ℥ij. *Sal. tartar.* ℥j. *M. F. Lavament.*

Atque ita pustulæ evanescebant, dolor diminuebatur, motusque paulatim redibat, ac lividus color mutabatur in croceum.

Deinde, volentibus Chirurgis, ut mutarentur medicamenta, loco emplastri defensivi, quod illi iterum proponebant, præscripsi suffitum acidum temperantem & constantem ex baccis lauri, juniperi, thure, mastiche, myrrha, allisque, nam si hæc posteriora juvant in prædicto emplastro, ubi a sevo & cera ligata jacent, multo magis proderunt, ubi sub forma fumi brachium ex superiore parte contectum circumvolitant, & ab igne non parum agitata poros brachii a calore satis apertos ingrediuntur.

Tandem spiritum vini accendi jussi, cujus vapor ad brachium ascendens & per poros intrans acidum, quod sanguinem & humores non parum coagulaverat, infringebat, atque ita Patiens sanata fuit, dolore ac flavedine sublata, & motu brachii restituto.

Certissime mihi persuadeo, quod contusio non tam magna fuisset, si in brachio ægrotæ affuisset fractura ossis; nam illud tunc, cum frangitur, recedit, nec contundit amplius, sed ubi os integrum manet & per consequens ob duritiem suam resistit egregiè, ac ubi ab altera parte adest corpus solidum contundens, tunc caro intermedia non aliter utrinque præmitur, quàm si sub prælo posita foret, atque ita mirum in modum contunditur.

Atque hoc est, quod praxis quotidiana confirmat, in qua sæpius videre mihi licuit, contusionem, osse fracto, multo minorem esse, quàm eodem illæso remanente.

Formidabam, ne sanguis extravasatus adeo coagularetur, ut postea dissolvi non posset, & sic tam acidus & corrosivus tandem evaderet, ut partes vicinas inficeret gangræna; nam non ita pridem ad Juvenem vocatus sum, qui tibiam valde contusam per octiduum neglexerat, quo demum tempore ego adveni, & tunc coactus fui partem contusam scalpello aperire, & eximere

mere multa fatis magna frusta sanguinis valde coagulati, nigri & putrescentis, qui cavitatem, in qua continebatur, jam aliquatenus infecerat gangrænâ, quàm tamen lotione per spiritum vini, & inspersione pulveris myrrhæ, aloësque brevi sustuli.

OBSERVATIO VIII.

De Ganglio in manu.

ADolescens sedecim annos natus conquærebatur de tumore duro, indolenteque, qui, in superna manus dextræ parte situs, mole sua nucem avellanam adæquabat, eratque ejusdem cum cute sana coloris; atque jam tertius mensis erat, ex quo æger post laborem consueto majorem hoc malo affectus est.

Jacebat nempe tendo in superna manus parte, cujus tubuli ab insueto labore ita distorquebantur, ut humores, in circulatione multas obstructiones pro obstaculo offendentes, stagnarent in tubulis tendinis, tandemque ab humoribus a tergo insequentibus propellerentur usque ad membranam illam, quæ tendinem investit, ubi, efformatâ sibi cavitate, colligebantur & concrescebant aliquatenus particulæ viscosiores, tenuioribus interim abeuntibus, & sic exortus est tumor, de quo hìc ago, & qui ganglii nomine a plerisque appellatur.

Ego pollice manus meæ tumorem hunc valide satis compressi, eumque hoc pacto extemplo evanescere vidi, dum scilicet vi compræssionis humores tumorem constituentes protudebantur iterum quaqua versum per tubulos tendinis; sed quia obstructiones sic nondum sublatæ erant, ideo recidivæ formidine tenebar, quapropter ad humores viscosos attenuandos & obstructiones reliquas tollendas imposui emplastrum de ranis cum Mercurio, & strictam satis ligaturam, quæ impediebat, ne humores viscosi in consueta cavitate iterum, ut ante, congregarentur.

Sed ubi tumor hìc jam per aliquot annos duravit, tunc a pollice comprimente tolli non potest, sed adhibenda est ferula lignea, non differens ab illa, quâ præceptores in castigandis pueris utuntur, nisi quod plumbi portio in illius medio infusa jaceat; & talis ferulæ unico ictu, ægroti facie a manu affecta in dorsum aversâ, prorsus evanescere vidi ganglium, quod per quadriennium patientem vexaverat, cujus medela tunc brevi per emplastrum hic citatum & strictam ligaturam absoluta fuit.

OBSERVATIO IX.

De Globulo mobili inferioris labii.

JUvenis viginti tres annos habens ostendebat mihi in labio inferiori tumorem rotundum, mobilem, parum dolentem, sed interea tamen satis molestum mole sua, quæ aqualis erat globulis illis, quos pueruli in lusibus suis adhibere solent; color a reliquo labio non differebat.

Patiens ante trimestre spatium labium inferius suis dentibus momorderat, & ab illo tempore animadvertit hunc tumorem.

Jam temporis nemo fere est, qui nesciat, quàm multæ exiguæ glandulæ

læ non tantum per reliquas oris partes, sed etiam per labium inferius disseminentur, quarum una sine dubio a morsu læsa fuit ita, ut humores ex arteriola egressi, in glandula, occluso exitu, substiterint, & sic glandula hæc parva in tantum tumorem excrevit, quantum in hac Observatione mox exhibui.

Quamvis hic tumor in praxi sæpius occurrat, tamen neminem novi, qui ipsius causam explicuit, & unum tantum, qui ejusdem curam exemplo proponit, nempe *Jobum van Meeckeren* Chirurgum Amstelodamensem, qui, nisi me mea fallat memoria, huic affectui nomen indit, quod belgice sonat *een steen knoop*.

Sed quid miraris? num putas impossibile, glandulam tam exiguam ad talem magnitudinem posse pervenire? perpende, quæso, quantum unius & ejusdem uteri magnitudo differat in virgine & parturiente; perlege disputationem, quam Clarissimus Dominus *Johannnes Munnicks*, Professor Ultrajectinus, anno 1678. die 20. Novembris publice ventilandam proposuit, in qua narrat, virginis alicujus tubam uterinam tam late extensam fuisse, ut centum & duodecim aquæ libras contineret.

Sed quid hæres? oportet, ut afferam adhuc unum experimentum, quod ad rem propositam propius accedit; ego nempe, ubi a frigore supra modum læsus eram, non raro glandulas circa collum, quas in statu sanitatis tactu reperire non possum, in tantam molem excrescere animadverti, ut ovum columbinum superarent.

Ut tandem ad curam properem, dico, quod medicamenta hic loci commode applicari vel retineri nequeant, ideoque sectione scalpelli simul & semel totum tumorem sustuli, vulnusque relictum solo melle rosarum sanavi.

OBSERVATIO X.

De Affectu oris apud nostrates, vulgò nuncupato de Mater-kanker.

PUerulum biennem, qui jam per tres integros menses quartanâ laboraverat, non ita pridem invisi, ac inter ejusdem labium superius & gingivam inveni ulcus, quod ante quatriduum initium suum ceperat, satis alte sursum vergens, cavum, durum, dolens, nigricans, & grave-olens.

Hujus nempe ægrotuli sanguis a cibo potuque acido & acescente, nec non a quartana diuturna, multo, quàm par est, evasit acidior, atque ita non tam alibi substitit, quàm inter labium superius & gingivam, quia sanguis & humores ibi facile coagulantur ab aëre frigido per inspirationem admisso, nec non a reliquis cibi inter dentes hærentibus, atque morâ suâ acorem contrahentibus.

Sanguis autem & humores stagnando tandem valde corrosivi evaserunt & sic Fibrillas labii & gingivæ non tantum vellicarunt valde, sed earum multas disruperunt etiam, atque hoc pacto exortum est ulcus altum, cavum, durum, dolensque.

Ut autem nigroris mox adducti rationem eò felicius investigemus, prius referre libet, quod non ita pridem frustulum lintei candidi per microscopium meum conspexerim, & quod singulæ Fibrillæ, ex quibus fila contorta erant, glaciei instar pellucidæ apparerent, sed unumquodque filium ex pellucidis istis Fibrillis conflatum album cernebatur, non aliter ac aqua apparet quidem

 pel-

pellucida, sed spuma alba, quæ constat ex multis aquæ superficiebus sibi invicem ita superpositis, ut multum aëris interjaceat.

Cum autem linteum hoc combusseram, non tantum tota fila, sed singulæ eorundem Fibrillæ oculo meo microscopio armato colorem nigrum offerebant, quia nimirum pori in linteo a vi ignis valde distorti sunt, & particulæ multæ sub forma fumi ex linteo avolarunt, sic ut radii solares qui in poris illis suffocati ad oculum meum non reflecterentur.

Et quod ignis in linteo effecit, hoc particulæ acido-corrosivæ præstiterunt in ulcere, dum Fibrillas disrumpebant, illarumque poros aliter figurabant & mutabant, imo multas particulas ex ulcere sub forma vaporis avolare cogebant, ut manifestum erat ex fœtore.

Ut autem multis mirandi causam præripiam, quod acidum ad nigritiem inducendam concurrere scribam, volo ut conspiciant, quàm bonum atramentum ex decocto gallarum conficiatur cum aceto, in quo limatura chalybis prius infusa fuit; aut saltem malum citrium cultello dissecent, nam tunc mox cultellum egregie nigrescere videbunt.

Sola igitur ulceris graveolentia adhuc enodanda superest; ac ut prædicta comparatio hic loci mihi iterum inserviat, unumquemque olfacere jubeo ingratum odorem, qui in combustione lintei nostras nares plerumque ferit, nam quod agit ignis respectu lintei, idem operatur humor acido-corrosivus ulceris respectu, dum salis volatilis (quod magnâ copiâ in statu sanitatis continetur in partibus corporis humani, aliorumque animalium, ut destillatio docet) multas particulas corrumpit, illarum figuras immutat, ac ita easdem, solutis vinculis, quibus prius alligabantur, avolare facit, quo tempore cum aëre, quibus se miscent, in nares propulsæ fibrillas nervorum olfactui inservientium nimiò tremore agitant, & sic animæ graveolentis odoris conceptus exhibetur.

Phœnomenis hujus morbi in praxi tam sæpe occurrentis, & a nemine, quod sciam, hactenus bene dilucidati perspicue satis explicatis, mihi perinde erit, an cum *Hildano* gangræna, cum *Carolo Batto* cancer, an vero cum *Cornelio vander Voorden* dicatur ulcus noma, quandoquidem ego meras illas quæstiones de nomine parum admodum moror, qui nihil capto nisi res.

Hoc autem malum celerrime proserpit & brevi ægrum jugulare potest, sicut ego ante duos menses expertus sum in puella quatuor annorum, quæ quinto post morbi invasionem diem ad me deportata fuit, adeo deformis, ut homini vix similis videretur, nam dimidia nasi, & quarta linguæ pars jam absumpta erat, ac mala sinistra lapidis instar dura, magnoque foramine perforata, unde intra quatriduum juxta meam prognosin obiit.

His igitur sedato animo ponderatis sequens unguentum acido-corrosivo resistens præscripsi:

℞. *Theriac.* ℥ijß. *Ung. ægyptiac.* ℥iß. *Gum. lacc., Spir. sal. armon. ā.* ℈ij. *cochlear. par. M. F. ung.*

quocum pauculo spiritus vini mixto calide quotidie lavabatur sexies pars affecta, eique imponebantur lintea carpta eodem medicamento imbuta, atque hoc solo remedio non tantum hunc puerulum, sed etiam plures alios feliciter ac intra breve tempus sanavi.

Secundæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis

FINIS.

DECA-

DECADIS TERTIÆ.

OBSERVATIO I.

De Tumore frontis connato.

PUella semestris erat in fronte deformata tumore valdè rubente ac doloris experte, quem in utero adhuc delitescens contraxerat. Mater ægrotulæ, dum utero gerebat, vulnus in fronte accepit, ex quo multum sanguinis profluebat, & quod dolorem satis magnum inferebat; quare mater, infortunii sui certior fieri volens, adiit speculum, & sic non parum perterrebatur.

Quis nescit jam temporis, quam arcta sit unio inter matrem, suumque fœtum? idque mirum videri non debet, quandoquidem sanguinis circulatio utrique communis est.

Sic *Parisiis* in nosocomio stultus ad annum usque vigesimum vixisse perhibetur, cui ossa brachiorum, crurum, aliarumque partium a nativitate fuerant disrupta, non aliam ob causam, quàm quia mater illius prægnans non sine terrore conspexerat malefico cuidam ossa a carnifice publicè confringi.

Si jam gravida mater tenello suo fœtui tantum malorum accersere potis est, dum alium molesto dolore aspicit affectum, cogita, quid contingere possit, ubi illa in proprio corpore vulnus sanguinolentum & cernit & sentit.

De modo autem, quo illud eveniat, utpote ad praxin parum faciente, hic loci scribere supersedeo; & si quis curiosior sit hac in re, illum adire jubeo *L. de la Forge* in notis ad tractatum *Cartesii* de homine, ut & acutissimum Auctorem tractatûs cujusdam Gallici, qui inscribitur *la Recherche de la Verité*, qui non ineleganter de modo, quo hic effectus producatur, ibidem differit.

Ego conspecto huic tumori imposui corrosivum ex calce viva & sapone communi simul mixtis tantum, quantus erat ipse tumor, & sic inducta fuit eschara.

Sapo communis scilicet conficitur ex lixivio & pinguedine simul coctis tam diu, donec multi ramuli particularum pinguium disrupti sint, quod vel ex eo liquet, quod pinguedo in vestibus producat maculas pertinaciter inhærentes ob ramulos, quibus se implicat fibrillis vestium, & sapo contra solâ aquâ facilè eluitur.

Calx verò viva est sal alkalicum fixum & quidem satis acre.

Calx viva igitur miscebatur non cum aqua, quia hæc ob effervescentiam suam cum calce vires ejusdem frangit, nec quoque cum pinguedine, quæ poros cutis nimis obstruit, sed cum sapone communi sale suo lixivo calcis vires non parum juvante.

Imposito hoc corrosivo vapores pro more solito egrediebantur ex arteriolis per poros cutis in aërem, ex quo iterum in locum a se relictum pro-

pellebant materiam subtilem, quæ in transitu suo agitabant particulas salsas tam calcis, quàm saponis teretes, rigidas, & pungentes, easque secum tulit usque in cutim, & quidem secundum longitudinem particularum non secundum latitudinem, sicut sagitta in altum missa non transversum aërem secat, sed per longitudinem suam, quia hoc pacto minus resistit, & faciliorem viam invenit in aëre.

Particulæ hæ salsæ in cutim usque adauctæ, ac a materia subtili egregie ibidem agitatæ, fibrillas cutis disruperunt ita ac tubulos ejusdem ita distorserunt, ut sanguinis humorum ac spirituum circulatio illic prorsus impediretur, ac illa pars emoreretur & sub forma escharæ in conspectum veniret, quâ brevi separatâ omnis tumor aberat, quare placentulam meam duriusculam, de qua sæpius mentionem feci, imposui, quæ carnem aliàs facile luxuriantem comprimebat, ac insuper cicatricem lævem inducebat, quæ primo quidem aliquatenus rubebat, sed ille rubor postea in totum sublatus est, ubi cicatrix aliquoties leviter tangebatur oleo tartari per deliquium.

Hæc puella ab omni frontis deformitate hoc pacto feliciter liberata Chirurgis calcar addere debet ad tollendas multas deformes maculas ac tumores, infantibus, dum in uteri ergastulo captivi retinebantur, impressos, qui a non paucis pro insanabilibus habentur.

OBSERVATIO II.

De Ulcere cum carie ossis maxillæ.

MAtrona 28. annorum laborabat ulcere maxillæ inferioris exiguo, profundo, dolorifico, ex quo magna puris copia quotidie profluebat, ac caro semper spongiosa in ulcere luxuriabat, dentemque ulceri vicinum caries excavaverat, & præterea in partibus ulceri conterminis durities non exigua digito palpanti sese offerebat.

Prout ægrota mihi referebat, ulcus hoc originem suam debebat tumori ingenti ac valde duro maxillæ inferioris ac simul fere dimidiæ partis faciei, qui suppuratus ac in oris cavitate sponte apertus multum puris emittebat; hæc autem apertura a saliva in ore contenta brevi sanabatur; sed tumor hic extrinsecus a Chirurgo scalpello fuit apertus, hæcque apertura jam per aliquot septimanas affuerat, nullisque remediis obsecundabat.

Ego igitur accersitus ad omnes circumstantias accurate attendebam, easque satis exacte examinabam, atque ita tandem, omni præcipitantiâ in judicando evitatâ, certissime mihi persuasi os maxillæ inferioris existere cariosum, illudque præcipue mihi liquebat ex carne semper luxuriante, ac majori puris copiâ, quàm ulceris angustia requirebat, si non fuisset os carie infectum.

Sed unde caro fungosa, in ulcere cum carie ossis luxurians originem trahit? ut huic quæstioni satis fiat, in memoriam revocanda sunt ea, quæ dixi in primæ Decadis Observatione octava, quæque latius ibidem deduxi, nempe ossis cariem induci ab acido corrosivo, quod etiam ex sequenti experimento patere potest.

Cani ossa quædam devoranda exhibeto, ac brevi ex ejusdem excrementis alvinis manifestum fiet, ossium deglutitorum compagem egregie esse solutam a fermento in carnis ventriculo contento, cujus aciditatem nemo, ut puto, inficiabitur.

Acidum igitur corrosivum ossa cariosa reddit, idemque vasa sanguifera aperit magis quàm par est, ex quibus tunc prolongatis effluens humor efformatur in carnem spongiosam.

Sed unde tanta puris copia in ulcere, quod caries comitatur? quia illud ulcus profundum est, sic ut non tantum humores ex cute ac carne, sed etiam ex periosteo ac ipso osse prodeuntes puri generando suppeditent materiam.

Mentis oculis hanc cariem jam dudum perspexeram, sed hujus rei etiam certus fieri cupiebam sensibiliter, & quia ulceris angustia ferrum exploratorium non admittebat, ideo adhibui pilum, qualem sues in dorso gerunt, eoque os nudum & cariosum tetigi.

Quid igitur hic agendum erat? scilicet acidum corrosivum temperari, fragmentorumque cariosorum separatio promoveri debebat, ac durities in ulceris vicinia emolliri.

Sed ante omnia dentem cariosum extrahi jussi, metuens nimirum, ne ille maxillam adhuc magis inficeret, verum dentis evulsi radix apparebat incorrupta.

Tunc ulceri imposui turundam oblitam sequenti unguento.

℞. Thereb. ℥ij. *Vitell. ovi N.* j. *Aloës, & Myrrh ā.* ʒj. *M. S. A. F. U.*

Therebinthina resistit acido, sicut docet ipsius oleum effervescens cum oleo vitrioli acido, sic aloë & myrrha etiam temperant acidum sale suo, quo abundant.

Interdum etiam, ad ulcus magis patulum reddendum, turundæ aspersi pulverem croci metallorum, qui carnem luxuriantem tollebat, vel imponebam turundam ex radice gentianæ paratam; turundæ summitati autem plerunque imposui pulverem euphorbii, ut illud copioso suo sale volatili acidum corrosivum temperaret, ac ita non tantum ossis sani corruptelam impediret, verum etiam fragmentorum carie affectorum separationem maturaret.

Carni luxurianti extra ulcus protuberanti sæpius imponebam alumen ustum.

Ad duritiem in ulceris vicinia sitam tollendam applicabam emplastrum stypticum *Paracelsi*.

Durities hoc pacto brevi sublata fuit, &, postquam per trimestre spatium hujus ulceris medelæ industrie satis incubuissem, tria fragmenta albicantia ex ulcere prodierunt, unum post aliud, quorum duo priora valde parva existebant, sed tertium satis magnum & latum.

Tunc temporis, ubi fragmentorum aliquod separari incipiebat, pus apparebat sanguinolentum ex eo, quod vasa sanguifera a fragmento illo læderentur, & unde eodem tempore dolor exacerbaretur, non est, quod explicem.

Hic etiam facile intelligi potest, quod fragmenta vacillantia puris copiam adauxerint & quod carni occasionem præbuerint magis luxuriandi.

Sed quo pacto hæc fragmenta disjuncta sunt? ut illud explicetur, naturam in auxilium advocare non oportet, quam *Empedocles* jam dudum explosit his verbis,

Jam quod mortales naturam
Nomine dicunt, hoc nihil est.

Rideo sane illos Medicos, quibus hæc verba semper in ore sunt, ac instar oraculi habentur: *Natura morborum curatrix*, *Medicus naturæ minister*, *&c.* cum nesciant ipsi, quid velint his verbis nihil significantibus, quæ tamen audacter satis effutiunt apud ægros suos, a quibus non raro Deorum instar æstimantur ob inanem suam garrulitatem.

Vale-

Vale-dicamus igitur huic naturæ, ac dicamus id, quod res est, quodque ab unoquoque clare ac distincte percipitur; scilicet particulæ per os sanum circulantes appellunt ad fragmenta cariosa, atque per illa ob tubulos valde distortos cursum suum continuare possunt, sed vi unitâ quotidie sæpissime in ipsa impingunt, atque ita eadem, quantum possunt, divellentes, usque ad ruptionem fere tendunt fibrillas, quæ os sanum cum corrupto adhuc connectunt, tandemque particulæ puris acidæ laterum suorum acie fibrillas hasce intermedias discindunt, quod ideo facilius & citius contingit, quia eædem valde tensæ sunt, sicut filum tensum multo felicius quàm flaccidum cultro dividi videmus.

Postquam fragmentorum ultimum ex ulcere prodierat, puris copia mox minuebatur, ac caro fungosa alumine usto sublata non renascebatur amplius sicque ulcus intra quatriduum prorsus coaluit, remanente tamen cicatrice cava, duraque, quam nemo mortalium præcavere potis est in ossis carie, quandoquidem particulæ nutrientes, quæ per ossis tubulos circulantur, atque ita perveniunt ad ossis illam superficiem, a qua fragmentum cariosum separatum fuit, sunt multo solidiores, quàm particulæ carnosæ, ideoque, cum ibi ob similitudinem superficierum ossis extremitati adhærescunt, multò arctius sibi invicem incumbunt & connectuntur, ac quasi parvum quendam callum efficiunt.

OBSERVATIO III.

De Vulnere cruris per sclopetum inflicto.

JUvenis viginti quatuor annorum ægrotabat vulnere cruris per sclopetum inflicto, rotundo, nigricante ac dolorifico.

Globulus plumbeus ex sclopeto emissus crus hujus Juvenis perforare non potuit, quin illud egregie contunderet, unde dolor ac nigrities.

Non est mihi animus hic loci describere modum, quo pulvis pyrius accendatur, ac ad motum adeo vehementem celeremque concitetur, ut globulo plumbeo impetum imprimere queat sufficientem ad tale vulnus producendum, quandoquidem *Cartesius* exacte satis ac eleganter hac de re scripsit in parte quarta principiorum philosophiæ.

Postquam igitur venerat æger ad me, ipsum ad eandem figuram corpus componere jussi, quàm habebat, dum vulnerabatur, ac tunc exploratorio plumbeo, imo etiam candelâ cereâ, quam belgice nuncupamus *een maslitbtien*, globulum, quantâ potui industriâ, quæsivi, sed frustrà, quia nimis profunde descenderat, seseque absconderat, sic ut extrahi non posset.

Si quis autem sit, qui spectare desideret instrumenta globulis extrahendis idonea, ipse inspiciat *Fabritium Hildanum*, *Scultetum*, aliosque.

Quid ergo hic agendum erat? sanguis scilicet & humores ob contusionem stagnantes & ab acido coagulati per acidum temperantia debebant dissolvi, ut ita circulatio sanguinis & humorum, aliquatenus impedita, restitueretur, eâque mediante fibrillæ in vulnere hærentes ac plane emortuæ a carne viva separarentur, ac vulnus carne nova iterum impleretur ac sanaretur, quod, non obstante globulo plumbeo in crure remanente, brevi temporis spatio effecimus hoc unguento imposito, ac superposito subsequenti emplastro.

℞. Thereb. ℥ij. *Vitell. ovi N.* j. *Myrrh. & Aloës ā.* ʒß. *Ol. ceræ gutt.* x.
M. F. Unguentum.

℞. Empl.

℞. *Empl. diapalm.* ℥ij. *Cret. com. & Boli armen.* ā. ʒß. *Antimon. diaphor.* ℈j. *Ol. tartari per deliq.* ℈ß. *camom. q. s. M. S. A. ac F. Empl.*

Sed interea temporis externis medicamentis opem tulimus per interna, ac ægroto loco potûs vulnerarii aliquoties dedimus scrupulum oculorum cancrorum ac coralli albi tantundem.

Veteres magno circa vulnera sclopetorum laborarunt præjudicio, putantes eadem esse venenata, atque hac opinione imbutus erat *Joannes de Vigo*, qui talia vulnera ideo oleo fervente tangebat.

Nec minus falsa est eorum opinio, qui credebant globulum plumbeum è sclopeto emissum, dum perforabat carnem, eandem egregiè amburere, nam globus plumbeus contra murum ex sclopeto emissus, ac mox manibus tractatus, nullum sensibilem exhibebit calorem.

Sed unde contingit, ut plumbum per longam annorum seriem in corpore humano absque ulla sensibili noxa aliquando permaneat, non autem æs, ferrum, plurimaque alia extrinsecus immissa? Nonne quotidie videmus in macrocosmo; quam facile æs ærugine, ac ferrum ferrugine inficiatur ab aëre, aqua, aceto, aliisque; cum è contra plumbum nulla tangatur rubigine? Eodem modo res se habet in microcosmo, in quo æs etiam ærugine ac ferrum ferrugine vexatur ab humoribus tangentibus, & sic tubuli astringuntur humores stagnant, coagulantur ac mutantur in pus; plumbum autem in corpore humano delitescens nullâ etiam inficitur rubigine ob copiam salis, quâ gaudet, sicut id docet saccharum Saturni.

Præterea etiam stannum dicitur tentari nulla rubigine, quamobrem & hoc quoque sine damno forsan per longum temporis intervallum in corpore nostro posset delitescere.

Helmontius, *Kenelmes Digby* aliique multum gloriantur de cura vulnerum sympathetica, sed miserè hallucinantur; Dominus *Digby* vas aquâ plenum collocat in loco frigido, in eoque vitriolum commune solvit, ac tandem immergit linteum sanguine ex vulnere prolapso imbutum, putatque multas vitrioli particulas cum aëre deferri ad ægrotantis vulnus, atque hæ particulæ forsan magis nocerent, quàm prodessent, si eo usque pervenirent, sed valde vero simile videtur, quod admodum pauca debeant esse effluvia, quæ aër a vitriolo in loco frigido posito divellit

Antequam finiam, unum problema discutiendum adhuc superest, num verum sit, quod plerique jam temporis certissime sibi persuadent, dari scilicet homines, qui, ob pactum, quod cum Diabolo contraxerunt, corpora habent impervia prorsus, ensibus, aliisque rebus vulnerantibus.

Quamvis ego satis anxiè perquisiverim, tamen neminem adhuc invenire potui, qui per experientiam hujus rei veritatem in corpore suo me poterat docere.

Præterea satis evidens est, quod illud rationi prorsus repugnet, nimirum corpus humanum, quod adeo molle est, a globulis plumbeis, ensibus, aliisque corporibus summâ vi agitatis non posse vulnerari, cum globulus cereus ex sclopleto emissus asseres satis duros queat perforare.

Quodcunque autem rationi ita repugnat, hoc Deus non vult, nam aliàs aliquid vellet, quod propriæ naturæ repugnaret, quandoquidem λόγος seu ratio est ipse Deus.

Quodcunque verò Deus non vult, hoc Diabolus non potest, ideoque illud impossibile prorsus esse judicio, nec unquam adducar, ut credam, tales homines reperiri.

OB-

OBSERVATIO IV.

De Ulcere mirando.

EXtra Arnhemium ultra Rhenum, & quidem in illo loco, qui dicitur belgice *de Praest*, fœmina septuaginta annorum Patris mei, dum viveret, Medicinæ ac Chirurgiæ Doctoris, consilium petiit, quandoquidem laborabat in ea femoris parte, quæ sex digitorum latitudine circiter distat ab inguine, ulcere, cujus cavitas quatuor palmarum latitudinem superabat.

Ex hoc ulcere una vice prodierunt triginta ova humore limpido plena, deinde per aliquot subsequentes dies plura alia egrediebantur, quæ omnia simul sumpta numerum centenarium superabant, eorumque quædam ovi gallinacei, quædam columbini, quædam etiam ovi passeris magnitudinem habebant, singulaque eorum propriâ ac a cæteris separata, candidaque cingebantur membranâ, quæ chartæ lusoriæ crassitiem habebat.

Ovis subventaneis hæc ova valde similla apparebant, omniaque simul in communi crassâque membranâ inclusa jacebant.

His ovis per vices ex ulcere hoc evacuatis sequens injectio in usum revocabatur, aut similis

℞. *Rad. aristol. rot.* ℥ij. *Herb. card. bened. & veronic. ā. M.* j℔. *Oculor, cancr.* ℥j. *Myrrh. & Aloës ā.* ℨiß. *Coque sec. artem in vino gallico ac Colatura usurpetur.*

Atque ita communis ac crassa illa membrana sensim consumebatur, ac patiens tandem pristinæ sanitati restituta fuit.

Hanc fœminam astantium plerique incantatam esse putabant, ac Diabolum hujus morbi authorem asserebant, honorem ac potentiam, quam Deo omnipotenti ascribere debent, Diabolo male tribuentes; nam Deus est causa primaria motuum, qui in hoc universo fiunt corporeo, & secundum leges horum motuum, attendendo tantum ad corporum magnitudinem, figuram, eorumque situm, non modo hujus morbi phænomena, sed etiam multa alia longè mirabiliora feliciter satis possunt explicari.

Si animus tibi sit cognoscere, quo pacto ex grano prodeat planta, oportet te attentè perlegere Anatomiam plantarum per microscopium factam Domini *Grew anglice* & gallice editam; illic in faba majori conspicies rudimentum radicis ac plantæ jam jam contentum; illic intelliges, quo pacto succus per fabæ telluri commissæ membranas transcolatus in fabæ corpore fermentetur, quo pacto per parvum fabæ foramen aëri aditus, ac vaporibus supervacuis exitus ibidem concedatur, quo pacto succus ita fermentatus propellatur ad rudimentum radicis, illúdque in veram radicem convertat, quæ tunc ex terra nutrimentum accipiens, alium succum ab altera parte venientem repellit sursum ad rudimentum plantæ, ut ita vera tandem planta in conspectum veniat.

Si stupendarum in magnete virium, si ignis fatui, iridis, aliarumque rerum causas scire desideres, consule *Cartesium*, qui illas tibi clare explicabit.

Idem Philosophus in tractatu de meteoris itidem te docebit, quod milites in aëre aliquando præliantes, de quibus ignarum vulgus tam multa fabulatur, non sint nisi nubes quædam.

Nescio sane, unde tam male fundatum sit populi judicium, à quo tales casus,

casus, qualis hic est noster, habentur pro incantamento, & lumbrici per vomitum ac secessum ab hominibus tam crebro ejecti pro rebus merè naturalibus, cum tamen longè mirabilior sit lumbricorum, quàm horum ovorum in corpore humano generatio.

Vegelius Matheseos Professor equum ex metallo confecisse perhibetur, qui unico die per aliquot horas incedere potest ope musculorum instar bestiæ viventis.

Reyselius machinam homini similem fabricasse dicitur, in qua liquor quidam per os immissus sanguinis instar nostri circulare cernitur, cujus liquoris pars tenuior per penem ut urina, crassior per anum, velut fæces alvinæ, excernitur.

Quod si homo talia possit, quid Deus, summus ille Architectus non efficere poterit secundum ordinarias leges motuum?

Quo pacto igitur hæc ova producta sunt in hac muliere? multi scilicet pori hujus aut illius arteriæ diversimode distorti ac ampliati sunt hac aut illa de causa in femore hujus fœminæ, unde multi humores profluxerunt & congregati sunt in uno loco, in quo cum fermentari incipiebant, particulæ ramosæ ac ad motum minus aptæ protrudebantur ad latera, ubi ad motum tam celerem non compellebantur, atque ibi cohærentes & sibi invicem implicitæ efformabantur in membranam satis crassam, quæ omnia ova post generata simul continebat.

Quia autem pori arteriæ citatæ diversimode distorti erant, ideo particularum in hac crassa membrana contentarum quædam ab aliis in figura ac magnitudine aliquatenus differebant, ac particulæ consimiles forsan in centum ferme locis diversis confluxere, & sic unaquæque particularum præterpropter similium congeries adhuc fermentationem quandam exercens iterum particulas magis ramosas protrudebat ad latera; & sic membranæ efformatæ sunt, quibus singula ova includebantur.

Atque hoc pacto puto me hujus phænomeni, quod propriis oculis conspexi, causam satis intelligibilem attulisse.

OBSERVATIO V.

De ingenti Tumore colli.

PUella quindecim annorum, quoad cætera bene habens, jam per sexennium laboraverat tumore duro, rotundo, ejusdem cum cute sana coloris, doloris experte, sito in collo, ac panis candidi, qui dimidii sestertii pretio vendi solet, magnitudinem adæquante, nec non ægrotulæ formam misere dehonestante.

Humorem hujus tumoris valde viscosum esse judicabam, atque divisum eum fere in modum, quo liquorem in malo citrio aut aurlaco multis in cellulis contineri cernimus ac depræhendimus.

Ob humoris viscositatem tumor hic discuti non poterat, nec etiam ad suppurationem perduci viâ communi; quare imposui corrosivum, ac ablatâ escharâ applicui cum turunda unguentum basilicum cum therebinthina communi mixtum.

Ac ita quotidie puris viscosi aliquid effluebat, & sic tumoris hujus horrendi moles incipiebat diminui, dum humor viscosus foramini proximus prius evacuabatur, ac deinde etiam ille, qui longius ab ulcere remotus jacebat.

Ubi autem tubuli circa foramen arte factum ab humore valde viscoso obstruebantur, quod sæpius contingebat, tum temporis unguento, quo turunda inungebatur, admiscui croci metallorum nonnihil, ut ita eschara induceretur, quâ separatâ tubuli iterum aperiebantur, & sic puella intra trimestre spatium ab hoc tumore ac concomitante deformitate prorsus sanata fuit.

Non loquar hic de modo, quo corrosivum operetur, quandoquidem id egi in Observatione prima hujus Decadis tertiæ; nec magis explicabo jam temporis, quo pacto eschara separetur, quoniam hoc satis intelligi potest ex Observatione secunda hujus Decadis, ubi doceo, quomodo fragmenta ossium cariosa a parte sana separentur.

Mirabitur forsan aliquis me tam paucis ac tam parum compositis uti medicamentis, sed quorsum tanta simplicium, tantaque formularum remediorum farrago, quam complures adhibent Medici, non alia de causa, quàm ut vanam suam doctrinam ignaris ostentent?

Si pulvis tormentarius ex carbonibus, nitro, ac sulphure tantum confectus in macrocosmo tam stupendos habeat effectus, ut, cæteris omissis, naves ingentes atque gravissimas in altum aëre propellat, ac præterea terram superpositam contremiscere ac dehiscere faciat, cur pauca medicamenta suo tempore sumpta in microcosmo plurimis morbis sanandis non sufficient?

Ego sane assentior *Bacono Verulamio*, magno Angliæ Cancellario, qui phosphorus *Cartesii* a nonnullis appellatur, dicenti, scilicet, quod varietas medicamentorum sit ignorantiæ filia.

OBSERVATIO VI.

De Abscessu mirando.

Vir quinquaginta annos habens vexabatur abscessu infra aurem sito, rotundo, dolente, undulante, ac molli, quo ante aliquot dies correptus erat.

Certò persuasus pus maturum delitescere in hoc abscessu, aperturam feci scalpello, sicque statim haud parum puris albicantis profluxit; sed ubi premente digito effluxum puris aliquatenus promovere volebam, ecce mox in conspectum venit frustum fistulæ, qua tabaci amatores utuntur, adæquans longitudinem dimidii digiti, quod forcipe ex recens facto foramine protraxi.

Pure sensim evacuato affectum hunc more aliorum abscessuum brevi temporis spatio sanavi, sic ut in cura nihil evenerit, quod observatu dignum reperiatur.

Frustum autem illius fistulæ inopinatò ex hoc abscessu prodiens astantibus non modo occasionem præbuit admirandi rarum adeo phænomenum, verum eosdem etiam extemplò ad Diabolum, ejusque incantamenta confugere fecit.

Sed ignarum vulgus mox ad Diabolum procurrit, quando eidem effectus aliquis occurrit, cujus similem nunquam antea vidit.

Nam licet aliquid conspiciat, cujus causam expiscari ignorat, non ideo illud Diabolo statim ascribit, dum modo hoc sæpius ante hac conspexerit; sic ignivomi illius, qui nulli fere harum regionum ignotus esse potest, stupendas actiones

actiones pro naturalibus habet, non pro præstigiis Dæmonum, quia scilicet hæc sunt talia, quæ sæpius vidit, licet eorum rationem reddere nequeat, ac causam penitus ignoret.

Sic ante aliquod tempus Lugduni Batavorum Italus quidam fuit, qui, post magnam aquæ limpidæ copiam assumptam, evomebat eandem in varia vasa crystallina non limpidam, sed diversi coloris ac saporis in singulis vasis.

Hic effectus crebro spectatus populum causæ ignarum tantum in admirationem rapuit, de Diabolo verò erat illic altum silentium. Dominus *Overcamp* autem hujus phænomeni causam, sicut in primo genito ingenii sui partu refert, statim expiscatus est, in singulis nempe vasis crystallinis vidit & obfecit diversum oleum subtile, quod aquam immissam aliter tingebat in hoc, aliter in illo vase.

Non sine ratione ait *Virgilius*, quod sit felix, qui potuit rerum cognoscere causas, nam illis notis phænomena nunquam antea conspecta non valde mirabimur, multo minus eadem referemus ad potentiam quandam imaginariam Diaboli cum desidioso populo, qui de veris rerum causis parum sollicitus esse depræhenditur.

Verum enimvero quid tandem in causa fuit, quod frustum fistulæ ex affectu nostro prodierit? ubi ægrum bene examinavi, ex eodem intellexi, quod ante sex menses, dum per plateas obambulabat ac tabacum sugebat, in terram prolapsus sit, & fauces interne per fistulam læserit, ex quibus sæpius magna sanguinis copia promanavit; scilicet frustulum fistulæ confractæ profunde in fauces adauctum primo hanc hæmorrhagiam, ac postea externum abscessum citatum infra aurem produxit, ex quo aperto fistula prodiit.

OBSERVATIO VII.

De Lapillo in meatu urinario contento.

PUerulus quinque annorum subito de summo penis conquerebatur dolore, ac urinam reddere nequibat.

Ego accersitus, prout judicavi, per ferrum exploratorium tetigi lapillum grani piperis magnitudinem habentem, sed asperum magis, in meatu urinario contentum, qui quomodo vehementem hunc intulerit dolorem, ac urinæ egressum impediverit, non est, quod explicem.

Instrumenta idonea a multis authoribus in tali casu commendata jamjam in usum revocata fuerant, sed incassum, quid igitur hic agendum restabat?

Ego ægrotulo mox propinavi duo cochlearia sequentis mixturæ

℞. Aq. antinephrit. petrosel. & Fœnic. ā. ℥j. Syr. de althæa Fern. ℥ß. Oculor. cancr. ʒj. Salis prunell. ʒß. stip. fabar. ℈j. M. S.

Ac deinde matri jussi, ut os suum filioli peni applicaret, ac sugeret aliquandiu, quantum posset, atque hoc pacto lapillus brevi eliciebatur foras usque ad urethræ extremitatem, unde tunc forcipe facile extrahebatur, sicque puerulus ille citò, tutè & jucundè a dolorifico hoc affectu liberatus est.

Loquendum est cum vulgo, non autem sentiendum, ut commune sonat proverbium; dixi, matrem suxisse, quamvis interea certissime sim persuasus, nullam dari suctionem, sed omnem motum fieri per pulsionem; mater nimirum, ore peni admoto ac labiis arcte circumpositis per diaphragmatis contractionem ventrem protuberare fecit, atque ita aër externus præssione sua

lapillum propulit ad extremitatem penis in ore matris contentam, quod eò facilius contingebat, quia pauculum aëris in ore matris contentum a calore ibidem existente rarefiebat, atque ita debilius aëri externo ab abdomine protuberante propulso minus resistebat, sicut aër rarefactus sub cucurbitula vitrea calefacta contentus non obstat, quominus subjecta cutis attollatur in tumorem, adjuvante ad id externi aëris pressione; ut autem hæc lapilli propulsio eò meliùs procederet, suum præterea huc contribuebat linguæ commodè appositæ continua ferè agitatio.

Nemini autem mirum videri debet, quod aëris pressio tantum valeat, nam hæc alia multo mirabiliora præstat, ac in causa est, ut duo hemisphæria ænea, ex quibus aër per antliam pneumaticam magna ex parte sublatus est, sibi invicem tam valide adhærescant, ut pondus mille librarum illis iterum separandis non sufficiat, cum tamen perfacili negotio possint, disjungi, ubi aër rursus intromittitur, sicut id ipsum meis oculis conspexi Lugduni-Batavorum in elaboratorio *Burcheri de Volder* acutissimi solidæ philosophiæ Professoris ibidem; & si quis plura de his desideret, adeat experimenta Magdeburgica figuris æneis adornata.

OBSERVATIO VIII.

De Contusione subitò sanata.

VIr annum agens trigesimum in sphæristerio pilam a reticulo summa vi impulsam accepit circa oculum dextrum, unde statim dolor exortus est atrocissimus.

Patiens in memoriam sibi revocans alios, quos antea eodem modo læsos è vestigio vidit sanari solâ aquâ frigidâ mox ab ictu continuo admotâ, statim applicuit parti contusæ sudariolum suum aquâ frigidâ madefactum, illudque, quamprimum intepescebat, novâ aquâ frigidâ iterum imbuebat.

Postero die ictum subsequente amici, qui hoc infortunium accidisse intellexerant, ægrotum invisebant, sed utrumque oculum sanum ac bellè habentem conspicientes prorsus obstupescebant, quandoquidem firmiter sibi persuadebant oculum, qui ictum adeo vehementem acceperat, egregie debere livescere ac dolere.

Verum quid hoc sibi vult? an aqua frigida jam proderit in contusione? illa nocere potius videtur, quia sanguinem extra vasa prosusum incrassat, coagulat ac stagnare facit; nonne spiritus vini, aliaque medicamenta, quæ sanguinis motum adaugent, hoc in casu potius convenissent?

Ut hujus difficultatis solutionem clarè concipias, scire oportet, in partibus a pilâ valde adauctâ læsis vascula quædam sanguifera valde parva fuisse aperta, quæ si jam sanguinem in tubulos partium læsarum profudissent, tunc aqua frigida nocuisset; verum enimvero hæc aqua frigida adhibita fuit, antequam sanguis exiisset, & sic non tantum hæc vascula valde exigua suo frigore iterum occlusit, sed præterea in causa fuit, quo minus novus sanguis hæc vascula intraret per aliquod temporis intervallum; sic faciem nostram, rubentem non alia de causa, quàm quia per ejusdem cutim dispersa jacent multa vascula exilia sanguine plena, pallescere cernimus a frigore aquæ, aëris, aliarumque rerum, quia illud pro tempore prohibet, ne sanguis hæc exigua faciei vascula ingrediatur; sic jucundum ac juvenes ad basia stimulantem labiorum in formosa virgine ruborem mutari cernimus in pallidum colorem

colorem ab aceto sanguinem a vasculis per labiorum superficiem disseminatis arcente.

Atque talia tentare velle, ubi tubuli partium contusarum jam sanguine extra vasa prolapso repleti sunt, extrema dementia mihi videtur, ac non rarò gangrænam in parte contusa exortam esse novi a frigidis & adstringentibus intempestivè usurpatis.

OBSERVATIO IX.

De duro Tumore abdominis.

PUella quinque annorum malæ diætæ assueta vexabatur per longum tempus abdomine admodum tumido, duroque, ac facies existebat pallida. Frustra jam fuerat usurpatum linimentum sequens

℞. *Ung. alth. comp. & Ol. lilior. alb. ā.* ℥ß. *de lateribus* ℥j. *M. S.*

Quod tamen in simili casu non parum laudatur a Clarissimo *Sylvio* in praxeos libr. I. cap. XIV. titul. LVI.

Rem bene considerans judicabam sanguinem hujus ægrotulæ existere nimis viscosum ac acidum, atque ea propter multas omenti glandulas esse obstructas, ac miram in molem adauctas; & quo pacto pallor faciei ex tali sanguine producatur, unicuique notius esse puto, quàm ut opus sit illud explicare.

Mirabitur forsan aliquis, nec credet, glandulas omenti in tantam excrescere posse magnitudinem, ut causa sint tanti, adeoque duri tumoris, qualis in abdomine hujus puellæ tactu percipiebatur, sed illum inspicere volo *Fabritium Hildanum*, qui narrat in Centuriæ tertiæ Obs. LXII. se aperuisse cadaver, cujus omentum ob glandulas intumefactas habebat pondus quinquaginta sex librarum.

Rebus ita constitutis nihil proficuum magis esse judicabam emplastro styptico *Paracelsi*, quod abdomini imponi jussi, post quam super linteum esset extensum ac inunctum oleo nucis myristicæ.

Ac ut sanguinem viscosum & acidum corrigerem, puellæ quotidie bis exhiberi jussi guttas aliquot salis volatilis oleosi, atque hoc pacto ægrotula nostra paucorum mensium spatio feliciter pristinæ sanitati restituta fuit.

OBSERVATIO X.

De Scorbuto.

VIr annos natus triginta alimentis viscosis nec non acetariis, ut malus mos est *Gelris*, quotidie abutens, incidit in manuum pedumque gravitatem, atque dolorem; gingiva magna ex parte consumpta ad minimum contactum emittebat sanguinem; saliva salsum muriæ instar referebat saporem.

Rebus hisce attento animo ponderatis sanguinem acidum nimis ac viscosum hic peccare judicavi, qui ratione aciditatis manuum pedumque dolorem inferebat, & gingivam, ejusque vascula sanguifera exedebat, respectu verò nimiæ viscositatis tubulos manuum pedumque obstruebat ita, ut liber spirituum animalium transitus in musculos aliquatenus impediretur, unde gravitas prædicta exoriebatur.

Loquor

Loquor hic de spiritibus animalibus, nam quamvis liquor subtilis sit, qui per nervos ad motum ciendum defertur in musculos, tamen non video, cur hic liquor nervosus minus mereatur spiritus nomine insigniri, quàm liquor destillatione chymica ex cornu cervi prolectus, sed inanibus quæstionibus de nomine omissis, rem ipsam aggrediamur.

Morbus hic in hisce regionibus valde familiaris existit, ac plerunque Scorbuti nomine innotescit; & difficillime sanatur, ubi progressu temporis altas egit radices, quapropter ad hujus morbi medelam statim me contuli, ægroto seriò commendans, ut acidis atque viscosis alimentis in posterum valediceret, & sequens medicamentum præscribens

℞. Spir. cochlear. ℥ß. Sal. armon. cum sal. tartar. destill. ʒij. Ol. tartar. per deliq. & Tinct. vermin. majal. ā. ʒj. M. S.

Sedecim guttas hujus medicamenti ægrum assumere jussi ex decocto summitatum abietis ter quotidie, & quidem eum in finem, ut spiritus cochleariæ, salis armoniaci, & tinctura vermium majalium cum decocto citato viscosum sanguinem attenuaret, ac acidum ejusdem infringeret; addidi autem oleum tartari per deliquium, ut hoc pacto sal volatile sanguinis ab acido vinctum ac victum iterum pristinam libertatem recuperaret, atque ita sanguinem fluidiorem redderet ac magis vegetum; sicut videmus salem volatilem cornu cervi aut alium quemvis cum spiritu coagulatum & conjunctum ope salis alkalici ac aquæ communis per destillationem iterum pristinæ libertati restitui ac ab acido separari.

Quoad tincturam vermium majalium, notandum est, illam cum spiritu salis acido confici non debere, ut nonnulli facere consueverunt, quia hoc pacto sal volatile vermium majalium infringitur & enervatur.

Atque hoc pacto ægrotus noster exiguo temporis intervallo sanatus est.

Sed antequam huic tertiæ Decadi finem imponam, difficultas non exigua adhuc enodanda superest; acidum scilicet hujus morbi causam esse affirmo, ac interim refero, salivam salso præditam fuisse sapore; quo pacto hæc cohærent? nonne illa sibi invicem manifestè contradicunt? minimè, tribus verbis hunc nodum me soluturum polliceor; nimirum non parum salis volatilis in sanguine contenti cum acido fuit coagulatum, quo coagulo onerata saliva salsum hunc exhibuit linguæ saporem; sic sal commune, quo in culina quotidie utimur, salsum gustari non desinit, quamvis non parum acidi secum habeat permixtum, ut spiritus salis destillatione chymica inde prolectus nos poterit docere.

Tertiæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis

F I N I S.

DECA-

DECADIS QUARTÆ.

OBSERVATIO I.

De Gingiva malè habente.

Matrona quadragenaria haud parum scorbutica conquærebatur de atrocissimo dolore gingivæ, quæ valde exesa erat, ac ad levem contactum statim fundebat sanguinem, & præterea dentes anteriores vacillabant. Patiens secundum methodum vulgarem post venæ sectionem jam sæpius per alvum purgata fuerat, sed incassum.

Quomodo acidum aliquatenus corrosivum hujus doloris causa extiterit, gingivam exederit, dentesque vacillare fecerit, hic explicare supersedebo, quandoquidem illud per se satis clarum esse existimo.

Malum hoc aliquando degenerat in miserandum illum affectum, quem Belgice nuncupamus *de Mater kanker*, ideoque non parvi faciendum.

Volui, ut ægrota, quantum posset, ab acido sibi caveret, ac internè eidem propinavi spiritum, de quo locutus sum in prægressæ Decadis Observatione ultima, simulque præscripsi sequens medicamentum externe usurpandum

℞. *Tinct. gumm. laccæ* ℥j. *Spir. cochlear.* ʒiij. *Ol. tartar. per deliq. gutt.* xiij. *M. S.*

Hoc medicamento quater quotidie tangebatur ac lavabatur gingiva, & sic paucis interjectis diebus ægra a dolore liberata fuit, sanguinis ex gingiva profusio cessabat, dentesque non vacillabant amplius, sed pars exesa gingivæ non redibat, quod mirum videri non debet, quoniam æquè impossibile est consumptam gingivæ partem regenerari, ac digitum semel abscissum iterum renasci.

Aliquando materia quædam lapidea dentibus adnascitur, quæ scabritie sua gingivam lacerat, quo in casu præcedens medicamentum ne quicquam adhibebitur, nisi prius hæc materia idoneo instrumento fuerit sublata.

Si scire desideres modum præparandi tincturam gummi laccæ, oportet, ut adeas *Fredericum Deckers*, Practicum celeberrimum, in exercitationibus practicis circa medendi methodum.

Antequam finiam hanc observationem, cohibere me nequeo, quin taxem frequentem eorum errorem, qui oleum vitrioli adhibent ad dealbandos dentes nigricantes, nam licet hoc è vestigio dentium nigredinem tollat, tamen deinde dentibus nocet, quoniam sal volatile corrumpit, quod magnâ copiâ naturaliter in dentibus esse reperitur; longe præstaret, ut illi, qui dentium nitore delectantur, semper post pastum os suum aquâ purâ eluerent ac purgarent, semelque in septimana dentes pulvere terræ porcellanæ fricarent.

Si quis tandem sit, qui mihi credere nondum vult, aut potest, dum dico, quod dentibus noceat acidum, ut oleum vitrioli, aliaque similia, credat saltem SALOMONI, Regum sapientissimo, qui Dei spiritu actus ait in Proverb. cap. x. vers. 26 *quod acetum dentibus, quod fumus oculis, hoc piger est iis, qui eundem emittunt.*

Si

Si jam acetum dentibus, teste SALOMONE, adeo inimicum fit, quid damni non afferet oleum vitrioli, quod multo acrius existit ac magis corrosivum.

OBSERVATIO II.

De Ambustione.

Viro annum agenti trigesimum pulvis tormentarius accensus omnem faciem cum utraque manu ambusserat, unde mox rubor ac dolor provenit atrocissimus, ad quem demulcendum, quod forte ad manus erat, atramentum imposuit æger.

Si conspexisses hoc in statu patientem, diabolum te videre affirmasses, nisi cum æthiopibus diabolum album esse tibi persuaderes, cui opinioni favere videtur *Thomas Browne in Pseudodoxia epidemica*, Sacræ Scripturæ innixus, testimonio, quæ dicit in *Apocalypsi Johannis* c. XXIX. vers. 20., quod Satanæ domicilium fit stagnum ignis ardens sulphure; fumus autem accensi sulphuris, ut author mox citatus philosophatur, crebrà experientiâ teste, dealbat vestimenta lanea, ut caligas, aliaque, & sic, quicquid in inferno reperitur, album esse concludit; sed his obiter dictis transeamus ad id, quod res est.

Accersitus partibus læsis imposui cæpas cum melle communi contusas; quod medicamentum valde prodest partibus ambustis in principio adhibitum, si cutis adhuc integra esse reperiatur, nam eâdem læsâ dolor vehemens inde absque dubio secuturus hoc medicamentum tunc minimè convenire docet.

Postero die multæ vesiculæ per manus ambas vultumque sparsæ in conspectum veniebant, quæ tertiâ a combustione luce forpice apertæ haud parum aquæ limpidæ fundebant.

Tunc sequens cerotum præscripsi,

℞. *Ceruf. & Pulp. rad. consol. maj. ā. ℔j. Lithargyr. Lap. calamin. Minii Ol. olivar. & Ceræ ā. ℥vj. F. Cerot.*

in cujus confectione notandum, oleo & ceræ prius liquefactæ addi debere pulveres subtilissimè tritos & cribratos, ac ubi hæc fermè refriguerint, intermisceri debere pulpam prædictam, quæ hoc pacto extrahitur; radices scilicet prius purgatæ ac in orbiculos scissæ in aqua communi coquuntur ad mollitiem, sicque per linteum rarum trajiciuntur.

Hujus ceroti unciis tribus admiscui tantundem unguenti aurei, cujus descriptionem nobis exhibet Pharmacopæa Amstelodamensis, atque hoc medicamento lintea subtilia ac mollia inuncta partibus læsis imponebantur, & sic ægrotus noster brevi sanatus est.

Unde rubor & dolor prodierit, facilè intelligere poteris, si modo consideres, quod pulvis pyrius accensus & sic in motu positus celerrimo & valde vehementi multas cutis fibrillas læserit ac disruperit, hinc namque facillimo negotio deduci potest dolor in ipsa ambustione se manifestans, cujus continuatio exoriebatur ex eo, quod ob disruptionem fibrillarum multi tubuli obstructi sint, in quibus humores stagnabant, sicque partes vicinas distendebant, ac deinde etiam acescebant, fibrillasque hoc pacto scindebant ac lacerabant; vesiculæ autem excitatæ sunt ab humoribus stagnantibus ac coacervatis circa cuticulam, quam, utpote a flamma constrictam, penetrare nequibant.

Cæpas autem cum melle applicui, ut copioso suo sale volatili poros cuticulæ

culæ constrictos & obturatos referarent, humores acescentes temperarent, eorumque circulationem restituerent.

Vesiculas autem tertio demum die aperui, quia aliàs nuda cutis subjacens ab aëre ambiente, ut & a medicamentis nimis patitur & dolet, sed tertio die sæpius iterum adest novæ cuticulæ rudimentum.

Applicui tandem cum unguento aureo cerotum præscriptum ad acidum peccans temperandum.

Ubi partes tantum leviter ambustæ sunt; hoc est, ubi fibrillæ cutis ab ignis vi tantum valdè agitatæ sunt, nullæ autem aut paucæ disruptæ, ac ubi cuticula tantum leviter corrugata, tunc oleum tartari per deliquium sufficit, si eo nempe pars affecta leviter tangatur, quia ita pori cuticulæ ac tubuli cutis aperiuntur, & acor humorum stagnantium temperatur, ut in me ipso non ita pridem expertus sum, ubi pedem tincturâ fervidâ Coffæ ambusseram non sine dolore ac rubore.

OBSERVATIO III.

De Hernia.

SEptuagenarius in scroto vexabatur tumore valde magno ac dolorifico, ejusdem cum cute sana coloris; tormina sentiebat in abdomine ac evomebat quicquid assumebat; jam per viginti quatuor horas hoc in statu constitutus opem meam implorabat.

Æger inter examen a me institutum retulit se jam per longam annorum seriem laborasse hernia, quæ sæpius eum, intestino in scrotum prolapso, mirum in modum molestabat, ac iterum nullum afferebat incommodum, cum intestinum in locum suum recessisset; intestinum autem hoc nunquam ante hac tamdiu extra abdomen exulaverat, quàm jam; & quicquid moliebatur æger, illud reponere non potuit.

Morbum hunc satis periculosum esse, amicis prædixi, quia tamdiu extra abdomen permanserat intestinum; sic vir quadraginta annorum Ultrajecto Arenacum pede profectus incidit in herniam scrotum infestantem (cui herniæ antea etiam obnoxius erat, sed tantum in inguine) & tamen adhuc per quatuor horas incessit pedibus, unde tumor valde excrevit, eratque valde durus, & dolens; æger interim semper vomebat, ac frigori expositus in stramine per totam noctem jacebat apud Rusticum; postero die curru advectus est Arenacum continuo vomens.

Mixtura ægro propinabatur flatus discutiens, sed eam mox vomitu rejiciebatur; tres præterea clysteres injecti sunt, sed sine fructu; æger in bono situ positus est, fotus humidi siccique imponebantur parti affectæ, sed his nihil juvantibus ægrotus quarto ægrotationis die è medio sublatus est, pulsu sensim diminuto.

Aperto cadavere intestinum ileum inventum fuit gangræna affectum spithamæ longitudine, ac situm in scroto cum flatibus & excrementis duris; præterea magna pars omenti continebatur in scroto convoluta instar pilæ cum vasis sanguiferis valde distentis.

Interea autem amicos ægri admonui, ne animum nimis despondérent, ac eum in finem iis narravi Observationem octavam *Riverio* communicatam a Domino *Ozia Almar* Chirurgo Grationopolitano celeberrimo, in qua post multa remedia per novem dies in cassum usurpata intestinum per totidem

 luces

luces in scroto commoratum repositum fuit feliciter incisione factâ usque ad productionem peritonæi, quæ intestinum strangulabat; modum autem, quo hæc instituta fuit operatio, in mox citata Observatione reperies.

Sed unde provenit, quod in hernia intestinum prolabatur in scrotum, aliasque partes? ob relaxationem peritonæi, quæ exoritur ex eo, quod multi ejusdem tubuli obstruantur, inque illis stagnent ac coacerventur humores, qui progressu temporis se insinuant inter fibrillas peritonæi, illudque hoc pacto relaxant.

Cur jam intestinum in scrotum nostri patientis delapsum non tam facile rediit in abdomen, quàm inde egressum est, cum via sit eadem? hoc præcipue contingit, quia intestinum tamdiu extra abdomen permanserat, ubi minor est calor, nam pori intestini eo modo aliquatenus obturati impedivêre, quo minus vapores ob minorem calorem etiam aliqua ex parte condensati ex intestino in scroto decumbente libere quaquaversum egrederentur, quapropter illi coacervati sunt in intestino, illudque distenderunt flatibus, vulgo ita nuncupatis.

Hinc igitur satis manifestum evadit, præcipuam hujus mali medelam consistere in eo, ut pori intestini extra ventrem exulantis obstructi recludantur iterum, ac vapores aliquousque condensati majore motus ac agitationis quantitate donentur, ut sic rursus citato gradu circa propria sua centra rotentur.

Utrumque hunc effectum consecutus sum lino nendo recenter contorto ac nondum coctione depurgato, nam ubi hoc, prius in lacte dulci coctum, calidè per quadrantem horæ fuisset impositum parti affectæ; intestinum blanda manus agitatione in abdomen ægri in bono situ collocati remigravit.

Æger hoc pacto ex vicinis Orci faucibus ereptus postea cum piscatore ictus sapuit, ac gestavit vinculum ferreum externè vestitum ad intestinum intus retinendum; nam homines provectæ adeo ætatis a tali malo prorsus velle sanare, est oleum ac operam perdere; contigit enim admodum raro, quod *Fabritius Hildanus* refert in libro suarum Observationum, nimirum sexagenarium per viginti annos hernia magna laborasse intestinali, quæ a nullo Medicorum, aut Chirurgorum potuit sanari, eumque senem postea sine medicamentis in totum esse restitutum pristinæ sanitati, postquam morbo aliquo periculoso decubuerat in dorso per semestre spatium, ideoque optimum contra herniam remedium citatus Author esse affirmat quietem & decubitum in dorso.

Hernias verò puerulorum sæpissime sanatas esse vidi, & quidem præsertim circa octavum ætatis annum, bonâ fasciâ ex linteo confectâ ac emplastro carminante *Silvii* extenso super corium, quod reperitur *Praxeos* lib. 1. cap. 14. titulo 54. in quo tamen unum errorem, quem neminem secuturum spero, annotare lubet, scilicet quod gummi galbanum, aliaque solvantur in aceto salem volatilem eorum non parum infringente.

OBSERVATIO IV.

De Tumore Mammæ suppurato.

FŒmina lactans jam per aliquot dies laboraverat tumore duro, rubente ac dolorifico, in superiori mammillæ parte sito.

Imposito emplastro styptico *Paracelsi* tumor brevi suppuratus est ac sponte apertus, multumque puris laudabilis aliquandiu inde profluit; intereà temporis aperturæ imposui balsamum Arcæi, cujus hæc est descriptio.

℞. *Axung.*

℞. Axung. ovis, Gumm. elem. & Thereb. ven. ā. ℥ij. Ol. hyperic. ℥iß. Ceræ ℥ij. Santal. rubr. ʒj. misce, liquefiant omnia, percolentur, ac fiat Balsamum.

Applicui præterea emplastrum styptioum *Paracelsi*, ac superposui sacculum calidum farinâ secaliceâ impletum ad duritiem reliquam emolliendam, atque ita tumor hic paucorum dierum intervallo sanatus est.

Haud explicabo jam temporis modum, quo apostema producatur, pus generetur, ulcus mundetur, aliaque plura, de quibus egi suprà, sed tantum annotabo, me contra vulgarem motem nullis hic usum fuisse turundis, nec sine ratione, quoniam eædem in multis casibus huic nostro similibus plerumque plus detrimenti afferunt, quàm solaminis aut utilitatis, nam fundum ulceris pungendo lædere, ac labia ejusdem callosa reddere solent; & intereà nihil prosunt, quia pus absque earundem ope sæpius satis feliciter effluere comperitur.

Non tantum in hoc apostemate, sed & in multis aliis observavi, primis diebus post tumoris apertionem pus albicans effluere, postea verò succum quendam pellucidum, subflavum, oleosum, ac viscidum aliquatenus, ex cujus conspectu, crebrò experientiâ doctus, judicare consuevi malum brevi fore sanatum; & peccant quicunque, mox descripto succo conspecto, apostemata intrusis suis turundis aperta servare volunt.

Ac ut dictis facilius fidem adhibere queas, experientiam hanc solida ratione confirmare conabor; quod ex apostemate aperto per aliquot dies pus albicans prodeat, fit, quia acidum fermentum, quo imbuta est interior apostematis superficies, miscetur cum succo nutritio ob interruptos tubulos in tumoris cavitatem prolabente, sed ubi fermentum hoc acidum evanuit, tunc humor nutritius in conspectum venit syncerus, hoc est pellucidus, subflavus, oleosus, ac viscidus aliquatenus.

Liquorem autem oleosum, prius pellucidum, ob acidi admixtionem, album nancisci colorem, nemini proculdubio mitum videri poterit, qui vel semel in vita vidit, quàm cito oleum olivatum post admixtum acetum albo colore se præbeat conspiciendum.

OBSERVATIO V.

De duro Mammillæ Tumore dissoluto.

MAtrona lactans, nocte quadam nimio frigori mammillam sinistram exponens in lecto; postero die conquærebatur de tumore magno, duro, ac dolorifico ejusdem mammillæ, qui continuò capessebat incrementum; dies aliquot abiêre, antequam ad consilium vocatus accessi.

Butyro insulso cum creta communi mixta tumor hic quotidie bis inungebatur, sacculo farinâ secaliceâ pleno calidè superposito; & interim lactabat ægra singulis diebus aliquoties infantem; atque horum paucorum ac parum compositorum medicamentorum ope tumor hic fœliciter sublatus est.

Scilicet ob frigus admissum lac in glandulis quibusdam stagnabat, coacervabatur, ac acescebat, unde durities ac dolor facile deduci potest.

Creta autem cum butyro insulso permista acorem lactis stagnantis temperavit, & ita, quicquid in glandulis coagulatum erat, dissolvit, suppetias interea ferente, sacculo cum farina secalicea calidè imposito.

Creta vero quid queat ad humores acidos corrigendos conſpicere tibi licebit, dummodo eandem in vitro miſceas cum aceto, quandoquidem mox ex utriuſque commiſtione effervеſcentiam ſpectabis, ac audies egregiam & valde manifeſtam, quamvis quoad tactum noſtrum frigidam; ac poſtea animadvertes, acredinem aceti haud parum eſſe diminutam.

OBSERVATIO VI.

De ſummo Abdominis Cruciatu.

VIrgo quadraginta annorum jam per ſex ſeptimanas in ſuperiore abdominis parte conquæſta eſt de atrociſſimo dolore, haud latè tamen extenſo, ſed in exigua valde ventris parte tyrannidem ſuam exercente, noctеſque dieſque crudeliſſime patientem torquente; quæ plurima tam interna, quàm externa adhibuit remedia; purgata eſt, venæ ſectionem paſſa fuit, ſed ſine fructu; ſic ut jam propemodum de recuperanda priſtina ſanitate deſperaret; cutis interim externa in parte dolente a ſana diſtingui non poteſt.

Accerſitus novaculâ feci vulnuſculum, quod vulgò fonticulum appellare conſueverunt, illudque per piſum impoſitum, ac ſingulis diebus ſemel renovatum apertum ſervavi.

Poſtero die poſt incisum fonticulum ſolamen ſtatim aderat doloris, qui de die in diem magis magiſque evaneſcebat, ſic ut brevi in totum ſublatus fuerit.

Unico menſe poſt vulnuſculum factum elapſo fonticulum iterum coaleſcere permiſi, & ſic ægra a ſummo hoc cruciatu brevi temporis intervallo ſanata fuit, & permanſit.

Scilicet particulæ quædam acido-corroſivæ in parte affecta forſan ſeparatæ ſunt ab aliis maſſæ ſanguineæ particulis, quibus quamdiu involutæ jacebant, acredinem ſuam exerere non poterant.

Sic nitrum linguæ impoſitum nullam aut valde exiguam affert moleſtiam, cum tamen ſpiritus nitri linguam non parum corrodat, quia jam nactus eſt libertatem, ac ſeparatus ab aliis nitri particulis, quibus antea immixtus erat.

Eodem modo tartarus vitriolatus linguam parum mordet, cum tamen ſpiritus vitrioli deſtillatione inde iterum ſeparatus priſtinam recuperet vim corroſivam, quâ antea pollebat.

Hæ autem particulæ acido-corroſivæ a vaginis, quibus antea incluſæ fuerunt, liberatæ ac in exigua abdominis parte collectæ acie ſua fibrillas mirum in modum continuò agitabant, ſicque cruciatum ferme intolerabilem inferebant, qui ceſſare neceſſariò debebat, ubi hæ particulæ corroſivæ cum pure per fonticulum foras propulſæ ſunt.

OBSERVATIO VII.

De Papilla ſanguinem fundente.

UXor honeſti viri lactans, dum infantem ab excrementis alvinis purgaret, offendit eadem nigricantia; infans interim aliquatenus ægrotabat.

Interrogatus hac ſuper re, ab infantis matre primò quæſivi, num illa ſen-

sentiret aliquem in papilla dolorem; quod affirmavit; jussi igitur, ut comprimeret aliquatenus, me præsente, papillam, & tunc sanguinem inde promanantem conspexi ob vasculum unum aut alterum in papilla læsum, qui sanguis ab infante assumptus, ac per alvum evectus, nigricabat, ob acidum fermentum in ventriculo infantis admistum.

Mater jussu meo Gummi Arabicum in laminas tenues discissum, siccatum & pulverisatum aspergebat digito propriâ salivâ prius madefacto, eoque papillam tangebat, atque ita postero die ab hoc malo prorsus liberata fuit & permansit.

Clarissimus *Sylvius* in Praxeos Medicæ lib. tertio, cap. x. titulo XXVIII. & seq. hunc sanguinem ex lactantium papillis nonnunquam prodeuntem tanquam inconcussum argumentum affert ad demonstrandum, quod lac non generetur ex chylo, sed ex sanguine, sed hallucinatur in eo, quandoquidem ille sanguis prolabitur ex vasculis sanguiferis vi suctionis, aut aliter vulneratis.

In papillis non rarò conspiciuntur fissuræ, quæ lactantes summo afficiunt cruciatu, ac difficulter sanantur, quia papillis ob infantum suctionem nulla aut exigua quies conceditur; has autem fissuras sæpius brevi temporis spatio sanavi, dum papilla singulis diebus aliquoties leviter tangebatur pennæ pluma imbuta oleo myrrhæ, cujus descriptionem videre licet in Pharmacopæa Amstelodamensi.

OBSERVATIO VIII.

De summo Auris Cruciatu.

Virgo viginti annorum jam per quindecim septimanas egregie conquæsta fuerat de auris dolore propemodum intolerabili, ac per totas aliquando noctes somnum prohibente; auris intereà temporis multum puris bene cocti quotidie fundebat; complura jam medicamenta sine fructu fuere adhibita.

Accersitus ad omnes & quidem minimas circumstantias tam circumspectè, quàm potui, attendebam, tandemque digitis meis persensi undulationem quandam puris profunde siti post aurem affectam; atque hic abscessus ab aliis non fuerat observatus, licet causa foret totius mali.

Rem bene mecum perpendens facile intellexi hunc abscessum post aurem nunquam sponte, hoc est, absque externo artificio iri apertum non tantum ob profunditatem suam, sed præterea etiam, quia pus inibi contentum jam per aurem exitum sibi quæsiverat; quamvis valde sinuosum ac minime sufficientem; quapropter mox imposui corrosivum satis acre, cujus eschará separatâ ingens copia puris bene cocti prodibat ex arte-facto foramine, ac post illud tempus auris dolor & puris ex auris cavitate profluxus protinus in totum cessavit; foramen autem corrosivô inductum, omni pure per illud evacuato, intra duas septimanas prorsus coaluit, ac ægrota omnino restituta fuit pristinæ sanitati.

Hanc aperturam post aurem, nulla mora interjecta, fieri debere existimabam, ne pus alias tandem os subjectum attingeret, illudque temporis progressu carie inficeret; quanquam pus bonum super osse aliquamdiu moram nectens non necessario semper inducat cariem, sicut id exemplo sequenti demonstrare mihi facile est.

Vir circa trigesimum sextum ætatis suæ annum tempore brumali, ac

aëre ventis haud parum agitato iter faciens, brevi post sentiebat auris dextræ dolorem, ex qua deinde quotidie prodibat nonnihil puris, tuncque aderat doloris illius non mediocre levamen; postea, pure non amplius promanante, æger de summo iterum conquærebatur cruciatu, qui, noctu non rarò delirium producens, jam per aliquot menses duraverat, nec ullis externis, internisve remediis obsecundabat.

Advocatus post aurem reperi tumorem longe lateque extensum, in quo pus contineri firmissime mihi persuasi, licet ob profunditatem loci, in quo pus delitescebat, palpando nulla animadverti posset undulatio; imposui igitur corrosivum, cujus eschara valde crassa separata incredibilis puris copia profluxit; hoc autem pus jacuerat super os petrosum quod totum nudum existebat, sicut id specillo observare facile potui; ac interim tamen absque ulla fragmentorum osseorum separatione patiens intra sex septimanas prorsus sanatus est, ac sanus postea permansit, non adhibitis aliis medicamentis, quàm injectione idoneâ, bono digestivo, ac tandem, osse iterum contecto, tincturâ meâ antimonii, quàm externe multis in casibus mirum in modum prodesse quotidiè comperio.

Tympano auris ab ulcere eroso auditum superstitem permansisse legere datur apud *Vopiscum Fortunatum Plempium* in fundamentis Medicinæ p. 148.

Præterea memini me conspexisse *Rotherodami* apud *Jacobum Lodensteyn*, classis navalis Archi-Chirurgum, virum dexterrimum, officula auditus omnia, quæ post ulcus ex aure pueri alicujus prodierant; sed puer hic eâdem aure postea nunquam audivit.

Novi Chirurgum, qui ad dentium dolorem auferendum urit aurem ferro ignito, sed ridicula ac inutilis videtur hæc operatio.

OBSERVATIO IX.

De Cubito propter ligamenta relaxata dislocato.

JUvenis quindecim circiter annorum, vespera quadam in vestibus exuendis occupatus, brachii immobilitatem subito ac inopinato cum sonitu quodam persentiscit, exortam ex eo, quod cubitus esset dislocatus, qui facili negotio reponebatur, sed postea sæpissime iterum ad minimum motum è sede sua prolapsus est; hoc malum jam per triennium perseveraverat, non obstantibus totis doliis apozematum ex Guajaco, Sarsaparilla, China, aliisque confectorum, quæ æger, durante hoc tempore, sanitatis spe animatus, avidè evacuavit, non omissis interea emplastris, linimentis, aliisque externis remediis; brachium interim multo gracilius apparebat; quàm par erat.

Æger tandem Chirurgo cuidam se curandum commisit, qui eidem certo pollicebatur brachii restitutionem, quàm hunc in modum aggressus est.

Brachio male affecto singulis septimanis aliquoties apposuit cucurbitulas nonnullas, sed sine scarificatione, & tunc eodem die, ut & aliis singulis diebus, infra brachium ex superiori parte contectum accendit spiritum vini sale volatili multarum herbarum impraegnatum, cujus vapor totum brachium circumvolitabat, & hæc sunt præcipua, quæ juveni nostro absque internis ullis medicamentis pristinam sanitatem intra annum dimidium restituerunt, sic ut patiens jam temporis arte gladiatoria aliisque similibus exercitiis impunè se delectet.

Nimirum

Nimirum ligamenta cubitum cum humero connectentia relaxata fuere; quo pacto autem illud contingat, videre poteris in primæ Decadis Observatione ultima.

Multæ præterea affuerunt obstructiones in nervis, arteriis, ac tubulis musculorum, unde brachii atrophia & extenuatio.

Cucurbitulæ autem cum flamma sæpius admotæ obstructiones sustulerunt ligamentorum, musculorum, aliarumque partium, dum calore suo poros ac tubulos aperiebant, & circulationi sanguinis humorumque per brachium liberiorem viam concedebant, quia aëris pressio sub cucurbitulis multo minor ac debilior est quàm alibi, ut clarius intelligere tibi licebit ex Observatione septima tertiæ Decadis.

Vapor autem spiritus vini accensi poros ac tubulos a cucurbitulis non parum apertos absque ullo obstaculo intrabat, ibidemque humores viscidos ac coagulatos attenuabat & dissolvebat.

Atque ita, sublatis particulis illis, quæ se insinuaverant inter fibrillas ligamentorum, eademque hoc pacto relaxaverant, ligamenta iterum pristinum suum statum, quem in sanitate prius obtinebant, adepta sunt, sicque rursus cubitum cum humero, prout oportebat, conjunctum servaverunt.

Ac reliquis obstructionibus itidem sublatis brachii atrophia quoque evanescere cœpit.

OBSERVATIO X.

De Gonorrhæa.

JUvenis viginti quatuor annorum, post coitum cum impura meretrice peractum patiebatur continuum fermè materiæ albicantis ac viscidæ ex urethra profluvium cum dolore scindente, qui quoque aderat, cum æger reddebat urinam.

Fermentum nempe acido-corrosivum in partibus genitalibus hujus scorti delitescens, dum in coitu validius agitabatur, prorepsit per penem hujus juvenis in poros prostatarum ac vesicularum seminalium a coitu plus solito apertos, sicque acredine sua & semen & humores nutritios alluentes infecit, ac ulcuscula excitavit in illis partibus; hinc itaque vellicatio & continua fere contractio prostatarum ac vesicularum seminalium semen ac humores nutritios corruptos modo prædicto assidue propemodum cum dolore fundentium.

Malum hoc gonorrhæa plerumque nuncupatur, estque satis periculosum, quandoquidem sæpius degenerat in luem veneream, si differatur ejusdem medela, tunc etenim fermentum acido-corrosivum abripitur, & cum massa permiscetur sanguinea.

Nullâ itaque morâ interjectâ ad curam properavi, ac ad acidum corrosivum temperandum & evacuandum, ut & ad ulcusculorum sanationem sequentia præscripsi:

℞. *Extr. catbl. gr.* xxiv. *Mercur. dulc. gr.* vj. *Sal. prun. antimoniat. gr.* v. *M. F. Pil. N.* vij.

Has pilulas tempore matutino assumpsit patiens, ac sequentibus quinque diebus semel quotidie jejunus devoravit bolum hunc:

℞. *Thereb. ven.* ℥iij. *Rhab.* ℨj. *M. S.*

Post iterum mox præscriptâ purgatione & bolis usus est ut ante, atque hoc pacto pristinam sanitatem adeptus est æger.

The-

Therebinthina a quibusdam tamdiu coquitur, donec pilulæ inde formari queant, sed male, quoniam coctio oleum spirituosum in aëra propellit, cum tamen in eodem præcipua therebinthinæ virtus consistere reperiatur.

In hoc malo iterum acidum criminor, sed mira fortasse alicui videbitur mea opinio, acidum scilicet in animali vivente adeo noxium existere ac inimicum sanitati, cum interim acetum carnem mactatam conservet integram per longum temporis intervallum; sed ut & hunc amoveam scrupulum, respondeo rem longè aliter se habere in vivo animali ac in mortuo.

In vivo animali ad vitæ ac sanitatis conservationem apprime necessaria est sanguinis ac humorum libera per vasa tubulosque satis patulos circulatio, quæ tamen haud parum impeditur ab aceto aliisque acidis sanguinem ac humores coagulantibus. In mortuo autem animali ad mactatæ carnis conservationem prædicta non requiritur circulatio, sed tantummodo opus est, ut præcaveatur, ne valde parvæ carnis mactatæ particulæ ab aëre nimium agitentur, fermententur, ac è statione propellantur, acetum autem particulis suis crassis ac gravibus ad hunc effectum producendum idoneum est.

Quod autem caro mactata maneat incorrupta, si motus particularum valde parvarum, alias futurus, hac aut illa de causa sistatur, vel hinc manifestum evadit, quod caro mactata brumali tempore per multos dies integra servetur, cum tamen eadem æstivo tempore citissime corrumpatur ab aëre tum temporis in motu valde celeri constituto.

Quod verò acetum constet particulis, crassis ac gravibus, liquet ex destillatione, quæ docet, spiritum vini citius ac prius quàm aquam, & aquam adhuc citius ac prius in alembicum elevari quàm acetum.

Præterea dici posset, quod carnis mactatæ sal volatile cum aceto coaguletur, ac ita immotum conservetur & impediatur, ne fermentescat cum aëre, figuram suam mutet, ac avolet in aëra, sicut cernimus sal volatile cornu cervi aut aliud quodvis cum spiritu acido coagulatum non avolare, ut alias facere consuevit.

Quartæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis

F I N I S.

DECA-

DECADIS QUINTÆ.

OBSERVATIO I,

De Vulnere capitis.

JUvenis sexdecim annorum ex equo in terram delapsus vulnus satis magnum accepit in sincipite, & quidem tale, ut os nudum in conspectum veniret; interim æger aliquoties vomebat & satis male habebat. Duæ a lapsu vix præterierant horæ, cum accersitus sum ad ægrum, in cujus capite nec fissuram, nec fracturam, nec introcessionem cranii animadvertere potui, & vomitus tunc temporis cessabat, ac ægrotus mediocriter valebat, nec multum de dolore, nec de ullo alio conquerebatur incommodo.

Supervacaneum foret hic explicare, unde vomitus hic prodierit, quandoquidem hanc rem per se satis claram esse existimo.

Derasis capillis vulnus linteis carptis siccis implevi, & quidem duplici de causa, primò, ut sanguinis fluxus hoc pacto sisteretur, deinde etiam, ut labia vulneris aliquatenus a se invicem dehiscerent, ut ita secuturo die cranium tantò melius pateret.

Tunc superposui empiastrum ex sequenti massa confectum:

℞. *Empl. diapalm.* ℥ij. *Boli, & Cret. com. ā.* ʒij. *Antimon. diaphor.* ℥j. *Ol. laurin.* ʒij. *tartar. per deliq.* ʒß. *M. S.*

Postero die in cranio detecto nihil mali apparebat, ac ægrotus haud aliquo malo symptomate vexabatur, unde sperare cœpi, cranium intrinsecus etiam nihil mali passum fuisse, ac cerebrum bene habere cum utroque suo involucro.

Imposui igitur sequens labiis vulneris (osse prius contecto linteis carptis siccis)

℞. *Thereb. comm. & Mellis rosat. ā.* ℥ß. *Myrrhæ, & Aloës ā.* ʒß. *M. S.*

Et sic æger brevi pristinæ sanitati restitutus est.

Emplastrum imponebatur eum in finem, ut acidum temperaret, atque hoc modo, quicquid a contusione coagulatum erat, dissolveret citò; unguentum applicabatur, ut ita circulatio sanguinis ac humorum, aliquatenus in vulnere ob tubulos disruptos ac distortos impedita, restitueretur.

Cranium denudatum linteis carptis siccis contegebatur, partim ne pus ex labiis vulneris ossi damnum aliquod afferret, partim ut aër ambiens hoc pacto arceretur a cranio, cui valde inimicus est acido suo, quo abundat, ut quotidiana sanguinis per venæ sectionem emissi nos docet coagulatio ab aëre producta.

Illud autem lintei genus, quod belgicè dicitur *catoen*, in vulneribus haud convenit, quia inflammationem non rarò ciere consuevit angulis suis acutis, quibus donatum est, sicut id ope microscopii haud difficile est conspicere.

 Omnia

Omnia pinguia hic sedulo vitavi, quia particulis suis ramosis valde angustos cranii tubulos satis pertinaciter obstruunt, atque ita efficiunt, ut humores stagnent, acescant, & cranii salem volatilem corrumpant, cariemque inducant; ac tunc curatio haud parum procrastinatur ob portionem ossis cariosam, quæ prius separari debet.

Scultetus in Armamentario suo Chirurgico partem vulneri capitis vicinam inungit aliquandiu oleis astringentibus ad præcavendam inflammationem, ut ille opinatur, sed malè, nam sanguinis circulatio non debet sisti, sed promoveri in Inflammatione, quandoquidem sanguis ac humores ob coagulationem suam in eâdem stagnant plus quàm satis, ideoque humores coagulatos per emplastra acidum temperantia dissolvere multo consultius esse videtur hoc in casu.

Venæ-sectionem, quam plerique in vulneribus capitis extollunt egregiè, prorsus omisi, quoniam non video, quid utilitatis inde provenire queat.

Medicamenta distinguere in mundificantia & sarcotica, atque illa prius, deinde hæc in usum revocare, est res nullius utilitatis, nam solum nostrum unguentum sufficit, & præstat, quicquid necessarium est, dum acidum temperat, ac humorum circulationem restituit; sed interim ad hoc attendendum est, ut, omisso præscripto unguento, lintea carpta sicca tandem imponamus, ubi carne fermè impletum est vulnus, nam alias caro nimis luxuriaret, ac altius exsurgeret, quàm par foret.

Veteres in capitis vulneribus adhibebant fasciam, quæ cancer appellatur, cujus delineatio videri potest apud *Scultetum*; verumenimvero jam temporis plerunque in usu est sudarium commune concinnè applicitum.

Vomitus in vulnere capitis ut plurimum multum mali portendit, eundem autem non semper esse infallibile signum fracturæ cranii, fissuræ aut alterius alicujus incommodi valde magni, liquidò constat ex proposito nostro casu.

Periculosæ plena aleæ res est vulnus capitis, quod dum maximè arridet, tum insidias vel maximè struere solet; nullum igitur capitis vulnus, licet valde exiguum videatur, parvi faciendum est, aut leviter persunctoriève tractandum, sed debemus hic potius omnia suspicari, quoniam non raro latet anguis in herba, cum apud Chirurgos alta securitas est.

Hisce paulisper in animo mecum volutatis operæ pretium esse duco, hoc in campo, antequam finem imponam huic observationi, paulo latius ac liberius exspatiari, quàm solitus sum, ut si non aliis, mihi saltem ipsi, in cujus institutionem hæc scribo, hac in re satisfacere queam.

Extra omne dubium posita res est, vulnus capitis valde parvum aliquando longo post ictum acceptum tempore ægroto necem afferre posse, verum hoc non impedit, quominus nonnumquam eveniat, ut æger citra spem Medicorum Chirurgórumve a periculosissimo ac omnibus fermè pro lethifero habito vulnere capitis reconvalescat; sic memini patris mei curæ commissum fuisse ante aliquot annos ægrotum quendam, qui ligone vulnus adeo horrendum acceperat in sincipite, ut ab ictu inflicto non tantum valde magna cranii, sed etiam haud parva ipsius cerebri portio avelleretur, & tamen hic æger vivit adhuc Arenaci & valet, remanente tamen hemiplegiâ.

Hac historiâ forsan falsitatis convincere possem opinionem clarissimi *Willisii*, dum lectori persuadere conatur, quod memoriæ sedes reperiatur in cortice cerebri; nam si illud verum foret, tunc patientis mox citati memoria vacillare deberet, cum tamen eadem non minus vigeat jam temporis, quàm antequam æger vulneratus est.

Sed

Sed quid loquor de iis, qui ab horrendo capitis vulnere revaluerunt? nonne multò mirabilius existit, etiam ingens beneficium redundare in aliquem ex capitis vulnere tam periculoso, ut a plerisque prò mortifero habeatur; maximè, & tamen non desunt exempla tale quid testantia; sic apud *Schenckium* legere licet, quo pacto aliquis, accepto periculoso capitis vulnere liberatus sit ab Epilepsia inveterata & valde pertinaci; ad hæc, si tibi molestum non sit, inspicere celeberrimum *Hildanum* Centurià secundâ, Observationis octavæ, ante oculos tibi ponetur casus satis rarus, scilicet quendam ad conjunctionem futuræ sagittalis cum coronali fracturam cranii accepisse, eundemque postea, remanente tamen ulcere, hoc modo sanatum fuisse a magna ac molesta cephalæa, quâ antea per longum temporis intervallum ægrotaverat.

Tales historiæ, quales modo commemoravimus, raro admodum contingere solent, ac idcirco præstat in capitis vulnere, qualecunque etiam sit, semper solicitum esse quàm securum nimis.

Vulnus autem capitis multo difficilius sanatur, ubi patiens lue laborat venerea, ut & si eadem capitis pars sæpius antea fuerit vulnerata; nam in morbo Gallico plerunque peccat humor acido-corrosivus vulnerum sanationi haud exiguum apportans impedimentum, ubi autem contingit, ut eadem pars sæpius saucietur, manifestum est, tubulos ibidem haud paucos mirum in modum distortos manere, unde sanguis & humores obstaculum quoddam offendunt in circulari suo motu, cujus tamen beneficio propemodum tota peragitur vulnerum sanatio.

Atque circulationem sanguinis & humorum aliquatenus impediri in parte semel aut sæpius vulnerata, licet vulnus jam diu coaluerit, vel hinc manifestum evadit, quod partes antea vulneratæ plerunque solito frigidiores fint & tempestates ingruentes non raró præsentiant.

Præterea vulnus capitis magis aut minus periculosum est, prout huic aut illi capitis parti infligitur; sic vulnus occipitis minus periculosum æstimatur, quia os occipitis ob crassitiem ac soliditatem suam raró fracturam aut fissuram patitur, etiamsi ictum satis vehementem recipiat; ac ubi jam contingit, ut os occipitis fracturâ aut fissurâ corripiatur, tunc sordes tamen in hac fractura aut fissura collectæ non ita facile in subjectam duram meningem destillant.

Vulnus autem valde periculosum habetur in bregmatis illo officulo, quo maturior ætas locum in infantibus apertum postea replet, absque dubio, quia illud officulum tenerum est & vicinum futuris.

Sic vulnus temporum valde formidolosum existit pluribus de causis, & Primò, quidem quia musculus temporalis contectus est pericranio Secundò, quia latet illic arteria satis magna, quæ vulnerata inducit hæmorrhagiam valde periculosam, quæ sistitur difficillime ea de causa, quod, dum loquimur aut comedimus, musculi temporales commoveri debeant, & sic sanguinis fluxus jam cohibitus non raró redire solet ac renovari.

Tertiò, quia nervus in musculo temporali læsus sæpius spasmum excitare consuevit, & quidem talem, qui belgicè dicitur *de klem*, ac nos comedere prohibet; sic ubi musculus temporalis valde læditur, contrahitur oppositus ac excitatur illa affectio, quæ oris tortura appellatur.

Quartò, quia sectio artificialis, aliquando necessaria in capitis vulneribus non sine periculo fit in musculo temporali.

Quintò, quia vulnerum medela requirit partis sauciæ quietem, quæ tamen sæpissime turbatur in vulnere musculi temporalis, cum scilicet aliquid comedimus aut loquimur.

Fissura in suturis etiam pejor existit, quàm alibi, & difficillime invenitur; sic *Hippocrates* Epid. 5. hoc modo se deceptum esse, & quidem cum vulnerati pernicie, ipse liberè profitetur.

Vulnus inflictum superciliis, sic ut cavitas pateat, quæ in osse frontis reperitur, ventum emittit, quia scilicet illa cavitas ossis pervia est in nares, illudque vulnus vix ac ne vix quidem consolidatur teste *Celso*, aliisque, quibus talem casum videre contigit.

Chirurgi, cum dubitant de cranii fractura aut fissura, vulnerato nucem dentibus frangendam præbent, aut filum, cujus alterum extremum ore tenet ægrotus, concutiunt, observantes, num tremulum illum motum absque molestia tolerare queat patiens.

Ubi cranium denudatum est, specillo plerumque inquirimus, num adsit fissura, nec ne; sed, ut hoc examen rite instituatur, ante omnia exacte nosse oportet situm suturarum consuetum, ne sutura sumatur pro fissura, aut fissura pro sutura; atque, ut error hic omnino declinetur, præterea meminisse oportet, suturam sagittalem aliquando præter consuetudinem procurrere usque ad nasum & frontem reddere bifidam, imo etiam nonnunquam ulterius se extendere ad occiput, illudque dividere; hic quoque in memoriam revocanda est observatio alicujus Anatomici, qui affirmat, se vidisse illud bregmatis ossiculum, quo provectior ætas implet locum in primum natis adhuc patulum, peculiari circumscriptum fuisse suturula.

Apud *Paræum*, *Fallopium*, aliosque reperire licet vulneratos, in quibus mortuis & apertis externa cranii tabula, quæ ictum receperat, prorsus integra conspecta fuit, internâ interim non tantum rimam agente, sed etiam fragmenta quædam exhibente, quæ meningem punctione sua molestaverant; quo pacto hoc accidere potuit? dicam; ictus vehemens materiam subtilem ante se maxime agitavit, atque ita hæc materia subtilis celerrime mota transiit sine mora per primam cranii tabulam satis libere, nec damnum ullum intulit, verum ubi pervenit ad secundam cranii tabulam primâ (ut Anatomici testantur) multo solidiorem, ibi poros offendit adeo angustos & flexuosos, ut transire nequiret nisi per novam viam, quam sibi ipsi violenter momento temporis pararet, & sic multis poris perruptis internam cranii tabulam egregie fidit; sic fulmen, intactâ vaginâ, ensem liquefacere perhibetur, sic aqua fortis, illæsâ cerâ, argentum solvit.

Complures narrant aliquando contingere, ut percusso sincipite dextro sinciput sinistrum rimam agat, dextro integro remanente, & talis casus dicitur plerunque contrafissura, quamvis hoc contrafissuræ vocabulum nonnunquam & ad alios casus extendatur.

Talem contrafissuram me nunquam conspexisse lubens confiteor, eandem autem dari *Celsus* affirmat, *Ægineta* negat, ego autem hac super re judicium meum suspendo.

Aliquando contingit, ut medulla, quæ inter utramque cranii tabulam reperitur, ab ictu valido è cavernulis suis excutiatur, ac exprimatur cum sanguine ab ictu quoque extra vasa profuso, sicque medulla hæc cum sanguine acredinem acido-corrosivam concipit, quâ cariem internæ cranii tabulæ inducit, atque ita nonnunquam humor acris & aquosus ex osse carioso prodiens meningem, ipsumque cerebrum inficit, ægroque mortem inexspectatam minimeque prævisam infert aliquot interdum septimanis, imo & mensibus post ictum, cranio extrinsecus intereà temporis apparente integro, neque ullam fracturam aut fissuram ostendente, & talia exempla ab auctoribus, qui de Chirurgia scripserunt, hic atque illic narrantur.

Cranio

Cranio cum dura matre læso aliquando intra viginti quatuor horas enascitur fungus ovi gallinacei magnitudinem propemodum adæquans, quem clarissimus *Malpighius* ortum suum debere existimat læsis glandulis, ex quibus cortex cerebri componitur, quæque secundum ejusdem opinionem desinunt in radices nervorum, in quas succum suum nerveum ab arteriis acceptum & transcolatum transmittunt.

Ab omnibus ferme auctoribus serio monetur, nulla capitis vulnera esse consuenda, & quidem optime.

Dum vulnera capitis religabantur, *Vesalius* semper adhibebat candelam ceream accensam (non sebaceam, quia pinguedo nocet ossibus) eum scilicet in finem, ut frigus ambientis aëris aliquatenus temperaret, sed jam temporis Chirurgi quidam utuntur vase quodam æneo carbonibus vivis impleto, quod belgicè dicitur *een bedpan*.

Meditullium, quod inter utramque cranii tabulam continetur, in puerulis multò tenuius esse reperitur quàm in adultis, quod bene observandum judico a Chirurgis, dum trepano aut scalpris utuntur, nam aliàs fieri posset, ut sibi persuaderent, se nondum ad meditullium pervenisse, dum interim ipsam læderent meningem.

Quidam, antequam adhibent trepanum, eligunt crucialem carnis incisionem, alii triangularem, sed pater meus fere semper præferebat circularem, sicque totam illam carnis portionem a cranio separabat ac avellebat.

Inter operandum quidam trepanum ad temperandum calorem immittunt in oleum, sed male, qui oleum, ut sæpius diximus, est ossibus inimicum, quamobrem aqua communis nobis hoc in casu melius inservire potest.

Veteres opinabantur crescente luna medullam & cerebrum in animalibus augeri, ideoque usum trepani tempore pleni-lunii prohibebant, verum hoc sæculo nos docuit experientia, cerebrum in cranio, ac medullam in ossibus animalium non majori copia contineri luna crescente quàm alio quovis tempore, atque ita hæc opinio, arenoso adeò superstrata fundamento, corruit.

Veteres minimè admittere voluerunt, ut trepanum poneretur in suturis, sed jam temporis habemus Chirurgos, qui hoc intrepidè faciunt.

Aliquando contingit, ut dura mater cranio satis firmiter adhæreat, sed hoc admodum raro evenire solet, estque præter consuetudinem.

Duræ meningi denudatæ *Scultetus* applicat oleum rosarum, *Celsus* acetum, sed uterque peccat, hic magis, ille minus; quid aliud efficiet oleum, quàm ut poros ac tubulos illius membranæ obturet, ac ita sanguinis ac humorum circulationi noceat? acetum autem coagulabit sanguinem ac humores per meningem circulantes, atque ita circulari eorundem motui non parum oberit.

Quid igitur hîc applicabitur? mel aut syrupus rosarum, sed præstat syrupus utpote minus acris, qui calidus imponi potest cum linteo rotundo, cui filum annexum est.

Posito trepano aliquando fit, ut super meningem nihil mali reperiatur, sed ut pus sub eàdem delitescat, & tum temporis meninx discindi debet, ut puri exitus concedatur, nec metuendum est, ne lædatur pia mater, quia pus interjacens hoc impedit, atque hanc meningis apertionem Areaaci feliciter institutam esse memini.

Æger capite vulneratus potius liquida quàm solida assumat, nam aliàs motus masticationis parti sauciæ aliquam afferre posset molestiam, & quidem præcipuè, si vulnus temporibus inflictum foret.

Si

Si sternutatio aliquem capite sauciatum corriperet, absque dubio ejusdem cerebrum nimium commoveret ac vulneri noceret, ideoque consultum foret sternutationem, ubi præsentitur, impedire, quod facile fiet, si digitis majorem utriusque oculi angulum aliquoties tum temporis fricemus.

In vulnere capitis ante omnia vitetur venus & ira, quia cerebrum valdè commovent, atque ita miseris ægrotis haud parum damni apportant, ut crebra experientia testatur.

Atque ita tandem finiam, postquam dixero, me hic non nisi rariora ac notatu digniora in medium proferre voluisse, nam cætera ad vulnera capitis pertinentia satis prolixè tractantur apud *Paræum*, *Hildanum*, *Scultetum*, aliosque chirurgiæ scriptores, quæ hic repetere prorsus supervacaneum esse existimo.

OBSERVATIO II.

De Vulnere penetrante thoracem.

Juvenis annum agens trigesimum inter sextam, septimamque costam (si numeres ab inferioribus) ense vulnus accepit, quod in pectoris cavitatem penetrabat, sicut id ipsum docebat specillum blandè intrusum, ut & aër satis impetuosè è vulnere prosiliens. Æger interea temporis bene comedebat ac parum conquerebatur.

Quia vulnus non satis pro puris exitu patebat, imposuimus turundam ex spongia præparata efformatam cum filo, atque ita luce sequenti vulnus satis patulum existebat, quapropter applicuimus tunc turundam ex linteis carptis formatam ac idoneo digestivo oblitam cum emplastro acidum temperante ac bona ligatura.

Interim æger bibebat bis singulis diebus uncias tres sequentis apozematis:

℞. *Herb. tussilag. capill. vener. & scabios. ā. M. ij. Fol. abiet. M. j. Passul. major. exacinat.* ℥iij. *Semin. fænicul.* ℥ß. *& Hord. M. ij.*

Coque in aquæ communis ac vini gallici partibus æqualibus, & colatura librarum trium usurpetur, quæ, ubi necessitas exigit, etiam per syringam in pectoris cavitatem potest immitti, admixtâ tum temporis unciâ unâ aut alterâ mellis rosarum.

Vulnus hoc pacto per dies aliquot tractatum parum puris emittebat, ac ægrotus quoad cætera bene sese habebat, ideoque turundas de die in diem breviores formavimus, atque ita æger intra sex septimanas ab hoc vulnere prorsus convaluit.

Specillum, quo vulneris profunditas inquirebatur, non erat ferreum, quandoquidem hoc metallum ob rigiditatem suam non satis cedit musculis, qui aliquando vulneris locum intrare ac replere solent, ubi æger corporis situm immutat, sed adhibebatur candela cerea Belgicè nominata *een maglitbje*, quæ propter flexilitatem suam nobis in hoc casu melius inservire poterat, verumenimvero antequam huic operi accingebamur, patiens, prout jubebamus, corpus in illum situm reduxit, in quo steterat, dum vulnerabatur.

Aër ex hoc vulnere satis impetuosè prorumpebat, atque aliquando ille tanto impetu effertur, ut admotam candelæ flammam extinguat, sed unde hoc contingit? nimirum dum thorax redditur angustior in exspiratione a musculis abdominis ut & a propriis musculis, aër cum vaporibus non paucis commistus compellitur ac comprimitur ad exitum sibi quærendum, & sic ob angu-

angustiam loci magna vi ex vulnere propellitur, haud aliter ac videmus aërem ex follis tubo magno impetu prorumpere, dum latera follis tantummodo leviter comprimuntur, nam sic magna portio motus, qui antea singulas particulas aëris diversimodè agitabat, impenditur in motum aëris in unam partem.

Verum cur turunda filo alligata fuit? scilicet ne ipsa raperetur usque in pectoris cavitatem, nam tale quid nonnunquam contigisse complures historiæ testantur, imo præterea legimus turundas non tantum abreptas fuisse in cavum thoracis, sed & easdem excitatâ tussi, postea per os ægroti exiisse.

Unde igitur fit, ut turunda aliquando penetret usque in pectoris cavitatem? an cum veteribus respondebimus illud fieri per suctionem thoracis? minimè, quandoquidem satis clare ac evidenter demonstrare possumus, omnem motum in hoc universo corporeo conspicuum fieri per pulsionem.

Nec minus absurdum foret ac absonum, si cum plerisque hic vellem recurrere ad fugam vacui, quoniam illud non datur, sicut idipsum luce meridiana clarius est iis omnibus, qui a præjudiciis suis nondum plane occœcati sunt, idemque satis distinctè explicatur apud clarissimum *Cartesium* in parte secunda Principiorum Philosophiæ.

Ut autem nos dicamus id, quod res est, quodque ab unoquoque facillime potest intelligi, respondemus hunc in modum; quando inspirationis tempus instat, thorax capacior redditur, quia diaphragma contrahitur deorsum; quia verò diaphragma ita contrahitur, venter egregiè protuberat, sicque aërem satis validè propellit, qui, quandoquidem vacuum nullibi existit, eodem temporis momento necessario intrare debet thoracem modo prædicto ampliatum, atque ita aër partim ingreditur per rimulam laryngis, partim etiam per vulneris orificium, utpote per viam commodiorem, breviorem ac magis liberam, ac dum aër ita proruit intrò per vulnus patulum thoracis, in transitu secum propellit turundam, nisi filo satis forti alligetur.

Nonnulli auctores, ubi nihil sanguinis aut puris super diaphragma jacere suspicantur, vulnera pectoris penetrantia absque ullarum turundarum ope sanare conantur, aliisque id ipsum commendant, sed rarissime primis diebus hujus rei satis certi esse possunt, ideoque multò prudentius agere mihi videntur, qui mecum per aliquot dies utuntur turundis, ac interea temporis aërem ambientem, quantum possunt arcent a vulnere; ast intereà tamen eâ nobis utendum est cautelâ, ut tempestivo tempore a turundis abstineamus, nam si diutius, quàm par esset, earundem usus protraheretur, contingere posset, ut remaneret tandem fistula nullâ medicabilis arte, ac ad extremum vitæ halitum perseverans, quandoquidem ad tale malum producendum non parum confert continua pectoris in respiratione agitatio, quæ vulnerum consolidationi non parum obest.

Vulnera thoracis penetrantia valde periculosa sunt, multosque viventium consortio valedicere coëgerunt, ac in aliis phthisin excitarunt ipsâ morte pejorem, nam mortis habet vices, lentè cum trahitur vita gementibus; sed interim tamen memini, me alicubi legisse, aliquem ab asthmate, quo antea satis crudeliter affligebatur, per vulnus penetrans usque in cavitatem thoracis fœlicissime fuisse sanatum; imo novi jam temporis adhuc Arnhemii honestum quendam civem, cui vulnus pectoris penetrans haud parum fuit salutiferum, nam ille jam per longum temporis intervallum laboraverat empyemate, ac mortem indubitatam quotidie exspectabat, cum ab alio, nescio qua de causa ad iram concitato, ense sauciatus est ita, ut vulnus usque in pectoris cavitatem penetraret, ægrumque hoc pacto pure per vul-

vulneris orificium egrediente, brevi sanaret ab empyemate, patre meo, dum viveret, medicam manum adhibente.

Ubi in vulnere pectoris valde angusto Chirurgi dubitant, an vulnus penetret in thoracis cavitatem, nec ne, aut lanam, aut flammam candelæ accensæ vulneri admovere consueverunt, atque ita concludunt vulnus penetrare, si tremulus in lana, aut candela accensa motus ab aëre ex pectore progrediente excitetur, sin minus, contrà.

Quando jam contingit, ut pars aliqua in pectoris cavitate contenta simul lædatur, tunc vulnus diutius servandum est apertum, ac bis de die injectio calida immitti potest, cui aloë, absynthium, carduus benedictus, aliaque amara addi non debent, ut quidam facere solent, nam particulæ amaræ per ramos fistulæ pulmonis læsi cum aëre sursum latè amaro, ac molesto sapore linguam afficiunt, ut crebra experientia testatur.

Si magnum aliquod vas sanguiferum in thoracis cavo situm vulneretur, tunc super diaphragma multum sanguinis confluere solet, ac excitare hoc pacto gravitatem circa diaphragma, febrim, vigilias, excreationem sanguineam, appetitum prostratum, ac respirationem difficilem.

Per vices hic sanguis quotidie per vulneris orificium evacuandus est, ut & pus post aliquot a vulnere accepto luces plerumque subsequens.

Quod si sanguis, qui per vulnus inflictum effluit, spumosus esse reperiatur, signum est pulmonis vulnerati, ac tale vulnus sæpe tabem, ac sæpius mortem miseris ægrotis apportat, quod mirum non videbitur illi, qui cum *Malpighio*, aliisque curiosis humani corporis scrutatoribus paulò penitius, quàm veteres fecêre, pulmonis substantiam inspicere non gravatur, sic namque animadvertet pulmones nihil aliud esse quàm aggeriem quandam vesicularum membranacearum, vestitarum reti quodam mirabili ex venularum, ac arteriolarum valde minutis ramulis composito, in quas vesiculas aëri aditus patet ex aspera arteria.

Hinc igitur satis manifestum evadit, vulnus pulmonis tam exiguum esse non posse, quin vascula quædam sanguifera harum vesicularum simul lædantur, unde sanatio redditur adhuc difficilior, quæ tamen per se satis difficilis existit, quia vesiculæ hæ membranaceæ sunt, ac continuo in motu positæ, in quas præthereà singulis horis toties novus aër impellitur; nam partes membranosæ multo tardius sanantur, quàm carnosæ, & quod quies partis læsæ consolidationem vulneris maturet, nemo in dubium trahere potest, qui semel tantum in vita observavit, quàm facile tibiarum vulnera sanentur ægro decumbente, & contra quàm difficulter eadem consolidentur, ubi patiens quotidie per plateas obambulat; & quis tandem ignorat aërem ambientem a vulneribus diligenter esse arcendum?

Vulnera pulmonis igitur, uti diximus, fere semper lethalia esse experimur, sed interim tamen legimus, frusto pulmonis per vulnus ablato patientem posse supervivere.

Pulmo repletur aëre, quamprimum homines nascuntur, ac respirant, hoc autem non fit in fœtu, quamdiu idem in utero adhuc delitescit, atque ad hoc attendunt Medici, ubi a Magistratu coacti judicare debent, an infans mortuus, in utero, an extra uterum vitam amiserit; tunc etenim pulmonem cadaveris è pectore proripiunt, eumque immittunt in aquam, ac si pulmo tunc supernatet, extra uterum infans mortuus esse censetur, & contra, ubi pulmo subsidit, ac demergitur.

Vulnus in carnosa parte diaphragmatis ægrum in periculum haud exiguum adducit, sanatur tamen aliquando; sed cum pars membranosa diaphrag-

phragmatis vulneratur, æger non longo post tempore, exortâ febri ac delirio, expirat; nec mirum sane, cum ob continuum diaphragmatis valde sensilis motum tubuli circa vulnus valdè detorqueantur, unde humores ibidem stagnant, acescunt, ac inflammationem produnt, & cum humores acescentes ex parte inflammata obsorbentur in massam sanguineam, inducitur febris, quam sequitur delirium; sic memini aurigam Arnhemiensem, qui cultro in parte membranosa diaphragmatis vulneratus erat, statim post vulnus inflictum se pedibus ad ædes nostras contulisse, sed eundem mox adeo debilem evasisse, ut a duobus hominibus domum deportari deberet, ubi febri ac delirio correptus post triduum è medio sublatus est.

Mirandum est, quod non ita pridem me alicubi legisse recordor, nimirum quod in uno ventriculus, in altero intestinum colon ex abdomine per vulnus diaphragmatis ascenderat in thoracem & quod uterque patiens adhuc aliquandiu vivere potuit.

Vulnus pericardii lethiferum existimatur, ac ubi cordis substantia simul vulneratur, extemplo patiens plerumque vita cum morte commutat, etiamsi revera testari possim, Judæum Arnhemiensem in ipsa cordis substantia vulneratum nihilominus per sex dies quotidie bis pedibus suis ad ædes nostras, ut vulnus religaretur, se contulisse, antequam moreretur.

Galenus alicubi refert, ut testis oculatus, pericardio corrupto cor nudum satis late patuisse in pectore alicujus ægri, qui tamen inde reconvaluerit; verum enim vero homines jam temporis adeo increduli esse reperiuntur, ut apud eosdem tales historiæ parum fidei inveniant, aut mereri videantur.

Dum de corde mentionem facio, duo præjudicia tollere debere mihi videor; primum, quo plerique è vulgo laborant, hoc est, quod pertinaciter credant cor sedem suam habere in latere pectoris sinistro, cum tamen illud in medio pectoris collocatum sit, sed hujus erroris occasio populo data fuit ex eo, quod pulsus satis vehemens in latere thoracis sinistro sentiatur, secus ac in dextro, verum hoc contingit, quia ad sinistrum latus sita est arteria magna.

Alterum, quod taxare volui, præjudicium hoc est, quod è veteribus quidam sibi persuaserint, cor nullis morbis conflictari; cujus opinionis falsitatem experientia tamen satis superque ostendit; sic in *Ephemeridibus Gallicis* legimus in ventriculo dextro cordis canini inventos esse vermes vivos triginta & unum, longitudinem digiti, ac crassitiem habentes aciculæ communis; ac præterea cor aliquando infestatur morbo aliquo, qui polypus cordis nominatur, de quo vide *Malpighium* in tractatu de viscerum structura anatomica.

In vulneribus pectoris penetrantibus Chirurgi quidam loco turundarum adhibent cannulas ex argento, plumbo, aut linteo cerâ imbuto confectas, verum quia argentum a pure inficitur aliquatenus, & plumbum labia vulneris hic nimis cito contegit cicatrice; præferenda videtur hic loci cannula ex linteo cerâ imbuto confecta.

Acida omnibus vulneribus inimica sunt, sed præsertim vulneribus thoracis penetrantibus, nam præterquamquod sanguinem humoresque coagulent, ac circulationi rite peragendæ reddant ineptos, etiam nocent hoc in casu, quia particulis suis ab utraque parte scindentibus tussim excitare solent. Sed quamvis acida rejiciam, non ideo hic commendo dulces syrupos, quandoquidem iidem pulmonibus parum prosunt, ac interim ventriculo, aliisque partibus nocent, ut plurimi mecum quotidie experiuntur; præstat ex tussilagine, capillis veneris, aliisque herbis idoneis cum aqua cocta, ac fervida adhuc

extrahere tincturam in vasculo, quo utuntur, dum præparant potum herbæ *Tee* dictæ jam temporis adeo vulgarem.

Si æger penetrante thoracis vulnere laborat, & non emittat sanguinem in pectoris cavitate latentem per vulneris orificium, teneat granum unum moschi sub lingua, ac mox effluet sanguis, ut ait *Sennertus*, sed de successu valde dubito.

Nonnunquam altior est locus pectoris, cui vulnus inflictum est, quàm ut sanguis, aut pus super diaphragma congregatum per vulneris foramen possit evacuari, & tunc aliquando sanguis, aut pus cum tussi per os excerni conspicitur; imo haud pauci auctores testantur, pus tum temporis interdum ad vesicam deturbari, ac cum urina expelli, quod pus per duas vias ad vesicam deduci posse putant; primo si per venulas, aut vasa lymphatica abripiatur ad massam sanguineam, ac cum eadem deferatur ad renes, tandemque, ubi illic loci transcolatum fuerit, per ureteres descendat in vesicam, & sic cum urina excernatur; verum altera via longè difficilior videtur; scilicet existimant pus per poros diaphragmatis intus foras spectantes sub forma roris transsudare, & sic, itinere per totum abdomen peracto, tandem per poros vesicæ foris intro spectantes vesicæ cavitatem intrare; poros autem foris intro spectantes in vesica revera reperiri sequenti probant experimento; in cubiculo calido vesicam invertunt, atque immittunt aquam calidam, quæ inde roris instar transsudare tum temporis conspicitur.

Ubi tandem contingit, ut pus super diaphragma copiosè contentum per vulnus nimis altum nequeat expelli, atque illud præterea nec cum tussi per os, nec cum urina per vesicam evacuetur, tunc commendatur paracenthesis, hoc est, incisio artificialis thoracis in loco decliviori, atque hæc operatio fit plerumque inter quintam & sextam costam, si numeres ab inferioribus; non in medio pectoris, sed in latere, magis tamen ad anteriorem, quàm ad posteriorem partem, ac potius circa superiorem costæ partem, quàm circa inferiorem, & quidem scalpello obvoluto aliqua ex parte panniculo, illo temporis momento, quo patiens exspirat.

Atque hæc operatio rarissime exercetur in hisce regionibus eo sæculo, quo vivimus.

Facta jam paracenthesi pus simul & semel emittendum non est, sed partitis vicibus, atque hæc est res, quam omnes Chirurgi concedunt, sed quæ sit ratio, plerique prorsus ignorant; alii dicunt, quod spiritus dissipentur, si omne pus effluat una vice, alii fingunt naturam prodigam tunc vacuum illud persentiscere, ideoque in eum locum, ex quo pus promanavit, è vestigio mittere multum, imo nimium sanguinis ac humorum, sed utraque hæc ratio adeo frivola est, ut refutari non mereatur, ideoque tribus verbis tantum dicam, quæ mihi hujus rei ratio videatur; certum est in locum puris calidi recedentis mox aërem frigidum succedere, qui fibrillis, jam aliquatenus læsis a pure, non tantum molestus est, sed non paucas præterea obstructiones producit in tubulis, in quibus idcirco stagnant humores coacervantur, acescunt, atque ita excitatur inflammatio; sic ubi aëri frigido exponimur statim postquam calefacti sumus, corripimur non raro catharris, vulgò sic dictis, atque cum supra modum incaluimus, & cerevisiam frigidam tum temporis assumimus, plectimur aliquando pleuritide.

OBSER-

OBSERVATIO III.

De Vulnere abdominis penetrante.

JUveni viginti annorum ab adversario vulnus fuit inflictum, & quidem tale, ut ensis per anteriorem abdominis partem intraret, ac per tergum egrederetur.

Æger mox a vulnere inflicto in lecto decubuit, ac primis diebus aliquatenus de hoc aut illo incommodo conquerebatur, postea vero de die in diem magis magisque reconvalescebat, ac utrumque vulnus intra tres septimanas prorsus consolidatum fuit turundis bono digestivo inunctis impositis, ac superimposito idoneo emplastro.

Haud necessarium erat hoc in casu explorare vulneris profunditatem, quandoquidem satis manifestè constabat, hoc vulnus penetrare usque in ipsam abdominis cavitatem, quia ensis mucro intraverat per ventrem, ac egressus erat per dorsum.

Alias vulneris profunditas plerumque inquiritur specillo ferreo aut plumbeo, sed præstat candela cerea, quæ Belgice dicitur *een Was-liehtje*, quia multo melius flecti potest, & accomodari ad qualescunque occurrentes mæandros; hæc interim gnaviter annotandum venit, quod specillum aliquando valde profunde intret per interstitia musculorum transiens, & quod vulnus tamen non penetret usque in ventris cavitatem, & è contra, quod vulnus penetret aliquando usque in abdominis cavum, licet specillum, ubi intruditur, mox inveniat resistentiam, scilicet quia partes in corpore læso aliter figuratæ erant, dum æger vulnerabatur, quàm postea, ubi vulneris status explorabatur.

Vulnus abdominis, etiamsi non penetret usque in ventris cavitatem, tamen difficulter sanatur ob motum respirationis, nam vulnera consolidanda desiderant requiem.

Quod si vulnus abdominis non penetrans sit in linea alba sic dicta, tunc adhuc multo difficilius sanatur & valde dolorificum existit.

In secunda hujus Decadis Observatione volui, ut vulnera pectoris valde exilia, redderentur ampliora, sed hæc operatio minime locum meretur in vulnere abdominis, ne scilicet omentum vel intestinum per nimis amplum ventris foramen prolabatur extra abdominis cavitatem.

Quidam somniant resurrectionem mortuorum originem sumpturam ab ossiculo in decima octava vertebra contento, sed somniant, & quidem absque ulla veri-similitudine; nescio sane, quid responderent mihi homines talem opinionem amplexi, si interrogarem eosdem, an igitur non resurgeret ille, cui ossiculum illud per vulnus foret conscissum?

Testes extra abdominis cavitatem propendent, ideoque facile possent vulnerari, sed eorum vulnus ægros in vitæ discrimen non adducit, quandoquidem experientiâ teste homo utroque teste exsecto supervivere potis est; & cognovi familiariter medicinæ studiosum, cui alteruter testis ob herniam carnosam feliciter exscindebatur.

Quid igitur testes sunt? non nisi congeries minutissimorum funiculorum vel vasculorum semen conficientium, quæ si absque ruptione dissoluta sibi invicem adnecterentur, facillime viginti ulnarum longitudinem excederent in homine, nam gliris testiculus ad ulnas quindecim extenditur.

Plerique Chirurgi primo vulneribus applicant repellentia, hoc est, frigida & astringentia, sed circa inguina illa omittunt; si rationem quæras, respondebunt tibi, quia in inguinibus est emunctorium hepatis; verum hoc responsum frivolum est & ridiculum, illudque jam dudum explosimus & sufficienter refutavimus in primæ Decadis Observatione octava.

Quid igitur in causa est, quod Chirurgi alibi utantur frigidis & astringentibus, nunquam verò in inguinibus? dicam, ausculta paulisper; ubique fere nocent frigida & astringentia, sed magis in inguinibus, quàm alibi, illud experientia stultorum magistra illos docuit; factum norunt & confitentur, causam verò effecti penitus ignorant, ideoque talem chymæram sibi effinxerunt, cum vera causa interim sit, quod in inguinibus sedem suam habeant glandulæ, quæ nihil aliud sunt quàm congeries exilium vasorum valde inflexorum, in quorum mæandris humores facilius subsistunt quàm alibi, si eorum circulationem Chirurgi per frigida & astringentia perperam imposita retardent.

Vulnera abdominis penetrantia sunt omnia periculosa, sed longe magis periculosa, cum ampla sunt, quia omentum aut intestinum tum temporis facile foras prolabitur, ubi omentum, nisi statim post egressum suum in pristinum locum repellatur, brevi coagulatur, emoritur & colorem suum mutet ob aërem ambientem; sed unde omentum extra ventrem prolapsum tam cito emoritur? omentum nempe per multis exiguis sacculis instructum est, in quos adeps deportatur per vascula adiposa singularia, sicut accuratiores hujus ævi anatomici testantur. Hinc jam facile liquet, quàm facile adeps in sacculis suis, ac materia in vasculis exilibus adiposis contenta ab aëre frigido possit coagulari.

Ubi jam omentum extra abdominis cavitatem exulans ob moram aliquam interpositam modo prædicto corrumpitur, tunc inter partem sanam & corruptam filum injiciendum est, tuncque portio corrupta ferro resecanda est, ne pars sincera trahatur, & consuto aliquatenus vulnere, si illud nimis amplum esse reperiatur, filum extra abdomen pendulum relinquendum est, donec progressu temporis decidat. Sic quendam, cui omenti portio ob nimiam moram extra abdomen erat corrupta, modo prædicto a patre meo tractatum feliciter a vulnere suo convaluisse memini.

In amplo abdominis vulnere nonnunquam foras prorepit intestinum, quod è vestigio reponendum est, nam alias flatibus ita distenditur, ut in pristinum locum remitti minimè possit; sed unde intestinum, extra ventrem remanens aliquandiu, flatibus distenditur? nimirum fermentatio excitatur non tantum in chylo, succo pancreatico, ac bile, verum etiam in fæcibus a chylo relictis, & fermento intestinorum parietibus adhærente; hinc multi exurgunt vapores (ut jam silentio prætere am illos vapores; qui ex poris arteriolarum etiam continuò cavitatem intestinorum ingrediuntur) qui in cavitate intestini debent accumulari, illudque distendere, si pori intus foras spectantes ab aëre ambiente claudantur in intestino extra abdomen exulante.

Quid igitur agendum superest, ubi intestinum extra abdomen distentum flatibus conspicitur; pori occlusi aperiendi sunt, vaporibusque intus contentis major concilianda est agitatio, quod fiet, si calide imponatur linum nendo recenter contortum, sed coctione nondum purgatum, ubi illud nempe prius coctum fuerit in lacte dulci.

Intestinum, flatibus jam consumptis, reponi debet, ac vulnus aliqua ex parte consul, si opus sit.

Si intestina etiam vulnerentur, æger in magno vitæ discrimine versatur, & quidem magis, si vulnus infligatur intestino tenui, minus, si crasso, quia

in

In hoc vulnus, postquam consutum fuerit, facilius conglutinatur, quandoquidem majori tubulorum copia constat, per quos humores nutrientes apportantur; sic crassa intestina ferè tantum fœces continent, tenuia chylum.

Dum ago hic de intestinis, incidit mihi quæstio quædam inter Medicos per longum temporis intervallum agitata, num scilicet clysteres nutrientes injecti effectum optatum sortiantur, an sint, ut quidam ajunt, prorsus inutiles ad nutritionem, quia secundum eorum opinionem non perveniunt usque ad massam sanguineam? sed errant qui ultimam amplectuntur opinionem, si fides habenda sit fide dignis hominibus, qui experientia edocti testantur, eandem spiritus vini quantitatem facilius inebriare, si per clysterem in anum injiciatur, quàm si assumatur per os.

Hepar constat ex acinis glandulosis, in quos desinunt vascula sanguinea apportantia suum humorem, & ramuli pori biliarii, qui bilem in glandulosis illis acinis separatam accipiunt.

Præterea magna vasa sanguifera in jecinore conspiciuntur, unde facile intelligitur, quàm periculosa sint vulnera hepati inflicta, nam si magna vasa aperiantur, sequitur hæmorrhagia nullis remediis obtemperans, & quamvis magna illa vasa non lædantur, attamen vulnus hepatis quantumvis exiguum turbabit interim bilis separandæ negotium, quod tamen apprimè necessarium esse scimus in œconomia animalis.

Sed his non obstantibus *Paulus Ægineta* refert hominem ex vulnere, quod frustum hepatis sustulerat, reconvaluisse.

Mirandum sane, hominem ablato jecoris frusto supervivere, ac mori ab hepate nimium adaucto; sic ante annos aliquot patris mei curæ commissus est æger laborans ventre enormiter intumefacto usque ad mortem, cujus cadaver apertum clare causam hujus mali ponebat ob oculos, hepar scilicet in incredibilem molem adauctum; atque idem in gallina, quæ nunquam ova pepererat, accidisse memini, cujus hepar habebat pondus totius libræ.

Lien est membranularum congeries in cellulas atque concamerationes efformata, in quibus cellulis innumeræ glandulæ ovales albæque mirabiliter adhærent, in quas patent arteriæ, venæ & nervi.

Scilicet per arterias, ut industrius hujus ævi anatomicus arbitratur, defertur humor in glandulas lienis, per glandulas humor separatus acidiusculus in cellulas nominatas, ex cellulis fermento acido imbutis in ramum splenicum, & sic ad hepar, ubi in sanguine præcipitat aliquatenus bilem, ut illa in acinis hepatis glandulosis tanto facilius separetur.

Hinc jam manifestum est, quid mali vulnus lienis accersat ægrotis.

Renes constant glandulis, in quas desinunt arteriolæ, venæ, nec non ramuli ureterum; per arteriolas nempe humor defertur in glandulas renum, in quibus separatur urina, ac a ramulis ureterum excepta propellitur ad vesicam.

Hanc rem ita se habere facilius credes, ubi noveris sequens experimentum, quod a Professore mihi communicatum est; nimirum si lac tepidum per syringem in arteriam injicias emulgentem, pars crassior redibit per venam emulgentem, & serosa portio sequestrabitur in rene, ac per pelvim in ureterem deferetur.

Liquet hinc, quàm periculosa sint vulnera renum, & quàm difficulter possint consolidari; hinc etiam facile intelligitur, unde proveniat sanguis cum urina excretus in rene vulnerato.

Dum loquor de renibus, recordor alicujus quæstionis apud Medicos jam sæpius agitatæ, quâ viâ nempe potus, paulo postquam assumptus fuerit, ejectus

per

per meatum urinarium, perveniat tam cito ad vesicam; an prius accedat ad massam sanguineam, an verò, non salutato sanguine, rectè & immediate proficiscatur ad renes aut vesicam?

Posterius magis verosimile videtur & confirmatur sequenti experimento; si alicui, paulo postquam allium aut asparagos comederit, secetur vena, nec sanguis extractus nec serum in eodem supernatans allii aut asparagorum habebit odorem aut saporem, cum interim tum temporis urina manifeste allii aut asparagorum spiret odorem.

An jam hæc urina per poros intus foras spectantes ventriculi & intestinorum exeat & per poros foris intro spectantes vesicæ sub forma vaporum, ventris cavum peragrando, tandem deferatur ad vesicam, an potius per ductum peculiarem eò tendat, jam temporis non disputabo, quamvis sententia mihi magis arrideat posterior.

Vulnera fundo vesicæ illata valde periculosa sunt, verum ea, quæ collum carnosum vesicæ sauciant, sæpius consolidantur ob copiam vasorum sanguinem apportantium ac multitudinem rubulorum humores vehementium nutritios, atque hoc est, quod quotidie experimur post exactionem calculorum; licet, sanatis vulneribus illis, ægris aliquando per penem involuntarie profluat urina, nimirum quia in sectione ac extractione calculorum haud paucæ fibræ musculi sphincteris vesicæ dissecantur ac disrumpuntur.

Sed quid si in cavo ventris vascula quædam vulnerentur lymphatica, an hoc pacto non posset produci ascites? quid dicam? talis casus haud impossibilis esse videtur, quamvis non meminerim, me in praxi tale quid unquam conspexisse aut alicubi legisse.

Dolorem testiculorum instantis mortis signum esse in periculosis abdominis vulneribus testatur expertissimus *Paræus*.

Jam locutus sum de vulneribus abdominis externè illatis, restat adhuc vulnus, quod internè infligitur, cum scilicet umbilicus disrumpitur in ascite partim a magna aquæ distensione, partim ab acie particularum scindentium aquæ illi innatantium; sic memini puellæ hidropicæ quinque annorum, quæ, disrupto sic umbilico, interjecto paucorum dierum intervallo è medio viventium sublata fuit.

In tali umbilici disruptione sedulò cavendum est, ne affatim profluat aqua, ac præscribendum aposema ex guajaco, sarsaparilla aliisque confectum.

Sunt qui referunt, quod vulnus qualecunque irradiatum a luna difficulter possit sanari, sed num verum sit, nescio; aërem frigidum vulneribus nocere certum est, verum an ille splendente luna magis noxius sit, quàm alio tempore, hoc est, quod nondum expertus sum.

Dominus *Blanckardus* in collectaneis suis Medico-Physicis ait, spiritum Salis Armoniaci cum spiritu Vini mistum vulneribus valde prodesse, atque hinc non parum mea confirmatur sententia, ubi judico acidum in omni vulnere nocere, eique corrigendo præcipuè nos incumbere teneri.

OBSERVATIO IV.

De Arteria brachii vulnerata.

Militi quadraginta annorum latigladii acie vulnus inflictum est in brachio infra cubitum, ex quo sanguis magno impetu & quidem subsultim prosiliit.

Illa

Illa nempe vulnerata fuit arteria, quæ palpatur, dum pulsus inquiritur ægrotorum.

Hæmorrhagiam narium aliquos è medio sustulisse novimus, legimusque sanguinem post dentis extractionem rapidissime profusum necem nonnullis intulisse; quodsi jam exiles adeo arteriæ apertæ possint esse lethiferæ, in quantum vitæ periculum tantæ arteriæ apertura miseros vulneratos non adducet?

Medela igitur differri minimè debebat, quandoquidem in mora tantum erat periculum, ideoque statim, postquam adveni, duo lintea ad teretem figuram contorta instar crucis sibi invicem imponebam paulò supra vulnus, superpositâ deinde strictâ satis ligaturâ.

Sequens tandem medicamentum cum albumine ovi permixtum ac linteis carptis exceptum vulneri applicui:

℞. Rad. tormentil. ℥ij *Cupular. gland. & Nucum gallar. ā.* ℥ß. *Mastich.* ℥ß. *Boli Armen. & Terræ sigill. ā.* ℈xiv. *M. F. Pulv.*

Interea temporis subinde æger assumebat duo cochlearia hujus mixturæ.

℞. Aq. plantag. ℥ij. *Rosar.* ℥j. *Sacch. perlat.* ℥iij. *Sanguin. dracon.* ℥ß. *Terræ sigill.* ℈ij. *Sal. prunell. g.* xxv. *Laud. opiat. g.* iij. *F. Mixtura.*

Atque ita subsistente sanguine vulnus non religavimus ante diem tertium, & tum temporis ex vulnere parum puris, nihil autem sanguinis promanabat; atque vulnus hoc adeo periculosum deinde intra bimestre spatium boni digestivi ope planissime consolidatum est more aliorum vulnerum.

Valde periculosum fuit hoc vulnus, sed multo fuisset periculosius, si supra cubitum sedem suam habuisset, quia hic unica magna arteria tantum reperitur, quæ infra cubitum in duos ramos satis magnos dividitur, sic ut, uno per artem occluso, sanguis per alterum libere possit proficisci.

Aliquando contingit, ut sanguis ex arteria infra cubitum vulnerata impetuose prorumpens minime sisti possit modo prædicto, ideoque tunc adhibenda sunt instrumenta quædam ferrea, quæ penes me habeo, quamvis eorum descriptionem verbis exprimere vix possim, atque hoc pacto duos a patre meo sanatos esse memini.

Sic etiam penes me habeo instrumentum ferreum, cujus ope patruus meus, consul ac Medicus ordinarius Stenovici, ut mihi narravit, sanguinem ex arteria carotide in collo vulpis vulnerata profluentem fœlicissime compescuit.

Cum igitur vulnera arteriarum sint adeo periculosa, ut vidimus, hic loci duplex cautio adhibenda mihi videtur; primò ne more Veterum datâ operâ in dolore capitis aliisque affectibus exerceamus arteriotomiam circa tempora, frontem, aut alibi, nam non est, quod exspectemus majus commodum ex aperta arteria, quàm ex simplici sectione venæ.

Secundò, ne aneurisma pro vulgari habentes abscessu, incautè dilatatam dissecemus arteriam, nam hoc modo quosdam mortuorum numerum auxisse certò novi.

Præterea ligaturæ nimis arctè constringi non debent, nam hoc pacto sphacelum lethalem inopinato accersitum esse memini.

Sed quod si æger ex vulnere arteriæ tantum sanguinis profuderit, ut jam ingens animi patiatur deliquium, ac mors quasi præ foribus existat, quid tunc agendum supererit? an transfusio sanguinis jam temporis adeo celebrata hoc in casu non posset prodesse, præsertim cum a viris fide dignis narretur, canem, ex quo uno die tantum sanguinis erat extractum, ut propemodum se movere amplius nequiret, sanguine sequenti die a vitulo accepto, momento temporis viribus recuperatis incredibilem ostendisse vigorem.

Re-

Respondeo, quod non meminerim hanc operationem apud nostrates ullo unquam tempore esse institutam, ideoque hac de re judicium meum cautè suspendam.

OBSERVATIO V.

De Fractura Tibiæ cum vulnere.

Virgo viginti annorum ictu sclopeti parvis globulis plumbeis onerati & cominus inopinato ac nescio quo infortunio explosi in interiore cruris parte paulo infra genu vulnus accepit, quod longè latèque egregiè patebat, imo in tantum, ut palmæ spatium superaret; aderatque ingens ossis tibiæ in valde parva fragmenta diffracti contritio & comminutio, quæ se per totam vulneris longitudinem atque ossis tibiæ crassitiem extendebat; hinc dolor atrocissimus affligebat ægrotam, quæ ideo multas noctes insomnes transigebat, aut si per exiguum temporis intervallum aliquando dormiret, mox evigilabat non sine summo terrore ac quasi cum convulsione cruris vulnerati, unde ossa diffracta non rarò distorquebantur.

Ossa confracta absque magna extensione reponebantur, & fragmenta, quæ ab aliis partibus prorsus erant separata, soluta & libera, è vestigio blande eximebantur, reliquis adhuc aliquatenus adhærentibus relictis, donec progressu temporis separarentur.

Tunc digestivum confectum ex therebinthina, vitello ovi, pulvere radicis iridis, aristolochiæ, myrrha, aliisque imponebatur cum emplastro ac lavamento acidum temperante; deinde adhibebatur communis ligatura, tandemque crus affectum capsulæ ligneæ inclusum concinnè collocabatur in lecto, supra quem funis suspendebatur, quo ægra corpus aliquatenus, ubi necessitas exigebat, posset erigere; ac ad pedes ægrotæ in lecto ponebatur erectus semicirculus ligneus, ne scilicet stragulorum gravitas cruri affecto aliquam crearet molestiam.

Venæ-sectio, quam plures commendare solent in tali casu, omninò omissa fuit, quandoquidem nihil utilitatis inde promanare potest, nec magis secundum methodum vulgarem hic in usum revocata sunt purgantia, quia hoc in malo quiete nihil optabilius, atque nihil perniciosius quàm motus; sed ubi ægra nonnunquam alvum exonerare tenebatur, linteum quadruplex supponebatur natibus, quod alvi excrementa excipiebat.

Patiens interea temporis comedebat cibum concoctu haud difficilem, bibebat cerevisiam recentem ac primis singulis vesperis assumebat blandum aliquod anodinum ad mitigandum dolorem ac tollendum illum terrorem, de quo dixi.

Ossa reponebantur, quotiescunque post terrorem nocturnum reperiebantur distorta.

Vulnus ob magnam puris copiam quotidie bis religabatur, atque ita progressu temporis complura fragmenta separata sunt, tuncque calli generationem ac accretionem quotidie conspeximus pupullulantem non ex medulla, sed ex ossis tubulis valde angustis, per quos humores nutrientes ex arteriolis egressi deferuntur.

Vulnus hoc, periculosum adeo, intra semestre spatium coaluit, ac patiens ferè iterum tam belle incessit ac obambulavit, quamfecerat, priusquam hoc vulnus illi infligeretur.

Si-

Simili cum successu aliam fœminam eodem malo decumbentem à patre meo sanatam esse recordor; sed hæc duo exempla aliquem adeo securum reddere non oportet, ut fracturam cum vulnere parvifaciat, nam illam plurimis necem intulisse compertum habeo; sic ubi in nosocomio Rotterodamensi aderam cum aliis quotidie per totos fermè dies curandis plurimis vulneratis, qui ex obsidione urbis de Graaf appulerant, omnes, qui fractura tibiæ cum vulnere laborabant, è vita abreptos esse novi, ac inter alios unus affligebatur fractura tibiæ cum vulnere, in quo plurimos vermes latos, crassos, & albicantes non sine admiratione conspexi; sed unde hi vermes suam traxerunt originem? scilicet ab ovis ex aëre in vulnus delapsis, ex quibus exclusi sunt vermes, ubi quædam in humoribus stagnantibus exorta fuit fermentatio. Sic ova non pauca ex aëre decidunt in lac, ex quo postea conficitur caseus, & quamdiu hic recens est, ova non excluduntur, sed ubi caseus putrescit, hoc est, ubi fermentatio quædam progressu temporis producitur in caseo, tum demum vermes prorepunt ex ovis.

Sic in valde magna ossis contritione fracturam cum vulnere comitante crus pauló infra genu extirpatum esse memini.

In fractura tibiæ cum vulnere quidam adhibere consueverunt ligaturam octodecim capitum, quæ Belgicè nominatur *een boexwijse ligatuur*, sed nos feliciter usi sumus communi, quam bis quotidie mutavimus ob ingentem puris profluentis multitudinem.

Novi Chirurgum, qui loco capsulæ ligneæ, de qua dixi, in usum revocat instrumentum quoddam ferreum, cui crus affectum imponitur, & conservatur ita extensum & immobile, sed illud instrumentum hic verbis exprimere non possum.

In simplici fractura tibiæ apponuntur plerunque ferulæ ex charta crassa confectæ; illæ verò in nostra ægrota prorsus omittebantur, quia in vulnere tam vasto minime videbantur convenire.

Digestivo nostro, quod vulneri imponebatur, nulla admiscebatur pinguedo ob ossa denudata, nam quod pinguedo noceat ossibus experientia abunde testatur, ejusque rationem reddidimus antea.

Paræus de Praxi Chirurgica bene meritus est, multumque habuit experientiæ, attamen perperam in fractura cum vulnere commendat astringentia, quæ quare & quantum noceant, sæpius diximus. Non puto autem aliquem in malam partem interpretaturum; quod tantum virum audeam reprehendere, nam quò clarior est aliquis, eò periculosiores sunt ejusdem errores, quia plurimi solâ auctoritate tanti viri permoti cæco quodam impetu eundem sequuntur, euntes quà itum est, non quà eundum.

Notandum est callum difficillime produci in fracturis gravidarum & lactantium, quia materia idonea a fœtu aut infante callo subducitur. Sic *Fabritius Hildanus* refert in Cent. v. Obser. LXXXVII. quod hac de causa in fractura tibiæ cum vulnere vigesimâ tertiâ septimanâ ossa adhuc vacillarint.

In fractura tam simplici, quàm composita, ubi callus ossa confracta iterum conjunxit, ægri plerunque molestiam quandam persentiscunt in motu, quod contingit, quia callus recenter generatus occupat locum musculorum hanc aut illam partem moventium.

Antequam huic observationi finem imponam, duo problemata valde intricata extricanda superesse mihi videntur; primum est, quare ossa, dum hyems est serena facilius, ac citius diffringantur, quàm alio quovis tempore; alterum verò, unde proveniat terror post somnum brevem ægros tam simplici quàm compositâ fracturâ laborantes plerunque invadens.

Ad primum aliqui fortasse responderent, glabritiem glaciei efficere, ut homines sæpius prolabantur in terram atque hoc pacto facilè evenire, ut ossa disrumpantur; verumenimverò hoc nodum non solvit, hoc difficultatem nondum tollit, nam ossa non tantum, sed & ferrum, lignum, aliaque dura corpora brumali quàm alio quovis tempore facilius disrumpuntur. Unde igitur hoc contingit? dicam, ausculta paulisper; Quò partes corporum durorum pertinacius & firmius conjunguntur inter se, eò difficilius diffringuntur; hoc certum est: sed quodnam est illud, quod in partibus durorum corporum efficit cohærentiam? non quies, ut quidam opinantur, quoniam illa non est aliquid positivum in corpore, sed tantum privatio motus, ideoque hoc effectum non producit quies, sed aër comprimendo partes durorum corporum conjungit ac cohærere facit, ut patet ex experimento in Observatione septima tertiæ Decadis citato; aër autem, dum æstas est, magis premit quàm medio hyeme, partim quia tum temporis a calore Solis validius agitatur, partim quia tunc gravior existit ob admistos plurimos vapores ab ardente Sole sursum propulsos; atque hìc jam manifestum evadit, quare ossa, aliaque dura corpora hyemali tempore facilius frangantur, quàm æstate; hinc etiam facile colligi potest, quare ligna in foco multò citius comburantur, cum rigidâ premimur hyeme, quàm dum amœnâ fruimur æstate; nimirum aër brumalis debiliori sua pressione non valde pertinaciter particulas ligni conjungere potis est, unde hæ particulæ a ligni corpore facilè separantur, dum vim patiuntur a particulis quibusdam terrestribus Soli materiæ Mundi subtilissimæ innatantibus, ideoque rapidissime agitatis. Huc accedit, quod aër hyemalis, utpote minus premens & pauciores continens, flammam liberius divagari permittat.

Veniamus jam ad alterum problema, quo quæritur, unde oriatur terror in somno, non autem in vigilia ægros ossis fracturam patientes invadens, ac ossa disrupta non raro iterum distorquens.

Paræus magnâ experientiâ in arte Chirurgica locupletatus, qui ipse aliquando fracturam tibiæ ac fibulæ cum vulnere passus est, ac in proprio corpore hunc terrorem vividè satis persentiit, ut ait, hujus phænomeni rationem reddere conatur in capite vigesimo sexto Libri agentis de fracturis, sed misere philosophatur ibidem, non nisi nugas ac chimæras in medium proferens.

Videamus igitur, num nos rationem magis vero-similem afferre valeamus; tentabimus saltem. Ubi vigilant ægroti, vident, audiunt, edunt, bibunt, agitant brachia atque hoc modo multum succi nervei consumunt, sic ut ille haud adeò magnâ copiâ profluat in partes irritatas ex cerebro, sed cum somno sua membra demulcent ægri, longe aliter se res habet. Aures non audiunt tum temporis, oculi occlusi sunt, nares consueto negotio non vacant, lingua silet, brachia quiescunt; ubi igitur illo tempore humores circa fracturam tibiæ stagnantes ac acescentes distensione sua fibrillis afferunt molestiam, ac easdem scissione sua irritant, tunc, inquam, succus nerveus, qui jam ad negotia in vigilia peragenda non impenditur, magnâ copiâ prolabitur in musculos irritatos, qui hoc pacto inflati crus vehementer movent, ac unam ossis diffracti extremitatem in hanc, alteram in illam partem miserè distorquent, unde dolor satis atrox exoritur, & sic patiens post brevem somnum non sine terrore expergiscitur.

OBSER-

OBSERVATIO VI.

De Dislocatione Tali cum vulnere.

QUadragenarius ex alto delapsus est in terram, atque ita passus est dislocationem in talo interiori sinistri cruris conjunctam cum vulnere vasto, extra quod os tibiæ tres digitos transversos longum prominebat, aderatque dolor atrocissimus.

Casus hic valde periculosus est, nam si non sine summo vitæ periculo gangræna aliquando invadat indicem digitum dislocatione cum vulnere correptum, sicut id ipsum non ita pridem contigisse memini, quàm horrenda symptomata timenda non sunt, si in magno tali articulo reperiatur ingenti cum vulnere dislocatio?

Sed quàm periculosus, tam rarus est etiam hic affectus, sic ut *Paræus*, *Pigræus*, *Aquapendens*, *Barbette*, aliique eundem in libris suis vix attingant, quamvis *Scultetus* in armamentario suo Chirurgico de illo loquatur; sed an verbis ipsius adhibenda fides? an ejusdem consilium sequemur? videbimus illud postea, ponderemus prius verba sequentia ab eodem prolata; *Si articulus luxetur, ita ut sit vel detectus, vel extra pellem parum protrusus, affectus est lethalis, majoris periculi, si restituatur, quàm si non restituatur. Si enim non restituatur, superveniet inflammatio, convulsio & interdum mors, deinde aderit turpitudo ipsius membri, ac tertio ulcus insanabile, quod si forte cicatrice aliqua obducatur, ob mollitiem facile etiam solvitur; si verò reponatur, maximum adducit convulsionis, gangrænæ & mortis periculum; sed nonnulli ejusmodi pericula timent solummodo in articulis magnis, carpo videlicet, cubito, humero, talo & femore, qui ob tendinum robur, ligamentorum & vasorum magnitudinem restitutionem prohibent*; deinde addit; *si osse restituto superveniat convulsio, statim articulus iterum luxandus.*

Animus mihi est haud aliter ad hæc *Sculteti* verba respondere, quàm exactè, ac fideliter referendo medelam, quam ægroto nostro adhibuimus, quandoquidem hinc satis liquidò elucescet, quàm bene vel quàm male scripserit citatus auctor.

Primò igitur tibiam è sede sua propulsam abluimus spiritu vini tepido ad sanguinem coagulatum, ac sordes adhærescentes abstergendas, deinde, sufficienti factâ extensione, os dislocatum in locum suum repulimus, vulneri applicuimus bonum digestivum, superposito idoneo emplastro, lavamento acidum temperante, ac communi ligatura, atque crus hoc modo obligatum pulvinari molliori imponebatur, sicque æger deportatus est in lectum, supra quem funis suspendebatur, cujus ope patiens corpus erigere posset, sicut dixi in observatione prægressa, ac ad pedes ægroti lecto imposuimus assulam quandam; scilicet ne stragula suo pondere cruri vulnerato aliquod afferrent incommodum.

Ob copiam puris è vulnere profluentis crus affectum bis de die religare debuimus; sed interea temporis dolor vehementissimus suam exercebat tyrannidem in ægro nostro, qui febricitabat, delirabat, noctesque ferme totas traducebat insomnes, aut si patiens interdum brevi somno recrearetur, paulò post eundem subito è somno excitabat terror ille, de quo dixi in observatione præcedente, unde talus sæpius iterum aliquatenus distorquebatur.

Ad tollendum dolorem, febrim, vigilias ac delirium æger per vices assumpsit aliquid sequentis mixturæ;

℞. *Aq. betonic.* ℥iv. *meliss.* ℥j. *Syr. card. bened.* ʒiij. *Antimon. diaphor.* ℥j. *Sal. prunell. antimoniat.* ʒß. *Corall. alb. & Oculor. cancr. ā.* ℈j. *Laud. opiat.* G. iv. *F. Mixtura.*

Talus autem, quóties post somnum reperiebatur distortus, debebat reponi.

Atque ita trium septimanarum spatio vix elapso febris, ac delirium cessabant, deinde etiam, sed tardius terror modo nominatus, ac tandem quoque dolor, ac vigiliæ.

Sed incidit hic mihi aliquid in memoriam, quod propemodum oblitus eram, nimirum quod duo abscessus in affecto crure exorti sint, unus circa vulnus, alter in externa cruris parte, sed uterque hic abscessus post apertionem sanabatur.

Progressu temporis permulta fragmenta ab osse tibiæ separata sunt, quæ tunc ex vulnere blande sustulimus; ac carni fungosæ, quæ in vulnere conspiciebatur, singulis ferè diebus semel pulverem aluminis usti imposuimus, atque ita tandem in conspectum venit cicatrix, quæ de die in diem majus capessebat incrementum, sic ut circa sextum mensem totum ferè vulnus contexerit, quare æger scipionum ope iterum incedere cœpit, sed motu hoc vulnus iterum evadebat magis amplum, sic ut nondum omni ex parte coaluerit, quod nemini mirum videri debet, nam novi adhuc duos, qui per aliquot annos vulcus post dislocationem tali cum vulnere habuerunt.

Sed quod si post tali dislocati repositionem ægrum corripuisset convulsio, an tunc debuissemus sequi consilium *Sculteti*, & luxare iterum articulum repositum? non puto, quandoquidem causam non video, quæ nos ad hoc agendum impelleret.

Multorum phænomenorum hìc loci non reddo rationem, & quidem consulto, ne crambem bis coctam lectoribus apponam; nam puto nullam ullius phænomeni rationem hic esse omissam, quam non in hac, aut illa præcedentium observationum offendes.

OBSERVATIO VII.

De Naso læso ob frigus hybernum.

PUella sexdecim annorum, dum hyems sæviebat, ac frigus intensum aderat, conquerebatur de tumore, rubore, nec non dolore in apice nasi; atque hoc malo revertente hyeme jam sæpius afflicta fuerat ægrotula.

Scilicet ob frigus aëris nasum tam interne, quàm externe afficientis, sanguis in vasis valde exiguis ac humores in tubulis aliquatenus substiterunt, ac progressu temporis acorem quendam contraxerunt, unde tumor, rubor ac dolor facile deducitur.

Sed unde contingit, ut malum hoc jam aliquoties instante brumâ redierit? non alia de causa, quàm quia vascula, ac tubuli prima vice ita distorti sunt a sanguine, ac humoribus stagnantibus & acescentibus, ut postea nunquam tam bene ad statum pristinum redire potuerint, quin adveniente hyeme sanguis, ac humores in circulatione sua aliquod offenderent illic obstaculum.

Affectus hic Belgicè nominatus *de koud* periculo caret, sed interim tamen haud parum invisus est puellis suam qualemcunque formam pro summo bono habentibus, ideoque vitam, quàm formam amittere non raro malentibus.

Paucis

Paucis diebus linteo solo spermate ceti inuncto hoc malum in totum abegi. Non disputabo jam temporis, quidnam sit illud, quod spermatis ceti nomine innotescit; an revera sit semen magni piscis, an sit substantia quædam, quæ sub forma olei crassi reperiatur in cellulis quibusdam ovi anserini magnitudinem habentibus, ac sitis in capite balænæ, an tandem sit compositio quædam artificialis ex lixivio calcis, ac cerebro cujusdam piscis siccato confecta; hac, inquam, de re hìc loci non disputabo; sufficit mihi in citato medicamento contineri multum salis volatilis oleosi, quod acidum in sanguine, ac humoribus stagnantibus correxit.

Hoc malum non tantum apicem nasi, sed & calcaneum, ac pedum manumque digitos invadere solet; supervacuum foret hujus rei rationem reddere velle, quandoquidem manifestum est, aërem frigidum magis afficere extremitates corporis, quàm alias partes, ac vascula exigua citius obrui, quàm capaciora.

Ad malum hoc præcavendum cucurbitulas cum scarificatione adhibere solent, sed perperam, quoniam hoc pacto obstructiones non tolluntur, sed multiplicantur, & vascula distorta ad pristinum suum statum non revertuntur, sed magis distorquentur. Præstaret vapor ex accenso spiritu vini progrediens, aut fotus ex vino, ac herbis copiâ salis volatilis gaudentibus confectus.

Ad malum hoc, ubi apicem nasi infestare solet, præcavendum quidam applicant sanguisugas; sed malè, nam affectum hunc inde non parum exacerbatum esse memini, cujus rei rationem adderem, nisi illa satis constaret ex paragrapho præcedente.

Affectus, de quo dixi, pedetentim prorepere consuevit, sed occurrit aliquando aliud malum subito ab intenso frigore proveniens, diciturque gangræna ex frigore, quæ incipiens curari solet immersione in aquam frigidam; verumenimverò num hæc medela rationalis est? maxime, & rationi consentanea est & experientiæ; pomum congelatùm in aquam frigidam conjice; exiguo temporis intervallo illud, salvâ pristinâ saporis gratiâ, ac consistentiâ priori retentâ, observabis intus regelari, totâ glaciei crustâ putamini externo adhærescente; quod si autem idem pomum congelatum admoveas igni, flaccescet illico, ac saporis suavitatem amittet.

Complures nimirum particulæ in pomi congelati poris, ac tubulis contentæ, quæ prius fluidæ fuerunt, jam propter gelu induerunt formam glaciei, hoc est, multæ particulæ, quæ anteà a materia subtili satis forti motibus a se invicem diversis continuo agitabantur, jam juxta se invicem quiescunt, quia cinctæ sunt materia subtili, quæ debilior est, quàm ut illas in motu solito possit conservare. Ubi pomum hoc congelatum jam aquæ frigidæ immersum est, materia subtilis fortior ex aqua prævolat in pomum; & sic pomum regelatur; materia autem subtilis debilior ex pomo progreditur in aquam pomi putamen externum proxime tangentem, quod inde crusta glaciei obducitur.

Ubi vero pomum congelatum igni admovetur, materia subtilissima Mundi valde fortis, ac multis crassis ligni, aut cespitum particulis comitata per poros pomi congelati magno impetu ingredi conatur, nec potest, quia pori frigore valde constricti sunt, ideoque eosdem vi disrumpit, at ita consistentia, ac sapor hujus pomi mutatur, ac vergit in deterius.

Hinc jam satis liquet, quod rationalis sit hæc gangrænæ ex frigore curatio, licet interim una circumstantia varianda quibusdam forte videatur. Pomum nempe congelatum in aquam frigidam conjicitur, & quidem optime,

me, quia liquor in pomo bene constituto repertus quoad tactum frigidus est; sed sanguis ac humores nostri bene constituti non frigidi sunt quoad tactum, sed calidi aliquatenus, ideoque membrum levi gangræna ex frigore laborans potius in aquam tepidam (Belgicè *bloet-laeuw*) quàm frigidam deberet immitti.

OBSERVATIO VIII.

De Brachii atrophia, imbecillitate ad motum, ac algore.

JUvenis viginti quatuor annorum, quoad cætera bene habens, jam per sex menses brachii sinistri atrophia laboravit ab humero usque ad cubitum, brachiumque attollere, aliterve movere minime potuit, ac continuo de ejusdem algore conquestus est. Jam per longum tempus Chirurgi quidam huic affectui secundum vulgarem methodum mederi annisi sunt, ac emplastra sua, unguenta, linimenta, aliaque id genus medicamenta applicuerunt, sed incassum.

Scilicet humor valde viscosus in brachio hujus ægroti multas & valde pertinaces produxerat obstructiones, unde atrophia brachii, impotentia ad motum, ac algor ejusdem facili negotio deducitur.

Humor autem ille crassus tam profunde delitescebat, ut per unguenta, aliaque hujus farinæ remedia vix, ac ne vix quidem posset dissolvi.

Si vero hujusce mali medela diutius procrastinaretur, metus erat, ne ligamenta os humeri cum scapula connectentia in tantum prolongarentur brevi temporis spatio, ut accederet præterea dislocatio humeri sanatu difficillima, qualem descripsimus in primæ Decadis observatione ultima.

Idcircò nullâ morâ interjectâ manum operi admovi, ac jussi, ut singulis septimanis bis terve apponerentur septem, aut octo cucurbitulæ cum flamma, sed sine ulla scarificatione, eæque relinquerentur, donec cutis rubesceret, quo tempore pars affecta ad ignem sequenti lavabatur liquore prius calefacto, qui aliis singulis diebus etiam bis applicabatur,

℞. Rad. sarsparill. ℥j. *Cort. lign. guajac.* ℥ß. *Herb. rorismar. & salv. ā. M.* jß. *Flor. lavend. M.* ß. *Baccar. laur.* ℥j. *Sal tartar.* ʒjß. *ammoniaci* ℈ij. *Coquitur cum spiritus vini* ℔ijß *in duplici vase, ac cola.*

Præterea curavimus, ut spiritus vini communis interdum accenderetur, ac ut ejusdem vapor partem laborantem superne contectam circumvolitaret, atque ita algor intra duas septimanas abiit, ægerque intra sex menses brachium sinistrum non aliter, ac dextrum movere potuit & agitare, ac interim brachium quotidie evadebat carnosius.

Modum, quo cucurbitulæ ac prædicta medicamenta ægrum nostrum sanarunt, silentio hic loci prætereo, & quidem consultò, quandoquidem illud satis liquet ex observatione nona quartæ Decadis.

OBSERVATIO IX.

De Uvula, ac Tonsillis male habentibus.

JUvenis triginta annorum sub jove frigido ambulans corripiebatur dolore, rubore, ac tumore tonsillarum & uvulæ, unde difficultatem sentiebat in deglutiendo, quamvis interim ferè assiduò ad deglutiendum impelleretur.

Sanguis

Sanguis scilicet in vasculis suis, ac humores in tubulis tonsillarum, & uvulæ stagnabant ob aërem frigidum per inspirationem admissum, coacervabantur, ac acescebant, unde exortus est tumor, dolor, rubor ac deglutiendi difficultas.

Sed unde originem traxit tam frequens ad deglutiendum impulsus? ex eo nimirum, quod membrana uvulæ subjecta habeat nervos, qui ab uvula relaxata, ac incumbente tacti causa sunt, quod succus nerveus majori copia deferatur in musculos deglutioni dicatos.

Accersitus ad ægrum præscripsi sequens gargarisma:

℞. Spir. vini ℥iij. *Aq. flor. sambuc.* ℥ij. *Spir. sal. armon. G.* xx. *M. S.*
Atque hoc pacto patiens noster brevi sanatus est.

Præscriptum autem gargarisma mox profuit, dum acidum temperabat, coagulatos humores dissolvebat, ac obstructiones recludebat.

Uvulam ob humores viscidos illic stagnantes, ac coagulatos relaxatam in me ipso sæpius restitui, dum apice digiti solo spiritu salis armoniaci madefacto eandem blande tangebam, cujus medelæ rationem, utpote Sole meridiano clariorem, non addam.

Anginam ferè desperatam sæpius sanatam esse memini decocto ex idoneo liquore ac herbis multum salis volatilis continentibus confecto, quando ejusdem ferventis vapor, capite ex superiori parte bene contecto, in oris cavitatem assurgebat, ac totam faciem, collumque externe circumvolitabat.

Quia in desperata prorsus angina tandem sentiendum de laryngotomia? *Antonius de Heyde* dicit, eandem sine periculo posse exerceri, seque ipsam fœliciter instituisse in cane, qui absque ullis molestis symptomatibus intra paucos dies pristinæ sanitati restitutus est; ac præterea Dominus *Blanckardus* in collectaneis suis Medico-Physicis Dominum *Smalsium* celebrem Chirurgum Lugdunensem in homine laryngotomiam bono cum successu exercuisse perhibet.

OBSERVATIO X.

De Labio Leporino.

Puella semestris jam a nativitate sua laborabat labio Leporino, hoc est, fissurâ hiante labii superioris, formam puellæ alias haud adeo deformis miserè dehonestante.

Pater meus accersitus labium liberavit a partibus adjacentibus, ut extremitates melius, ac facilius ad se invicem appropinquarent; deinde utramque labii fissi extremitatem sufficienter excoriavit, ac univit unitatemque servavit tribus acubus argenteis, circum quas fila decussatim ducebantur, ut acus in situ suo retinerentur; interim cuspides acuum abscissæ sunt instrumento idoneo, quia metus erat, ne illi alias stragulis, aliisve rebus infingerentur, & sic carnem, cutimque dilacerarent & exciderent, sicut idipsum contigisse recordor.

Octavo die acus extractæ fuerunt, ac utraque labii leporini extremitas prorsus coaluerat, ac conspiciebatur unita, sanguine scilicet, ac humoribus ab una extremitate in aliam circularem suum motum peragentibus. Foramina autem ab acubus producta nonnihil puris adhuc fundebant, procul dubio non alia de causa, quàm quod acus nimis diu labiis infixæ permansissent, quare pater, ubi postea similem affectum in aliis curavit, acus citius exemit, &

quia acus argenteæ non minus quàm chalybeæ tanguntur rubigine, in locum argentearum substituit acus confectas ex chalybe, quia hæ carnem cutimque facilius perforant.

Clarissimus *Sylvius* vult, ut labium leporinum absque acubus sanetur sola ope emplastrorum; atque Chirurgum quendam ægrotulos nonnullos hoc pacto sanasse memini.

In infantibus semestribus hæc operatio plerumque exercetur, nam juniores si sint, carnem adeo mollem habent, ut illa minima de causa laceretur ab acubus inhærentibus, aci in ætate magis matura labii fissi extremitates tam prompte non coalescunt.

Sed unde fit, ut infantes labio leporino deformati aliquando ex utero prodeant in lucem? plerique mirabilem hunc effectum adscribunt matris imaginationi; verum hanc aliquid hic efficere alii iterum negant, ac pernegant. In ovo gallinaceo ante incubationem pullum jam jam formatum per microscopium conspici posse perhibent; voluntque eodem modo in ovo humano, ex quo nos generari statuunt, corpusculum jam jam formatum contineri, sive illud sit integrum, sive labio leporino affectum; atque res hoc pacto nondum satis dilucidatur, ratio addi deberet, cur in uno ovo humano corpusculum labio fisso laborans generetur potius quàm in alio, sed hæc penitius inquirere, ad praxin parum, aut nihil conducit, ideoque hoc labore supersedebimus.

Quintæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis

F I N I S.

DECA-

DECADIS SEXTÆ.

OBSERVATIO I.

De Fractura Tibiæ cum vulnere, & fragmento ossis extra vulnus in conspectum veniente.

JUvenis triginta sex annorum passus est fracturam ossis tibiæ paulò supra malleolum internum, quam dum manibus contrectabam, offendi fragmentum ossis habens latitudinem straminis, & longitudinem dimidii digiti extra cutim perforatam extremitate sua pungente prominens, quod digitis statim extraxi ex vulnere, quod perexiguum erat, & sanguinis nigricantis nonnihil emittebat. Dolor cæteraque symptomata fracturas comitari solita ægrotum affligebant.

Tibiâ fractâ repositâ Chirurgus interrogabat, num vulnus a fragmento ossis inflictum instrumento idoneo dilataret, sed abnuebam.

Imposuimus igitur vulneri emplastrum stipticum *Paracelsi* sine turunda, & cum fractura egimus more solito.

Per octiduum singulis diebus vulnus diligenter religavimus, & tribus primis diebus specillum ferreum molliter immisimus in orificium vulneris angustum, atque ita profluebat adhuc parum sanguinis nigricantis.

Vulnus hoc pacto tractatum intra octiduum absque ulla puris emissione coaluit, quare postea fracturam singulis septimanis tantum semel aut bis religavimus, & sic ægrotus noster brevi temporis spatio sanatus est, iterumque tam bene ambulavit ac unquam ante.

Quod si jam vulnus hoc angustum scalpello vel forcipe dilatassemus, creasset nobis ingens negotium dolore, pure promanante, aliisque symptomatibus, vulnusque longe majus spatium postulasset, ut coalesceret, atque ita, dum quotidie debuisset semel aut bis religari, etiam ossium fractorum conglutinationem non parumper distulisset.

Quod si verò perlongas turundas, sicut hic malus mos est plerisque, intrusissemus, tunc pus absque dubio provocassemus & leve vulnusculum mutatum esset in ulcus difficuiter medicabile.

Ex vulnere per aliquot dies promanavit nonnihil sanguinis, ut dixi; unde manifestum fit, sanguinem extra vasa profusum mora sua, quàm nectit ibidem, non mutari in pus, imo tantum abest, ut induceret albicantem boni puris colorem, ut potius mutaretur in colorem nigrum, & albo contrarium.

OBSERVATIO II.

De Vulnere pectoris penetrante cum Syncope.

Vir militaris triginta circiter annorum ense valde tenui miserè perfossus est, sic ut vulnus paulò infra sinistram mammillam penetraret in cavitatem thoracis.

Vulneratus incidit in syncopen per aliquot horas durantem, ex vulnere parum sanguinis profluxit.

Postero die accersitus ægrum invenio mediocriter habentem, bene respirantem, ac parum & sine dolore tussientem.

Astantes consulebant me, ut & Chirurgus, an non expediret paracenthesin facere in loco paulò humiliori, ut sic sanguis, forsitan in cavum pectoris prolapsus faciliori via egrederetur.

Sed quandoquidem ægrotus noster non difficulter respirabat, & mediocriter, quoad cætera, se habebat; judicabam vix aliquid sanguinis diaphragmati incumbere, ideoque hanc periculosam operationem & nostris regionibus inconsuetam, ac nomine tantum notam in vulneribus pectoris minime hic loci convenire.

In vulnus igitur secundum consilium nostrum immittebatur turunda ex spongia cum cera & resina præparata confecta ad vulnus magis dilatandum, & viam aperiendam sanguini, si quis adhuc fortassis in cavitate pectoris delitesceret.

Sed nihil sanguinis ex cavo pectoris promanabat, & parum puris ex vulnere, atque ita Patiens, sumpto aliquoties de die apozemate pectorali, intra tres septimanas pristinæ sanitati restitutus est, & brevi post tempore in Angliam profectus est cum Principe Auriaco.

Sed unde syncope ægroti nostri producta fuit? forsan ab ira immoderata & vindictæ cupiditate, nam hæ passiones sanguinem solitò magis agitare solent, atque ita hoc aut illud fermentum acidum in latibulo quodam partis solidæ quiescens eluere possunt, quod permistum cum massa sanguinea eandem coagulat ita, ut circulum suum perficere vix queat, & tunc præ foribus est syncope.

OBSERVATIO III.

De Vulnere vasculi lymphatici.

Juvenis viginti quatuor annorum sinistri pedis malleolo externo inflixit vulnusculum valde parvum, ex quo nihilominus quotidie ingens aquæ limpidæ copia sine dolore profluebat, unde conjecturam feci illic vasculum aliquod lymphaticum sauciatum esse, quare ægroto prædixi hanc plagam, licet exiguam, tardioris tamen esse medelæ.

Primo igitur specillo vasculum vulneratum aliquousque molliter retrorsum protrudere conatus sum, ut plicæ hoc pacto in vase lymphatico formatæ sibi invicem per fibrillas quasdam jungerentur atque ita vasculum hoc occluderent, qua de re vide Dominum a *Solingen* manualium operationum parte quarta, capite ultimo, & penultimo.

Deinde

Deinde inspersi pulverem vitrioli cyprini & croci martis astringentis alternatim, & imponebam emplastrum diapompholigos, strictamque ligaturam, atque ita tribus septimanis sanatus est patiens.

OBSERVATIO IV.

De Ulcere cancroso pollicis.

Puerulus sex septemve annorum laborabat ulcere fœtido, nigricante, duro, cancroso ac dolorifico pollicis dextræ manus, qui in immensum excreverat.

Unguis deciderat, sed ex radice illius intra paucos dies propullulabat lamina nigra admodum, ac multò tenuior ungue pollicis, quæ abscissa aliquoties brevi iterum renascebatur.

Circumforaneus quidam per longum tempus ægrotulo opem nequicquam tulerat.

Pollex nimirum hujus puerulli ante aliquod tempus valde compressus fuerat, unde tubuli illius partis non parum distorti sunt & obturati, sic ut humores per circulationem eousque progressi non potuerint redire, unde acore suo, quem progressu temporis sibi contraxerunt, doiorem, & nimiâ copiâ, qua partem affectam distendebant, tumorem attuiêre.

Circumforaneus postea medicamentis suis frigidis, & austeris malum hoc eò usque adauxit, ut tale, quale illud descripsi, se præbere conspiciendum.

Non loquar hic de fœtore, nigritie ac duritie, quandoquidem hæc phænomena Decadis secundæ Observatione ultima explicui, ad quam lectorem remitto.

Obstructiones hujus pollicis adeo pertinaces mihi videbantur, ut existimarem easdem vix cessuras medicamentis externis, nisi per interna effectus externorum adjuvarem, quare ægrotulo decoctum ligni guajaci per mensem integrum præscripsi, ac interea temporis aquâ divinâ *Fernelii* ex Mercurio sublimato, & aqua plantaginis confecta partem affectam lavabam atque sequens unguentum:

℞. *Therebinth.* ℥ß. *Vitell. ovi N.j. Ung. basilic.* ʒij. *Merc. præc. rub.* ʒj. *Myrrh.* ʒij. *Crystall. montan.* ℈ij. *M. F. Unguentum.*

cum emplastro de ranis cum duplici mercurio imponebam, & sic puerulus post duos aut tres menses tandem sanatus est.

Mirum alicui forsan videbitur, quod lamina ista nigra tam citò & tam sæpe ex radice unguis enata sit, sed res hæc prolata comparatione manifestior evadet. Sæpius absque dubio vidisti ex trunco arboris abscissæ fungos propullulare, quia nimirum figura tubulorum trunci pluvia, aliisque particulis in aëre contentis ita immutatur, ut particulæ è terra per radicem ascendentes in superficie trunci non in ramos sed in fungos excrescant. Eodem modo figura tubulorum in radice unguis a pure & ichore ita distorta est, ut humores per radicem unguis circulantes produxerint loco unguis talem laminam tenuem & atram.

OBSERVATIO V.

De Vola, cui spina inhaerebat.

PUerulo trium, vel quatuor annorum spina forte in volam manus intrusa fuit, adeò profundè, ut non amplius in conspectum veniret; parentes, quibus res angusta domi erat, per octiduum ipsi hanc manum curarunt, unde illa in incredibilem molem adaucta & horrendum in modum inflammata fuit. Nono die me cum Chirurgo vocarunt, quo tempore minimum digitum ostendi sphacelo crudeliter correptum, quare extemplo praedixi, eundem nullo modo posse conservari.

Quantum ad manum affectam attinebat, praedicebam, sequenti die abscessum in interstitiis digitorum sponte apertum iri, sicut etiam evenit.

Spina haec forte nervum vulneraverat; unde ingens dolor exortus est, hoc est, vellicatio magna fibrillarum, atque ita humores substiterunt, & acidi evaserunt; hinc jam tumor, inflammatio, abscessus & spacelus facile deduci potest ab eo, qui praegressas meas Decades attento animo perlegit.

Digitum sphacelo laborantem pluma, oleo antimonii imbuta, in confinio vivi & mortui tangere Chirurgo jussi, ut caro viva separaretur a parte demortua, nam oleum antimonii inducit escharam, eschara autem intermedia prohibet, ne humores peccantes partis emortuae inficiant carnem viventem; aperturis autem imposuimus unguentum digestivum & sequens cataplasma toti manui applicuimus:

> ℞. *Herb. scord.*, *philandr.*, *absinth.* & *bismalv.* ā. M. iij. *Flor. camomil.* & *sambuc.* ā. M. ijß. *Far. lupinor.* ℥ij. *lin.* ℥iij. *Myrrh.* ℥ij. *Panis bis cocti* q. S.

Coque in vino ac fiat secundum artem cataplasma.

Abscessus hic deinde multis aliis in locis brachii usque ad juncturam cubiti apertus est, & tamen puerulus post mensem unum aut alterum sanatus est amisso, ut praedixeram, minimo digito.

OBSERVATIO VI.

De Ulcere ductus salivalis.

PUellae viginti circiter annorum abscessus sponte ruptus & apertus est in illa colli parte, ubi tonsillae, quando solito magis intumescere solent hac aut illa de causa, digitis palpari possunt.

Abscessus idoneis medicamentis intra mensis spatium sanatus est, sed profundum & exiguum vaide foramen remansit, quod nullum pus emittebat, sed multum humoris limpidi, & praecipue quidem tum temporis, cum aegra comedebat, nam tunc totus radius humoris praedicti prorumpebat ex ulcere. Multa a me & ab aliis praescripta sunt, sed sine fructu.

Pus nempe hujus abscessus corrosit ductum aliquem salivalem, atque ita permansit fistula immedicabilis.

Arteria aperta difficulter coalescit, difficilius vas lymphaticum, difficillime vero ductus aliquis salivalis.

Dominus a *Solingen* manualium operationum parte quarta capite ultimo affert

affert etiam exemplum ductus salivalis vulnerati, quem ingens negotium sibi creasse liberè confitetur; quod si jam ductus salivalis recenter vulneratus tam difficulter coalescat, multò difficilius adhuc sanabitur ductus salivalis ab acri pure corrosus.

Ductus salivalis reperitur sub lingua, quare Chirurgi sibi caveant, ne eundem lædant, dum frænum nimis longum dissecant.

OBSERVATIO VII.

De Fistula lumborum in alterum renem penetrante.

QUadragenario nephritico a Chirurgo abscessus lumborum apertus est scalpello, ex quo primò multum puris, postea haud parum liquoris limpidi profluebat; specillum usque in renis substantiam adigebatur.

Hac re ad me delata, extemplo prædicebam, fistulam inde remansuram nullâ medicabilem arte.

Idem casus mihi obtigit Rotterodami in quinquagenario, cui hæc lumborum fistula penetrans in renem usque ad ultimum vitæ halitum adhæsit.

Facile intelligi potest, quo pacto in hoc nephritico arenulæ irritatione, & vellicatione sua renum tubulos ita distorserint, ut humores stagnarent, tandemque abscessum producerent, quare hujus phænomeni dilucidationi non diutius inhærebo.

OBSERVATIO VIII.

De Vulnere Oculi miserando cum contusione.

ADolescenti sexdecim annorum jactus vehemens baculi valde acuti ex alterius manu forte provolantis oculum sinistrum mirum in modum sauciavit & contundit.

Chirurgus satis peritus huic ægroto diligenter aliquandiu opem tulit; decimo quarto læsionis die accersitus inveni oculum in ingentem tumorem sublatum magna inflammatione laborantem, ac atroci dolore patientem crudeliter excruciantem; humores oculi confusi videbantur, ac extra palpebram inferiorem protuberabat excrescentia rubra carnea per totam oculi longitudinem extensa.

Aderat ad hæc febricula, pervigilium, dolor capitis, appetitus dejectus ac alvus astricta.

Humorum oculi confusionem conspiciens prædicebam istius omnimodam cœcitatem; membranæ nimirum humores oculi læsi distinguentes a se invicem vehementer fuerant contusi, unde suppuratione facta tandem dilacerabantur ita, ut humores confluerent in unum locum.

Baculum projectum ita contudit ac læsit oculum, ut multæ fibrillæ disrumperentur, ac plures valde distorquerentur, unde humores stagnabant ac acescebant, tumoremque inflammationem ac dolorem producebant; præterea sanguis in arteriolis per album oculi dispersis subsistens à subsequente sanguine ex corde magno impetu propulso urgebatur per poros arteriolarum valde distentarum exire, atque ita multæ particulæ è sanguine provolutæ sibi invi-

cem

cem ob superficierum similitudinem adhærebant, atque hanc excrescentiam rubicundam formabant.

Quo pacto jam ex magna oculi inflammatione febricula, ex febricula pervigilium, ex pervigilio dolor capitis, appetitus dejectus, alvusque astricta prodierit, haud opus, est ut ostendam, quandoquidem hæc ex præcedentibus Decadibus facillime deducuntur.

Quia ex oculo vulnerato, sicut ex radice, cætera symptomata tanquam ramuli propullulabant, oculi læsi medelæ imprimis incumbere placuit.

Sequens igitur collyrium:

℞. Aq. fœnicul. ℥iij. *Mell. rosat.* ℥ß. *Trochisc. alb. Rhas.* ʒij. *Tutiæ pr.* ʒß. *M. S.*

bis de die in oculum tepide instillavimus ad acidum humorum stagnantium temperandum, dolorem mitigandum ac vulnus detergendum; acria verò addere noluimus quamvis adesset excrescentia satis magna, quoniam oculus hæc non fert ob sensum exquisitum & valde delicatum.

Noveramus etiam experientia, tales excrescentias sublata inflammatione sine ulla medicamentorum acrium applicatione evanescere.

Superposuimus præterea sequens cataplasma ad dolorem leniendum, ac circulationem sanguinis & humorum subsistentium promovendam:

℞. Herb. bismalv., hyssop., euphrag., Sem. fœn. græc., & lin. ā. ℥j. *Cap. papav. N.* ij.

Coque secundum artem in vino, ac fiat cataplasma bis de die calide applicandum.

Hoc pacto abscessus intra oculum ex stagnantibus & acescentibus humoribus productus duobus in locis rumpebatur, unde dolor sedabatur, tumor subsidebat, ac excrescentia carnea incipiebat decrescere.

Intereà temporis internis medicamentis medelam accelerare conati sumus hoc modo; dum summus dolor aderat, ægrotulus singulis noctibus devorabat pilulam ex granis duobus laudani opiati confectam, unde placidè dormiebat ac egregie sudabat.

Adhæc alternis diebus assumebat aliquid sequentis conditi ad alvum laxandam:

℞. Conserv. rosar. ℥j. *Scammon., & Resin. jalapp. ā.* ℈j. *Pulv. milleped.* ʒß. *Mercur. dulc.* ℈j. *M. F. Conditum.*

Millepedes addidi, quia in plerisque affectibus oculorum prosunt. Tamdudum affirmavere Medici, millepedibus inesse peculiarem vim ad affectus oculorum persanandos, sed ista peculiaris vis mihi consistere videtur in magna copia salis volatilis, qua millepedes abundant, & quæ acidum peccans stagnantium humorum temperat.

Hoc pacto æger post trimestre spatium tandem convaluit, & dolor, tumor excrescentia, cæteraque symptomata abiere, sed humoribus per abscessum apertum elapsis oculus intra orbitam suam valde subsidit, visu penitus amisso.

Ante aliquot annos juveni cuidam portio quædam calcis cum aqua & arena permistæ, qua in ædificiis extruendis ad conglutinandos lateres utuntur, infortunio quodam ab altero in oculum injecta est, unde similis excrescentia carnea, aliaque symptomata prodierunt, idemque æger visum miserè amisit.

OBSER-

OBSERVATIO IX.

De Hernia lethali.

IN Podalirio meo redivivo mentionem feci adolescentis tredecim, vel quatuordecim annorum, qui per tredecim dies ægrotaverat hernia scrotum occupante, quæ a nemine poterat restitui. Dixi ibidem illum convaluisse iterum, ut Chirurgus mihi retulerat, sed res longe aliter se habet. Post secundam namque septimanam hernia restituta videbatur, verumenimverò non longo post tempore abscessus ruptus est in una & altera scroti parte, ac in infimo etiam ventre paulo supra pubem; ex his ulceribus, per quæ contenta intestini & plura omenti corrupti frustra excernebantur, æger tandem lenta morte peremptus est.

Accersitus ad hunc ægrum hernia laborantem indicabam non tantum intestinum sed & omentum simul scrotum occupasse, atque hoc in causa esse, quo minus intestinum posset restitui. Aderant, qui illud prorsus impossibile existimabant, dicentes, in cadaveribus a se dissectis omentum nunquàm sibi visum infra umbilicum descendisse; perinde ac si omentum hac aut illâ de causa a partibus, quibus prius connectebatur, non posset avelli, atque ita in scrotum prolabi, sicut stultorum magistra experientia in hoc ægrotulo manifeste docuit.

Hujus abscessus intestini, omenti, ac deinde etiam scroti origo satis manifesta mihi videtur; tubuli nempe intestini, omenti ac scroti compressi sunt adeo vehementer, ut sanguis & humores ex massa sanguinea advecti stagnarent, acescerent, tandemque cum particulis salinis effervescentes mutarentur in pus, quod acredine sua intestinum ac scrotum perforavit, ac frusta quædam corrupta manus mediocris longitudinem habentia ab omento adhuc integro separavit.

OBSERVATIO X.

De Paralysi utriusque brachii post Colicam biliosam.

JUveni viginti quatuor annorum, magnus amicus acidorum, laborabat colica vehemente cum cruciatu intolerabili, alvo pertinaciter astricta ac febri fervida cæterisque symptomatibus febrim comitantibus sæpius æger bilem viridem evomebat.

Dicitur hæc colica biliosa, sed acida potius dici mereretur, nam bilis non peccat hic loci ob abundantiam suam, sed propter acidum, quod illi admixtum est, sicut hoc manifestum evadit ex colore viridi, qui felli accedit ab acidis admixtis.

Sequente, quem præscripsimus, clystere alvus aliquoties laxabatur.

℞. *Decoct. emoll.* ℥x. *Vin. emetici turbidi* ℥iv. *Sal. gemm.* ℈jv. *M. F. Clyster.*

Ac febris post aliquot dies fugabatur mixtura, quæ sequitur:

℞. *Aq. fænicul., & menth. ā.* ℥ijß. *Syr. papav. alb.* ℥iij. *Antimon. diaphor.* ʒj. *Oculor. cancr.* ℈jv. *Sal. absinth.* ʒß. *Tinct. croci gutt.* xxv. *Sal. volat. oleos. gutt.* xxx. *Laud. opiat. gutt.* iv. *F. Mixtura.*

cujus

cujus duo cochlearia quater vel quinquies singulis diebus assumebat, sed post colicæ fugam febrisque, remansit dolor ingens, & ineptitudo ad motum utriusque brachii.

Acidum scilicet haud dissimile illi, quod in ventriculo vomitum bilis æruginosæ ac in intestinis summum colicæ cruciatum excitaverat, in brachio acredine sua dolorem, ac humorum coagulatione obstructiones adeo pertinaces produxit, ut succus nerveus in musculos non satis patula via posset profluere ad motum requisitum efficiendum.

Æger igitur spiritum antiscorbuticum internè usurpavit, eum in finem, ut acidum in ventriculo, intestinis ac massa sanguinea contentum temperaretur, ac ita causa prima tolleretur.

Deinde singulis diebus utrumque brachium flagellari curavit urtica viridi, ac inungi sequenti linimento.

♃. Ol, tartar. fæt. ℥ij. *Lumbric.* ℥ß. *Laurin.* ʒiij. *Lavendul.* ʒj. *M. F. Linimentum.*

Atque hoc modo æger convaluit.

Urtica dolorem, ruborem ac pustulas per totum brachium excitavit aculeis suis pungentibus & humorem acrem in cavitate sua per microscopium visibili continentibus, unde fibrillæ brachiorum usque adeò agitatæ sunt, ut humores obstruentes ex latibulis suis excusserint; linimentum autem humores viscidos attenuavit magis, & dissolvit ita, ut liberè iterum circulationem suam cum sanguine perficere valerent.

Novi adhuc duos, quos ante annum unum alterumve talis colica, biliosa vulgò nominata, & paralysis manuum subsequens è medio viventium lento gradu sustulit; alias morbus hic rarius in nostris regionibus occurrere consuevit.

Ægritudo hæc etiam nonnunquam reverti solet, quare vinum emeticum bis aut ter in anno propinandum censeo, quod experientia teste valde proficuum est in hoc casu, atque ratio etiam adstipulatur, quandoquidem in his ægrotis per vomitum haud parum bilis æruginosæ cum levamine evacuatur.

Sextæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis

F I N I S.

DECA-

DECADIS SEPTIMÆ.

OBSERVATIO I.

De Epilepsia miranda.

Hic casus a Martino Harmes præclaro Medicinæ Doctore Bremensi mihi missus est, cujus literas cum responsione mea hic loci annectere placuit.

CLARISSIME VIR,

Fecit nominis tui celebritas, ut literarum tecum commercium ineundi incredibili jam pridem flagrarim desiderio. Temeritatis, fateor, notam effugere vix possum, quod junior atque inferioris subsellii Medicus, quas de tot ægrotantium salute suscipis curas, interrumpere sustineam. Humanitate tamen fretus tuâ, quàm cum alii plurimi, tum & genere & animo nobilis Gebema infinitis in cœlum effert laudibus, non est, quod certissimâ lactare me spe dubitem, fore, ut quos aliis, eosdem & mihi indulgeas faciles aditus.

Tertius agitur annus, ex quo Lugduni-Batavorum politissimos tuos casus Chirurgicos insigni animi voluptate perlegi. Gaudebam mihi & gratulabar, veræ & sanioris Philosophiæ alumnis esse, qui in Chirurgica facem prælucere, spissâque inanium terminorum caligine discussa, totque ridicularum facultatum chimæris proscriptis, abstrusissima quævis & Oedipo ipsi insolubilia phænomena quàm clarissime enucleare satageret. Quàm verò feliciter voti fueris compos factus tui, omniumque satisfeceris expectationi, loquitur Belgium, agnoscit Germania, laudant Medici, summi, infimi. Sed quid ego in laudes tuas excurro imprudentior, quarum præcones post fata invenies me longe præstantiores, quin & illa tua modestia tacite me increpat, monetque, caveam, ne liberalius te laudande turpis adulatoris incurram suspicienem; satius itaque erit, quas calamo exprimere non datur, eas religioso silentio exosculari tuas virtutes, teque humanissime rogare, velis, si quid otii nactus fueris, neque Machaoniam postulet æger opem, quid tua tibi praxis insoliti, quid inauditi suppeditet, perscribere mihi. Ego in futuræ amicitiæ tesseram sequentem tibi relatum eo historiam.

Puerulus sex circiter mensium, ubi obstetrix mucum a naribus abstergit, derepente insultibus concutitur epilepticis, tumet facies, angitur, convulsionibus agitatur, spuma in ore; paroxysmus per horæ durat quadrantem, alias sanus est & bene valet. Jam novem menses & ultra per intervalla furia redit immitis, neque unquam invadit, nisi a causis externis offendatur infans; sic contigit aliquando, ut avunculus ejus virgis cæderet filiam suam, id quod ille videns adeo fuit consternatus, ut dictum factum semianimis concideret. Aliquando manum suam leviuscule ad carpenti rotam allidens paroxysmo mulctatur epileptico, minimisque usque adeo offenditur, ut nonnunquam ter de die huic succumbat malo. Ancilla quædam comiter eum affata, digitoque leniter illiùs manum feriens, paroxysmum ipsi accersivit. Nunc temporis ablactatus nihil sentit levaminis, quin aliud ipsi discrimen immi-

 nere

nere videtur, ut taceam medicamenta antepileptica & salia volatilia oleosa malum non modo non imminuere sed anticipare paroxysmum, quin & medicamentorum tanto tenetur fastidio, ut periculum sit, ne iis offensus paroxysmum incurrat; illud certe silentio praeterire nefas est, eum, praeter cerevisiam nihil assumere; panem, carnem, jufcula quaecunque emulsionesque praefractè respuit, pulverem quidem acidum absorbentem, eumque insipidum in cerevisia assumsit, sed cum & hic dolus ipsi suboleat, mater eum ulterius ipsi propinare recusat, veretur enim, ne, si & ipsius cerevisiae contrahat fastidium, fame pereat aegrotulus. Mihi causa hujus mali non in sanguine, sed in ipsius cerebri dispositione haerere videtur. Mater cum uterum gereret, gravi maerore affecta, omnium rerum caepit taedium. Moleste praeterea tulit quandam rem, ideoque irae & tristitiae se totam permisit. Tum forte temporis spiritus animales eodem modo concusserunt tenellas fibras cerebri infantis, eademque inibi excitarunt vestigia, quae ab objectis externis valdè ingratis in cerebro matris erant efformata. Matre itaque offensâ, irâ & maerore affectâ, infantem offendi, irâ & maerore affici oportuit. Ponamus jam matrem, quod quasdam res contra animi sui sententiam fieri indignè tulerit, eas continuò non nisi cum horrore & fastidio conspexisse, de iis cogitasse & nescio quid sibi timuisse; perspicuum est hanc cogitationem sequi debuisse certum motum spirituum, qui ad infantem delatus occasionem dedit illius menti de iisdem rebus cogitandi; hanc cogitationem infantis talis quoque sequitur spirituum motus, qui pro diversitate cogitationis non potest non esse alius atque alius.

Dum verò saepissimè de iis cogitare cogitur infans, spiritus certa in cerebro formant vestigia, quae ubi postea aperiuntur, planè eadem sequitur cogitatio, hancque idem spirituum motus, qui cum sit tumultuarius, justoque violentior, concutiendo nervos epilepticum generat affectum non aliter atque homines irâ perciti & inopino terrore perculsi hoc malum incurrere solent; quod verò mater ab Epilepsia immunis extiterit passionibus iisdem exposita, fibrarum in infante teneritudini imputandum puto. Plane persuasus sum rem ita se habere, inprimis ubi altius considero, quam arcto vinculo cum matre jungatur infans, adeo ut illa nil cogitare posse videatur, quin idem cogitet pusillus, nullumque motum in illa cieri, quin ad hunc idem se exserat. Quod si haec vera est hujus mali causa, omnis curationis cardo in eo verti videtur, ut adultior factus minis plagisque cogatur, ne tumultuario spirituum motus auscultet, quin quod in corpus suum jure mens suo tenet imperium, prudenter exerceat.

Spes quoque superest, fore, ut sensim, cum aliis & magis seriis occupatur mens, haec vestigia obliterentur.

Sunt hic loci, quos idem malum hoc modo deseruit, atque haec excellentissime vir, hoc super morbo mea est mens, mea sententia, quòd si tibi videtur operae pretium diligentius eam excutere, aliamque qua & in explicandis phaenomenis dexteritate excogites, nae tu me tibi egregiè obstrinxeris, si mihi illam communicaveris, nihilque uspiam erit aut gratius aut optabilius, quàm veritatis sentienti herbam porrigere & a tanto viro proficere. Vale vir excellentissime, audaculumque Medicum aliquo amicos inter tuos loco dignare; itaque persuasum habe, me, quicquid officio, quicquid studio, quicquid humanitate efficere potero, illud omne collaturum, ut palam fiat, quanti te, tuamque amicitiam aestimem, quantâque flagrem tibi inserviendi lubidine; iterum iterumque vale ac fave tui nominis indefesso cultori

Dabam Bremae 10. April. 1688.

MART. HARMES, MED. DOCTOR.

Re-

Responsio mea ad præcedentes literas.

CLARISSIME, DOCTISSIME, SPECTATISSIMEQUE VIR,

INter maxima, imo sola, vera & solida lucra semper posui, ubi numerum amicorum adaugere mihi licuit, quapropter jam temporis summopere gaudeo, qui non tantum novum amicum acquisivi, sed adhæc hominem ejusdem professionis, sed verè eruditum, sed revera generosum, qui tam humanus, tam affabilis, tam officiosus mihi videris.

Vera generositas, cui & ego semper studui, mihi assiduè dictat, nihil revera meum esse excepto legitimo usu liberi arbitrii, nec ulla alia de causa me laudes vel vituperium mereri, nisi quòd hoc bene vel perperam usurpem. Suppono jam tibi non minus quàm mihi constans esse propositum libero arbitrio bene semper utendi, hoc est virtutem sectandi, ideoque iisdem laudibus, quas in me tam larga manu congessisti, te dignum prædico.

Quòd si jam eadem passio generositatis in nobis sedem fixerit, fieri vix potest, quin amicitia hæc, quæ recens inter nos coaluit, progressu temporis profundas actura sit radices.

Phænomena puerull, de quo loqueris, epileptici solidè, eruditè & distinctè explicuisse mihi videris, sed mirum est hoc malum non invasisse misellum ægrotulum ante sextum mensem. Tecum sentio morbum non latere in sanguine, alias Infans extra paroxysmum non foret incolumis; dicis igitur morbum hærere in mala dispositione cerebri, ejusque causam extitisse matris prægnantis irregulares passiones, optimè philosopharis. Ante aliquot annos (sic narrat acutissimus *Malbranche*) Parisiis fæmina uterum gerens conspiciebat maleficum, cui ossa publice a carnifice per totum corpus confringebantur. Infans hujus mulierculæ in lucem editus stolidus existebat, omniaque ejus ossa apparebant miserè confracta.

Quod si jam spiritus animales, vel, ut hodierni Medici loqui malunt, succus nerveus tantum impetum in tenellas cerebri fætus fibrillas, imo & in ipsa ossa facere potest, multò facilius fibrillas cerebri in fœtu ita diffringere & distorquere potis est, ut a minima causa externa succus nerveus concitatus ægrotulo accersat epilepsiam.

Medicamenta assumpta nihil profuisse facile persuaderi possum, ut credam, nam in Geldria, quam inhabito, tres vel quatuor pueruli sex septemve annorum miris ac ineffabilibus epilepsiæ motibus continuò per longum tempus gesticulatorum instar sed inviti agitabantur non ita pridem, quos inopinatò hunc morbum ex terrore corripuisse existimabant parentes, sed medicamenta interna nequicquam usurpata fuere, progressu tamen temporis omnes convaluerunt.

Quantum ad medelam ægrotuli, de quo narras, optimum mihi videtur ingens vesicatorium nuchæ applicandum, & si hoc non succederet, cuti capitis circa conjunctionem suturæ coronalis cum sagittali inurerem fonticulum, eumque aliquandiu apertum servarem, nam dolor & contractiones hinc excitatæ mutando partium situm hic prodesse posse videntur, cui sententiæ experientia etiam adstipulatur; quomodo autem locus ille inveniatur, non est, quod dicam, quandoquidem *Scultetus* id jamdudum in armamentario suo Chirurgico apperuit.

Non ita pridem fœmina quædam ter vel quater de die affligebatur miserrime motibus convulsivis; nullus Medicorum veram causam expiscari potuit. Advenit Chirurgus inveniens in brachio ægrotæ tuberculum lividum,

M 2 pisum,

pisum, mole non superans, quod causam mali judicans sectione simul & semel sustulit, ac mulier ab hoc tempore nunquam amplius quicquam mali epileptici persensit; humor autem in tuberculo contentus erat instar aquæ fortis corrosivus.

Nimirum portio quædam exigua ter vel quater de die ex hoc tumore evacuabatur, ac sanguinem, succumque nerveum, quibus commiscebatur, adeò tumultuarie commovit, ut mulier hæc motibus epilepticis tam crudeliter affligeretur.

Non mirum videri debet cuiquam, quod pauculum hujus humoris tantos motus in corpore humano excitare potuerit, ubi consideravit, quàm stupendi effectus consequantur morsum Tarantulæ, quæ est bestia instar araneæ, in Italia frequens, & tamen a se demorsos homines ridicule, saltantium more invitos convellit, exiguâ nempe humoris corrosivi quantitate, quæ sanguini, & succo nerveo vulneratorum morsu hujus bestiæ communicatur.

Anus coram scabinis suis non ita pridem juratura, dum more solito dextram duobus digitis erectis in cœlum elevat, corripitur spasmo ipsius manus & digitorum in rigiditate per aliquot dies cum dolore atroci perseverantium; paulo post confitetur perjurium.

Tantum potest Imaginatio, quæ male conscia æternos gehennæ cruciatus ob perpetratum perjurii crimen sibi vivide repræsentans spiritibus impetuosissimum hunc motum impressit, eosque præcipue in manum & digitos extensos direxit.

Brevi hic sectione tolletur sarcoma quatuordecim vel quindecim librarum dependens è nucha alicujus mulierculæ rusticæ, ex ramis carotidum nutrimentum accipiens, sanguinemque per ramos venæ jugularis remittens, quod posterius visu manifestum fit, prius acie mentis; quomodo operatio succedet, tempus docebit. Vive, vigeque.

Dabam Arnhemii 1688. die 25. Junii.

Ad quævis officia tibi facillimus
JOAN. MUYS.

OBSERVATIO II.

De motibus epilepticis continuis.

PUerulus duodecim circiter annorum motibus continuis epilepticis leviter in brachio dextro gesticulatoris instar agitatur, quod malum tamen in dies adaugetur; ante biennium eodem modo hic morbus incepit, ac eò usque accrevit, ut manus pedesque ægrotulo invito assidue mirum in modum convellerentur & ægrotulus tandem mutus evaderet; ubi objectum aliquod arripere volebat, manus pergebat in aliam partem ab objecto longe remoram. Multa medicamenta a pluribus Medicis tum temporis frustra præscripta fuere, tandemque puerulus sponte convaluit, & studiis non sine industria & cum progressu non contemnendo incubuit.

Parentes metuebant, ne malum, quo jam temporis infestabatur puerulus, tractu temporis eò pravitatis perveniret, ut ante biennium; quapropter accersitus ingens vesicatorium ex cantharidibus confectum nuchæ applicui, locumque per octiduum apertum servavi; intereà temporis malum non vergebat in pejus, sed brevi post ægrotulus corripitur variolis omnem totius corporis cutim contegentibus. Quid contingit? variolis sanatis, patiens a motibus epi-

epileptici prorsus immunis existebat & in hunc usque diem permansit, nec puto morbum unquam rediturum.

Hinc non incongruè concludi posse videtur, hos motus convulsivos originem suam traxisse ab acido principio nervorum infestante & vellicante, quare etiam vesicatorium nuchæ apposui, ut nempe acidum illud temperarem sale volatili cantharidum penetrante, quanquam vesicatorium alia ratione etiam juvare possit, ut videre datur in responsione mea ad epistolam præcedentem.

Acido verò peccante per variolas evacuato puerulus a malo tam crudeli convaluit; unde etiam inferri posset, fonticulum in brachio vel potius in capite hic loci egregie convenire ad humorem peccantem extra corpus proturbandum.

Morbus hic non dissimilis mihi videtur illi malo, quod *viti saltus* ab authoribus nuncupatur & cujus exemplum habet *Felix Platerus* libro primo Observationum paginâ mihi 85. *Fœmina*, ait ille, *assidue tripudiabat, & licet aliquando ut cibum caperet, & somno correpta, sedere cogeretur, tamen gestu motuque corporis inquieto interim corpus nihilominus veluti saltans agitabat, donec omnino viribus prostratis, adeo ut nec stare amplius posset, a saltu cessare coacta, in hospitale vecta est, ubi refecta sensim denuò convaluit.*

OBSERVATIO III.

De tremore pollicis, spasmo manus, & panaritio digiti.

VIro quadraginta circiter annos nato pollex dextræ manus adeò vehementer sæpius de die contremiscebat, ut a literis scribendis, quibus quotidie vacare eum oportebat, non raró cessare teneretur; cætera sanus erat & incolumis, comedebat cum appetitu, concoquebat bene & placide dormiebat, gestiebat tamen ab hoc incommodo liberari, ideoque ad eum vocatus supra pollicem imposui vesicatorium satis magnum ex cantharidibus confectum, unde brevi temporis spatio vesica in altum elevata est, ex qua aperta multum aquæ limpidæ profluxit; locum hunc, quamdiu poteram, apertum servabam empiastro stiptico *Paracelsi* super linteum extenso.

Delitescebat scilicet humor acidus circa musculos pollicis, qui fibrillas mediocriter vellicando, succum nerveum sollicitabat eodem loci, unde pollicis tremor exoriebatur, dum nempe succus nerveus ibat & redibat per musculos pollicem erigentes & deprimentes.

Vesicatorium impositum fibrillas pollicis valdè agitavit, unde particulæ obstruentes excussæ sunt, & adhæc sal volatile cantharidum acidum non parum temperavit, atque ita patiens ab hoc incommodo convaluit.

Dum loquor de tremore pollicis, in memoriam mihi recidit infans, cujus manus contracta apparebat inopinatò, ægrotus alte ejulabat interea, quapropter accersitus sum a domesticis, qui fletus causam expiscari non poterant, quia putabant manum ab infante voluntariè contrahi.

Omnes hujus casus circumstantias mentis acie attentè circumspiciens, mox indicabam infantem laborare spasmo manus, qui proveniebat ab acido fibrillas ita vellicante, ut musculi manum contrahentes a copia succi nervei inflarentur nimium, ac in eodem statu permanerent ob vias, vel valvulas in musculis antagonistis obstructas. Ex hac autem distensione ingens dolor exor-

exortus est, qui in tremore pollicis citato non aderat, quia succus nerveus, antequam ad musculos pollicis nimium distendendos satis magna copia influeret, profluebat in musculos antagonistas & vice versâ, unde tremor prodibat sine dolore.

Linimentum igitur sequens præscripsi ad dolorem mitigandum & fibrillas ita laxandas, ut particulæ acres ac obstruenter iterum liberè circulum suum perficere possent:

℞. *Ol. lumbricor.* ℥ij. *vulpin.* ℥iß. *lilior. alb.* ℥ijß. *Lavendul. destillat. gutt.* xv. *M. F. Linimentum*

Ac superposito emplastro de mucilaginibus ægrotulus intra diem unum, aut alterum sanatus est.

Antequam finiam hanc Observationem, nonnihil addere libet de inflammatione ac suppuratione digitorum, quæ nonnunquam ineffabiles inferunt cruciatus, priusquam pus foras prorumpit.

Dolor ille plerumque provenit a particulis acidis stagnantibus in tubulis exiguis digiti, quæ postea cum salinis effervescentes excitant inflammationem, ex qua deinde pus generatur eo modo, quo diximus in prægressis Decadibus.

Sæpius autem hic dolor corripit indicem digitum & quidem primum plerunque articulum, cujus circumstantiæ ratio in promptu est. Cruciatus hic magis ibi se manifestat, quia nimirum laboribus, cutis illius partis plerunque obducitur callositate quadam, quæ circulationem sanguinis ac humorum aliquatenus retardat, ideoque ille dolor potius affligit mediocris fortis homines laboribus addictos, quàm divites in otio degentes.

Aliquando contingit, ut os subjectum inficiatur carie, imo totum corrumpatur ita, ut eximi debeat, nimirum quia pus digiti callositatem perrumpere nequit, nimiâ morâ corrosivum evadit, carnem perforat ac os subjectum cariosum reddit, quare accersitus, ut huic incommodo succurram, callum cutis statim cultello auferre soleo, & jubeo, ut ægrotus digitum ori admoveat, ac aliquandiu sugat eundem, tandem cataplasma ex malva, bismalva, floribus camomillæ, semine fœnigræci, aliisque mitigantibus & rigidas fibrillas laxantibus, compositum impono, ac sequenti die plerunque scalpello vel forcipe aperio digitum suppuratum in apice suo; & pus promanabat, dolorque sedatur, atque ita patiens interjecto paucorum dierum intervallo convalescit.

Nullus cruciatus digiti mihi unquam occurrit, quem secundum hanc methodum non feliciter sustulerim sine ullo ossis subjecti incommodo.

Sed abhorreo crudelem aliquot Chirurgorum methodum, qui statim scalpello ad os usque digitum dissecant, ubi ipsum dolor paulo major cum febricula invasit, quem affectum panaritii nomine appellant, dicuntque eundem oriri ab humore acerrimo inter periosteum & os subjectum stabulante, qui, nisi statim scalpelli ope exitum inveniret, ossiculum digiti brevissimo temporis spatio inficeret carie.

Hanc vulgarem praxin, curam differendo, lucri nonnihil Chirurgis afferre posse confiteor, sed si quis tale facinus sciens, volensque (quod tamen vix credere possum) perpetrat, ille ab omni charitate alienus mihi videtur, osorque Dei & hominum merito dici potest, nam qui dicit se Deum diligere, ac odio prosequitur proximum suum, mentitur, affirmante sacrâ scripturâ; nequeo autem atrocius odium exercere, quàm si proximo eripiam sanitatem, quæ omnibus fortunæ bonis pretiosior mihi videtur.

Hæc dum de paronychia meditor, pervolvo forte fortuna *Forestum*, qui

qui libro quinto Observationum Chirurgicarum, Observatione ultima in eadem est mecum sententia, refertque Chirurgum quendam Delfensem sui temporis infinitos paronychiâ affectos sine incisione feliciter curasse.

Ranæ vivæ exenteratæ digitum paronychiâ affectum aliquandiu imponere, pro secreto ab amico mihi communicatum est, sed quid possit, nondum expertus sum.

Forestus commendat ovum putridum, vel musculos putridos, quibus digitus dolens imponatur.

Qui jam sententiam meam ut novam rejicere parat, amplectetur fortassis eandem tanquam vetustam, si sciat expertissimum *Forestum* eidem favisse, quod spero, quoniam non scribo, ut vanam quandam gloriolam consequar, sed ut proximo prosim, & me ipsum instituam.

OBSERVATIO IV.

De Manu in magnam molem adaucta.

JUveni viginti circiter annorum dextra manus ad cubitum usque excreverat in crassitiem multo majorem solitâ, dolor aberat, manus apparebat tincta rubore ad livorem vergente. Malum jam per sexennium perduraverat, neque ullis obsecundabat medicamentis; plures Medici ad hoc malum debellandum frustra aposemata attenuantia, aliaque non contemnenda usurpaverant.

Ad hæc æger nonnunquam corripiebatur febri, quæ intra viginti quatuor horas defervere consueverat, & interjecto aliquot dierum spatio recurrebat, quo paroxysmi tempore manus in majorem adhuc molem attollebatur, rubebat magis & dolebat, sed hæc symptomata iterum cum febre evanescebant. Intermedio tempore æger bene habebat.

Accersitus ad eum omnes circumstantias exactè trutinavi, tandemque indicavi humorem viscosum in exiguis manus dextræ tubulis stagnare, deinde aliquatenus acescere, tandemque effervescentiam quandam pati à particulis salinis de novo ex massa sanguinea adpellentibus; atque ita particulæ quædam acidæ antea in tubulis manus subsistentes protudebantur in massam sanguineam, quam in motum ciebant adversum œconomiæ animali corporis humani, qui febris nomine nuncupatur; his vero particulis acidis iterum dissipatis febris hæc fugabatur.

Cætera symptomata ex his paucis facili negotio deduci queunt.

Aposemata attenuantia, ac multo sale volatili gaudentia hoc in casu non juvere, ob pertinaciam obstructionum ab humore tam viscoso provenientium, quare externè malum tollere conatus sum, nec defuit successus.

Imposui igitur corrosivum isti manus parti, quæ carpus adpellatur, ac sublatâ eschārâ adplicui unguentum digestivum, ut humor peccans hoc pacto sub forma puris evacuaretur, sed quia tubuli hujus ulceris arte facti nonnunquam a particulis viscosis, ac ramosis rursus ita obstruebantur, ut pus excerni vix posset, ideo, inquam, nonnunquam ulceri adposui unguentum basilicum cum mercurio præcipitato rubro permistum, ut ita eschara de novo induceretur, quâ ablatâ tubuli iterum aperiebantur, per quos humor peccans excerni debebat; intereà temporis patiens aliquoties purgatus est, ac sudavit, ut ita externis medicamentis opem ferremus ad obstructiones tam pertinaces referendas.

Æger

Æger hac methodo tractatus de die in diem sentiebat manus tumorem magis magisque concidere, atque ita trimestri spatio vix elapso malum prorsus evanuit.

Hoc incommodum curatu difficillimum est & raro in praxi occurrere solet. Similem tamen casum in clarissimo *Horstio*, libro undecimo, observatione septima invenire datur, cujus ipsissima verba hìc adjicere lubet.

Juvenis totum corpus obstructionibus obnoxium obtinebat, maxime tamen in sinistro brachio toto tumor insignis & æqualis magnitudine tripla fere naturalem quantitatem superans conspiciebatur, ob nativam partis imbecillitatem eo decumbente copia materiæ peccantis. Huic etsi per medicamenta universalia, potissimum quoque per ligni guajaci decoctum, malum habitum in toto corpore non sine successu corrigere conati essemus, nihil tamen in tumore manus totius ob imbecillitatem innatam obtinuimus.

Expertissimus *Horstius* hanc brachii imbecillitatem hoc est (ut clarius loquamur) has pertinaces tubulorum obstructiones se non potuisse sanare libere confitetur, quamvis decoctum ligni guajaci, aliaque propinaverit ægroto, unde liquet, quàm difficilis sit hujus incommodi medela.

OBSERVATIO V.

De Spasmo musculorum temporalium cum paroxysmo febris veniente, ac fugiente.

PUella viginti circiter annorum tempore vernali febri quotidiana corripiebatur, quâ ubi per diem unum, aut alterum ægrotaverat, cum paroxysmo febris redeunte ipsum spasmum musculorum temporalium adeò graviter invasit, ut nec loqui, nec edere, nec bibere posset, nec quicquam liquoris in os infundi.

Conspiciens prima vice atrox adeo symptoma mortem præ foribus esse existimabam, ut tamen, quantum possem, miseræ puellæ opitularer, sequens linimentum acidum temperans præscripsi.

℞. Olei de castor. ℥ij. *Lavendul. still.* ℨß. *M. S.*

quo cervix & tempora sæpius calidè illinebantur; atque ita paroxysmo febris abeunte evanescebat etiam spasmus hic musculorum temporalium Belgico idiomate dictus *de klem*.

Postero verò die ingruente iterum paroxysmo febris revertebatur etiam spasmus prædictus, ac febri declinante fugiebat, atque hoc per aliquot dies duravit.

Interea temporis ægrota ante febris accessum, ac post eandem uncias tres assumebat sequentis vini medicati acidum temperantis:

℞. Rad. polypod. querc. ℥ß. *gentian.* ℨiij. *zedoar.* ℨij. *imperator.* ℨiß. *contrajerv.* ℨj. *Herb. card. bened. & absynth. ā. M.ß. Flor. centaur. min. & lavendul ā. P.j. Croci* ℈j. *Myrrh.* ℨß. *& Sal. prunell.* ℨij.

Misce, fiatque pulvis grossus sacculo oblongo includendus, cui affunde vini albi gallici libras quatuor.

Aliquoties etiam de die oleum mox præscriptum cervici temporibusq; illinebatur, atque ita hæc puella brevi temporis spatio bonis medicamentis, ac cooperante favore Numinis a febri ac spasmo reconvaluit.

Spasmus, ut dictum est antea, distensio est immodica, dolorifica, ac aliquandiu durans musculorum, proveniens a nimia copia succi nervei in tubulis

tubulis musculorum contentâ, qui succus nerveus ob præclusas sibi vias in musculos antagonistas profluere non potest.

Sed unde spasmus hic musculorum temporalium, qui cum febre veniebat & abibat? delitescebat nempe fermentum acidum in tubulis quibusdam musculorum temporalium, quod nihil incommodi creabat, quamdiu immotum quiescebat in latibulo suo, nam nihil mali corpori infligitur, nisi per motum, corpus autem immotum aliud movere minimè potest; sed quamprimùm acidum hoc fermentum agebatur a sanguine in febri quoad particulas valde parvas magis commoto, fibrillæ musculorum temporalium egregiè irritabantur, unde ingens succi nervei affluxus; fermentum autem hoc acidum hærere non poterat in tubulis, quin adessent etiam viscosæ quædam particulæ, atque hæ vias in musculos antagonistas præcluserunt.

Febre autem abeunte fermentum hoc acidum quiescebat iterum, & sic spasmus cessabat, atque hoc tamdiu perseveravit, donec totum hoc fermentum peccans ex tubulis musculorum temporalium excussum est, ac cum massa sanguinea circulans per poros cutis, ac urinam evacuatum.

Antequam finem huic Observationi imponam, aliquid adhuc dicendum habeo de febri.

Jamdudum dixit *Hippocrates*, quod propter calidum simpliciter homines non febricitent, quærendum est igitur aliud quidpiam in sanguine febricitantium.

Sunt qui putant in sanguine febrili globulos duriores esse quàm oportet, atque ita circulationem sanguinis turbari, & exoriri febrim, verumenimverò inutilis ac falsa videtur hæc speculatio, quàm ea propter mittemus, nec magis disputabimus, an febris sit turbata sanguinis mixtura, inimica ejusdem fermentatio, an potius eadem nihil aliud sit quàm epilepsia cordis, sicut affirmat acutissimus, ac doctissimus *Borellus*; super his, inquam, & similibus non disputabimus; sufficiet nobis persuasos nos esse, humorem acidum peccare in sanguine febricitantium, hoc autem evincunt medicamenta juvantia, ut corallium, oculi cancrorum, crocus, salia alcalia tam fixa, quam volatilia, aliaque acidum temperantia, hoc docet etiam urina rubicunda plerumque in febricitantibus reperta, nam si urinæ flavæ pellucidæ sine sedimento affundas aquam fortem, rubescet illico sine sedimento, & si addas iterum parum salis absynthii tunc albicans quiddam in urina subsidet.

Sed unde provenit hoc acidum? ex pancreate plerumque; in pancreate autem acidum reperiri docebit te dexterrimus Dominus *de Graaf*, qui arte quadam collegit succum ex pancreate canis viventis, eumque gustavit acidum, præterea dissecta complura eorum, qui ex febre objerunt, pancreas obstructum, aut aliter male dispositum habuere.

Quid hic dicemus de epicarpiis, quæ ad fugandam febrim conficiuntur? non ignoro, multa externe imposita ad massam usque sanguineam posse penetrare, nam Mercurius vivus cum pinguedine porcina permixtus & externe illitus salivationem excitat, ac cantharides externe cuti impositæ quibusdam cruentam intulerunt mictionem, sed his non obstantibus floccipendo epicarpia, quia eadem crebrò vidi adhibita, sed non memini ullum febricitantem manifestum inde commodum consecutum esse.

Quidam sunt, qui dicunt, sese febrim posse producere illinendo pulsibus oleum, in quo scarabæi cornuti cocti sunt aliquandiu; sed parum fidei huic rei attribuo; scio febrim aliquando satis difficulter posse sanari, sed puto eandem multo difficilius adhuc de novo posse produci, longe

ge aliter quàm aurum, quod facilius produci, quàm destrui posse perhibetur.

OBSERVATIO VI.

De exiguo Cruris vulnere & tamen lethali.

JUvenis viginti circiter annorum ab Amasia sua forte vulneratus est paulò supra malleolum internum dextri cruris chartâ contortâ, qua pulvis pyrius comprimi solet, per scopletum emissâ.

Vulnus erat tantum in superficie, nec superabat magnitudinem stypheri, illudque ad mortem usque apparebat rubicundum, & pus bene coctum inde profluebat, non aderat ulla inflammatio, putredo, vel gangræna, dolor erat exiguus, tumor nullus.

Patiens interea temporis bene dormiebat, edebat, ac cætera vitæ munia obibat. Manducaverat etiam musculos cum pipere & aceto, ac in aperto aëre versatus erat; parum aut nihil febricitabat.

Circa octavum nonumve diem ægrotus noster levem convulsionem sensit circa vulnus sursum sensim ascendentem, sicut ego, qui vulnus non nisi post mortem patientis conspexi, ex astantibus percipi. Paulò post aderat spasmus musculorum temporalium, qui ægrum post aliquot dierum intervallum vitam cum morte commutare coëgit.

Sed unde spasmus hic? fortasse nervulus leviter læsus est in vulnere, qui a pure acriori irritatus levem illam convulsionem excitavit, quæ sursum ascendebat; tandemque ob connexionem nervorum agitatæ sunt etiam fibrillæ musculi temporalis, atque ita fermentum quoddam corrosivum, quod antea ibi aliquandiu immotum delituerat, commovere cœperunt, unde major vellicatio fibrillarum, affluxus solito copiosior succi nervei, tandemque spasmus musculorum temporalium.

Sed quidnam in causa est, quod spasmus hic musculorum temporalium ægros fere semper è medio tollat? musculi nimirum remporales contecti sunt pericranio, quod in spasmo horum musculorum valde distenditur, atque ita summum cruciatum inducit, qui augetur a nervis satis magnis atrociter vellicatis.

Præterea circulatio sanguinis in vasis magnis illic contentis a distensione immodica horum musculorum fere in totum sufflaminatur, deinde medicamentorum, & alimentorum assumptio prohibetur, tandemque respiratio, quâ nemo diu carêre potest, valde impeditur, dum aër non nisi per nares propelli potest, atque hæc, si non singula, viribus tamen unitis agentia sufficiunt inferendæ neci.

Quidam existimabant musculos comesos cum pipere & aceto mortem huic ægro intulisse, sed non video, quo pacto cibus hic tam lethiferi esse potuerit.

Forestus libro sexto Observationum Chirurgicarum, observatione quinquagesima casum haud absimilem describit, quem hìc annectere placet.

Quidam pedes lavans, cultello scriptorio, cum callum sub planta pedis abradere studeret & exscindere, seipsum vulneravit, vulnere quidem non magno, sed cum ei statim subsequeretur spasmus, antequam remedia idonea adhiberentur, extinctus est.

OB-

OBSERVATIO VII.

De Distorsione colli.

PUerulo octo circiter annorum collum de die in diem magis magisque, distorquebatur in dextram partem, sic ut tandem caput propemodum scapulæ immineret; ægrotulus alias mediocriter se habebat.

Scilicet tendo musculi mastoidis contractus erat, ac talis permanebat ob particulas viscosas poros tendinis obstruentes eo modo, sicut illud clare & distincte satis explicuimus Decadis secundæ, Observatione tertia, in qua agitur de contractura tendinis post fracturam humeri relicta.

Malum hoc tarde sanatur, quia particulæ valde viscosæ sunt, quæ obstructiones producunt, & quia pertinacissime inhærent.

Ut igitur incommodum hoc tolleretur, præscripsi sequens linimentum, quo partem affectam bis de die calide inungebant ad reserandas has obstructiones:

℞. *Ung. dialth.* ℥ß. *Ol. lilior. alb.* ʒiij. *amygd. dulc.* ʒij. *castor. & lumbric.* *ā.* ʒiß. *M. F. Linimentum.*

Ac superposui emplastrum sequens ad fibrillas tendinis emolliendas & flexibiles reddendas easdem, ut ita facilius è latibulis suis excuterentur particulæ viscosæ.

℞. *Emplastr. de ranis cum mercurio, & de mucilaginib. ā.* ℥ß.
Misce simul ac extende super linteum.

Ubi alvus minus obediebat, ægrotulus assumebat nonnihil sequentis conditi.

℞. *Conserv. rosar.* ℥j. *Resin jalapp. & Pulv. scammon. ā.* ʒß. *milleped.* ℈ij. *M. F. Conditum.*

Ac ter de die cum pauculo vini albi gallici guttas decem tincturæ lunæ sine acido præparatæ ebibebat ad sanguinem attenuandum, opemque ferendam externis medicamentis ad obstructiones tam pertinaces iterum aperiendas.

Atque ita puerulus hic quarto tandem mense sanatus est.

Ægrotulos aliquoties in die capite sursum è terra attollere prodest hoc in casu, quia particulæ viscosæ hoc pacto è poris tendinis excuti queunt.

Sic etiam collare ex cotone confici potest, quod blanda vi caput sensim erigat iterum.

Si vero malum hoc pertinacissime perseveret, nullisque remediis obsecundare velit, tendo contractus cultello dissecatur a quibusdam, qua super re consule dexterrimum Dominum *à Solingen* in tractatu de manualibus operationibus parte prima capite quinquagesimoquinto.

OBSERVATIO VIII.

De Semine ἀκαίρως, καὶ ὀξέως explosο.

JUvenis triginta circiter annorum conquerebatur mihi semen ut plurimum continuò ante muneris sui praxim obire, quamvis, uti esse deberet, appareret, debitæque consistentiæ, ac inutiliter erumpisse.

Foramina namque carunculæ (quam depictam conspicere licet apud clarissimos, disertissimosque viros *Regnerum de Graaf*, & *Jo: Jacob: Mangetum*, propriis in locis, ubi fusè & cætera alia spectare vales) per quæ semen suo in munere obeundo impetuosè è vesiculis seminariis in urethram prorumpit, aliquatenus laxata erant ab humore viscoso, & ampliora evaserunt; quadere quamprimùm vesiculæ seminariæ incipiebant contrahi a copia succi nervei affluente ob poros cerebri in vesiculas hasce spectantes, magis impressionem ob aliquam patentes redditos, unde semen extemplò eructabatur, haud ut aliàs solet; verùm tardè prodibat, quia foramina nimis ampla existebant, ut pariter sanguis ex vena secta cum impetu, & radio prosilire solet, si verò foramen nimis amplum fit prorepit tantùm.

Sequens igitur apozema humores viscosos attenuans præscripsi, nempe:

℞. *Radic. sarsæpar. elect.* ℥ij. *& chin. mollior.* ℥iv.

misce, ac infunde per noctem, & coque, ut artis est, in aqua communi per quatuor horarum spatium ad libras quatuor.

Juvenis hic per duas septimanas ter de die horas nempe matutinis antequam è lecto surgeret, quartâ pomeridianâ, & tandem quando dormitum properabat uncias tres hujus aposematis calide ebibebat, & perfectè, ac feliciter sanatus fuit.

OBSERVATIO IX.

De Faba in fistulam pulmonalem prolapsa cum interitu ægrotuli.

PUerulo sex septemve annorum faba fortuitò rimulam laryngis, dum cum alio ludebat, ingressa est, unde mox tussis atrocissima, respiratio propemodum impedita, summaque præcordiorum anxietas.

Putabant astantes fabam hanc in faucibus hærere, ideoque eandem extrahere, vel si hoc non possent, profundius propellere conabantur in ventriculum, sed incassum laborabant.

Tandem autem faba è rimula laryngis per fistulam pulmonalem descendit, & ad unum latus immota quievit, ita, ut ægrotulus iterum bene haberet, nec quicquam sentiret incommodi, non tussiebat amplius, respirabat sine molestia, nec aderat ulla præcordiorum anxietas.

Biduo jam, aut triduo interjecto cum coætaneis iterum colludebat, sed dum corpus versus terram incurvabat, faba iterum ascendebat altius in fistulam pulmonalem, & mox citata symptomata de novo producebat, atque hoc incommodum aliquoties postea evenit, ubi ægrotulus corpusculum suum magis solito agitabat, atque abiit iterum, ubi puerulus quiescebat, sed tertia tandem septimana mortuus est.

Non est quod explicem, unde tussis, respiratio difficilis, anxietas præcordiorum, ac pallida mors tandem provenerit, quia Sole meridiano clarius est, aëris impeditum in pulmones ingressum hæc funesta symptomata accersivisse.

Quando hoc, aut illud rimulam laryngis recenter ingressum est, nihil sternutatione excitata utilius, nihil præstantius, quoniam hac concussione res illapsa sæpius expellitur.

OBSERVATIO X.

De Lue Venerea.

Vir triginta quatuor annorum post gonorrhæam a Chirurgo quodam medicamentis astringentibus perperam curatam persensit tumorem, ruborem, ac ingentem cruciatum in crure pauló infra genu, quæ de die in diem magis magisque ingravescebant; deinde malum hoc in ulcus fistulosum degeneravit cum duritie contermina, & labiis callosis; caro vicina livida apparebat; præterea ulcus unum, aut alterum durum & lividum superficiem cruris occupaverat.

Quidam enim ulcus hoc cavernosum dilataverant, alii medicamentis corrosivis callosa labia tollere satagerunt, sed sine fructu. Antea etiam ulcus brachium infestaverat, sed illud rursus coaluerat & obductum erat cicatrice dura, rubra, & inæquali.

Omnibus his rite pensitatis ægrum lue Venerea correptum esse judicavi, nec ulcera aliter veré sanari posse existimavi, quàm cura luis venereæ generali præmissa.

Quare ægrum primo purgavi sequentibus pilulis, quas plures per hebdomadas replicavi; nempe:

℞. Extr. catholic. ℈j. *Mercur. dulc. Gr.* vj. *Trochisc. alb. Gr.* j. *Ol. matis parum. M. F. pil. N.* lx.

deinde hujus aposematis uncias duodecim ter de die calide assumebat, octavâ matutinâ, quartâ pomeridianâ, & nonâ vespertina, nec non & decimâ nocturna sub ingressum lecti.

℞. Lign. guajac. ℔iß. *Cort. ejusd. ligni* ℥ij. *Sarf. parill.* ℥iß. *Chin. mollior.* ℥iij. & *Sassafras* ℥j. *M.*

Infunde per noctem, ac coque secundum veró artem in aqua communi ad libras quatuordecim.

Quoties ægrotus sitiebat, assumebat, quantum lubebat, aposematis secundarii.

Præterea æger semel de die sudabat in stupha; ut ita loquar, cum carbonibus vivis, & spiritu vini accenso.

Singulis quoque septimanis semel purgabatur pillulis mox præscriptis, dicto aposemate non intermisso.

Ad hæc ulcera, quæ lavimus decocto nostro, applicuimus digestivum, ac superposuimus emplastrum de ranis cum duplici mercurio.

Septimus vix illuxerat dies, cum ulcera omnia coaluerant penitus & tota durities abierat.

Ut tamen certi essemus de perfecta medela, ægrotum per mensis spatium tractavimus secundum methodum prædictam, atque tum temporis eundem sanum & incolumem dimisimus.

Lues hæc Venerea provenit ex gonorrhæa male curata; quo pacto jam gonorrhæa producatur, & quomodo humor acido-corrosivus in illa peccet, hic loci dicere supersedeo, quandoquidem id satis clare explicuimus antea Obervatione ultima quartæ Decadis.

Ulcuscula in prostatis & vesiculis seminariis ab humore acri gonorrhææ originem trahentia per astringentia intempestive occlusa sunt, eodem modo, ut ulcus in superficie corporis, quod crusta obtegitur, atque hinc acris hic hu-

humor in massam sanguineam abreptus est, eamque totam infecit, atque defoceavit.

Particulæ quædam acido-corrosivæ sanguinis in brachio, & deinde in tubulis cruris stagnantes ulcera mox nominata, cæteraque symptomata effecerunt, de quorum generandi modo prolixior sermo hic vitabitur, ne crambem bis coctam benevolo lectori obtrudamus, nam satis distinctè illud egimus primæ Decadis Observatione sexta.

Acido hoc igitur interne & externe per decocta & emplastra, digestivaque temperato, ac obstructionibus per sudorem reseratis, & humoribus coagulatis per accensum spiritum vini iterum dissolutis ægrotus noster feliciter convaluit.

Chirurgi verò ulcera hæc sanare non potuerunt, quia, quamprimùm acidum peccans in ulceribus temperatum erat, extemplo aliquid de novo ex massa sanguinea labe venerea infecta, advehebatur in partes affectas, magisque eas inficiendo.

Non disputabo hic loci, unde lues venerea primò prodierit; quidam eandem deducunt ab anthropophagis, voluntque porcum carne porcina vescentem simili morbo infestari, alii ex confusione seminis multorum virorum corruptionem humorum in collo matricis exortam esse affirmant, atque hoc pacto morbum gallicum primo fœminas corripuisse, quæ deinde viros contagio infecerint; aliqui putant hunc affectum productum primo ex concubitu leprosi cum meretrice, alii iterum a coitu hominis cum equa scabie laborante, quæ gallice dicitur *le farcin*.

Sed hæc omnia, quæ parum aut nihil faciunt ad praxim feliciter exercendam, sicco pede præteribimus; sufficiet nobis radicem hujus mali humorem acido-corrosivum existere, ex quo omnia hujus luis symptomata facillime deducuntur, atque hæc sententia confirmatur etiam ex medicamentis juvantibus, quæ omnia copioso sale volatili constant, qualia sunt mercurius, lignum guajacum, radix chinæ mollioris, sarsæparillæ, sassafras, aliaque similia.

Certe multa sunt, quæ Medicus sine famæ dispendio ignorare potest, nam Medicinæ Doctor multas nugas nullius utilitatis anxie inquirens, intempestive philosophans, ac interea temporis negligens ea, quæ verè ad praxim cum successu exercendam conducunt, haud dissimilis mihi videtur illi navis gubernatori, qui noctes atque dies ingenium suum fatigat in inquirenda causa fluxus & refluxus maris, quique interim naufragium patitur propter imperitiam suam in rebus apprime ad navigationem necessariis, nescius ubinam loci reperiantur vada, scopulique.

His bene consideratis multas inutiles quæstiones negligemus, in quibus inquirendis multi totam ætatem frustra consumunt, nec magis mirabimur, quare fomes febris quotidianæ intermittentis viginti quatuor horis, tertianæ biduo, quartanæ triduo maturescat, & cum massa misceatur sanguinea, quam cur equus septem annorum spatio adolescat, cum homo requirat viginti annorum intervallum; imo non magis mirabimur, quod quartana, horologii instar, tam exquisite statas horas observet, quàm quod somnus ac fomes certo tempore redeat.

Sed ut ad propositum revertar, dico, quod morbus hic in nostris regionibus non valde contagiosus existat, & rarò alio modo quàm per coitum communicetur.

Sed tamen ante aliquot annorum seriem lues hæc sine concubitu plurimos miserrime hac in Urbe infecit.

Erat

Erat nempe Arnhemii fœmina quædam, quæ novarum puerperarum lac è mammis exfugendo victum quærebat, morbo gallico contaminata, atque hæc faliva fua morbofa per papillas calide intrante fanguinem miferarum puerperarum afficiebat tam horrendo malo, & fic infantes affectum hunc ex mammis matrum exfugebant etiam.

Lues hæc aliquandiu miferè graffata eft, antequam cognofceretur, & *malæ plagæ* nomine appellabatur hìc loci.

Quidam exiftimant neminem coitu hoc malum fibi contrahere poffe, nifi præcedat gonorrhæa, & in hoc falluntur, ut opinor, atque hoc non rarò in caufa eft, ut lues hæc in principio negligatur, ac deinde adeo profundas agat radices, ut non fanetur, quin hoc aut illud membrum femper fignum præ fe ferat prægreffi mali.

Sic ingens fruftum offis palati carie infecti in lue venerea feparatum novi, ita ut foramen lamina argentea cum fpongia annexa occiudi deberet, ut loqueia, quæ alias hoc in cafu vitiatur, articulatior effet, fed fpongia illa progreffu temporis a faliva corrumpitur & fœtet, quare illius loco jam temporis elatere donatur lamina argentea, ut ita firmiter inhæreat palato nec decidat, qua de re vide tractatum fæpius laudatum Domini a *Solingen*, lib. I. cap. LXIII.

Ante aliquot annos a lue venerea quendam fanavi, qui nec manus nec pedes multis ingentibus tophis obfeffos movere poterat, atque nihilominus tres fanos infantes ex fana matre fufceperat, & mater ac infantes permanfere incolumes; mirandum fane, fed tamen hæc ejus phænomeni ratio reddi non incongrue mihi poffe videtur.

Certum eft, humorem in lue venerea peccantem non effe volatilem fed fixum & vifcofum, fic ut per vaporem non communicetur, nam alias lues hæc halitu infecti propagari poffet, quod tamen non fit.

Ponamus jam fecundum recentiorum placita hominem generari ex ovo materno fpiritu feminis virilis imbuto & fœcundato; fic facile intelligitur ovum maternum non infici ab aura feminis virilis, quæ innocua eft, nam venenum venereum remanet in parte feminis vifcofiore; fed unde contigit, ut mater coitu mariti infecti malum hoc fibi non contraheret? forfan matrix & collum ejus obductum fuit pituita tenaciore, quæ partes illas defendit ab acrimonia feminis virilis.

Memini hìc alicujus podagrici qui a lue venerea per me fecundum methodum prædictam liberatus poftea nullo unquam tempore dolorem podagricum iterum perfenfit, unde haud male infertur, podagram & morbum gallicum uno eodemque modo poffe fanari.

Hyeme præteritâ aliquem lue venerea laborantem ac innumera fere ulcera fiftulofa gerentem per totum caput intra fex hebdomadas perfecte fanavi in tugurio quodam frigido ventis obnoxio & quidem fine ftupha folo decocto; æger hic parum aut nihil fudabat, fed quotidie per alvum incredibilem faburræ copiam evacuabat.

Scilicet humor peccans per poros a frigore conftrictos fub forma fudoris egredi nequibat, quare, ubi per decoctum a reliqua maffa fanguinea fecernebatur, in inteftina propulfus eft.

Scio plerofque jam temporis huic morbo mederi Mercurio internè affumpto vel externe inuncto, fed mea methodus, quamvis pretiofior, commodior multo exiftit miferis ægrotis; imo revera affirmare queo, me aliquem, bis falivationem fruftra paffum, fecundum methodum meam feliciter priftinæ fanitati reftituiffe.

Me-

Memini quoque me alicubi legisse quendam lue venerea laborantem, & Mercurio usum serum acre non per salivationem, sed per ulcus, quod habebat, evacuasse, unde ulcus multo deterius affectum est, unde haud male concluditur Mercurii usum ante omnia vitandum esse, ubi ægrotus ulceribus affligitur.

Mira reperitur historia in actis Philosophicis Anglicanis pagina mihi 459. quam hic annectam.

Inter patientes erat miles robustus & validus, periculose infectus morbo Gallico, & sufferens horrendas exostoses ossium in brachiis suis. Ille cathartico liquore infuso in venam medianam brachii dextri conquerebatur de ingentibus doloribus in cubitis suis, valvulæque brachii ejus adeo sensibiliter tumescebant, ut cogeremur leni compressione digiti stringere tumorem illum versus humeros ægri. Quatuor circiter post horas medicina operari incipiebat non cum grandi molestia, & in operatione persistebat proximo die sequente, adeo ut quinque sedes post infusionem habuerit, easque non leves; sine ullis aliis remediis adhibitis exostoses illæ abibant, neque morbi supra memorati ulla reliqua sunt vestigia.

Jamdudum novi pleraque cathartica constare copioso sale, atque etiam persuasus sum hæc salia immediate in massam sanguineam immissa plus virium habere ad humorem acido-corrosivum temperandum, quàm si per ventriculum aliasque ambages ad sanguinem progrederentur, attamen nondum adduci possum hac historia, ut credam morbum adeo pertinacem tam facile posse debellari.

Mirabitur forsan lector, quod plerosque morbos ex acido deducam, sed sententiæ nostræ facilius suffragabitur, ubi mecum attento animo varios opii effectus consideraverit; hoc namque medicamentum dolorem capitis fugabit, diarrhæam sistet, stranguriam tollet, anxietatem circa præcordia sic dictam levabit, paroxysmum hystericæ passionis abiget, vigilias nimias sanabit, tussim sedabit, aliaque plura efficiet, quæ omnia hic loci enumerare velle supervacuum foret.

Si jam solum opium tantorum ac adeo variorum effectuum causa sit in corpore humano ad sanitatem conducibilium, cur etiam acidum solum nobis non multimoda mala accersere posset?

Septimæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis

FINIS.

DECADIS OCTAVÆ.

OBSERVATIO I.

De Effectibus tonitru, & fulminis in corpore humano.

ANno Domini 1689. die 15. Julii horâ tertiâ circiter pomeridianâ ingens tempestas crebris fulminum ictibus ac horrendo tonitruum sonitu comitata Arenaci ac in locis conterminis exoriebatur.

Quartâ horæ parte ab urbe circa Rheni ripam domus sita est, cui tempestas hæc præcipuè incubui, & quidem magna ex parte per caminum irrupit, quem mirabili prorsus modo distorsit, rimis diffidit & duobus in locis muri perforavit.

Minus muri foramen palmæ magnitudinem non superans respiciebat foveam parvam, minimeque profundam pavimenti ex quadratis lateribus facti ab hac tempestate excavatam; per majus foramen, circa quod linea longa nigricans & tanquam adusta conspiciebatur, tempestas ferræ manubrium ligneum frustulatim disjecerat in transitu, ipsâ ferrâ remanente integrâ, ac in eodem loco, de quo antea dependebat.

Fenestræ vitreæ majus foramen respicientes diffractæ erant. Mensa lignea satis solida in culina contenta in innumera frustra comminuta apparebat; duæ trabes tabulatum sustinentes ingentes rimas agebant, murus in cellam spectans etiam perforatus apparebat.

Quinque homines hac tempestate in culina consedebant, quorum unus nihil sensit incommodi; mater infantem in sinu gestans proruebat semianimis ac aliquandiu animi patiebatur deliquium, crines cervicis adustæ apparebant, ac ægrota sentiebat stuporem in femore, infans verò illæsus permanebat etiamsi per aliquot passus è sinu matris projiceretur. Quartus, vir robustus fumum nicotiani accensi è fistula suctione proliciens in pavimentum prolapsus per quartam horæ partem syncope laborabat, atque de surditate utriusque auris conquerebatur, quæ post aliquot dies absque ope medicamentorum evanuit.

Mulier, quæ quintam hujus tragædiæ personam in miserando hoc theatro fulminis luce domus conflagrantis adinstar lucente sustinebat, animi deliquium per horam dimidiam patiebatur, quo tempore elapso conquerebatur miserâ de summis anxietatibus circa præcordia & de femoris ac cruris utriusque atrocibus doloribus ac impotentia ad motum, pulsus tam debilis existebat, ut palpantibus digitis vix occurreret.

Cerevisia vinumque in cella contenta ingrati saporis erant.

Circa idem tempus tres equi currum trahentes cum viatore simili tempestate in pago quatuor horis ab urbe dissito trucidati esse perhibentur, auriga intermedio inter equos & viatorem illæso ac integro remanente; sed de his, quæ tantum ab aliis accepi, loqui supersedeo, prioris tempestatis effectus, quos meis oculis ipse conspexi, brevi oratione pro consuetudine deducturus.

Unicuique qui Philosophiam a limine saltem salutavit, manifestum est, tonitru ex eo originem trahere, quod nubes in nubem prolabens aërem inter-

medium cum impetu expellat, & si magna satis copia particularum sulphurearum ac nitrosarum admixta sit huic aëri, exoritur simul fulmen accensione harum particularum.

Impetus igitur aëris valde agitati, domum aliaque in eadem contenta disrupit, quod mirum videbitur haud ulli hoc tempore, quo aëris pressio, variique ejusdem effectus tot experimentis clarissime demonstrantur; adjuvit tamen non parum vis fulminis igne suo corusco, ac mirum in modum penetrante.

Plerique huc usque perperam sibi persuaserunt, diffractionem domuum, ruinam altarum turrium, aliosque horrendos effectus a tonitru productos fieri ope ac efficacia lapidis cujusdam, cunei figuram aliquatenus referentis, qui Belgicè dicitur *een donderbeitel*.

Dicunt tales lapides circa rudera murorum diffractorum profundè sub terra delitescere, ac si inde eruti conservantur, eosdem tempore tonitruum ingruente diffluere sudore; sed mera fabula est. Quo pacto parvulus lapis ingentia templa ac turres immanes disrumpere potis esset?

Penes me habui aliquandiu talem lapidem, quem quidam meorum amicorum satis magno pretio sibi comparaverat, sed nulla unquam tempestate sudavit.

Atque si forte ibidem loci, ubi tempestas præcipue vires suas exercuit, sub terra inveniatur lapis idoneæ figuræ, mox fingitur esse productus a tonitru, ac causa creditur totius ruinæ, cum lapis ille innocuus sit, ac absque dubio diu ante obortam tempestatem ibidem delituerit.

Aderat in pavimento nostro foramen conspicuum, sed minimè profundum, sic ut omnis de tali lapide suspicio tolleretur.

Ab unoquoque propemodum habetur pro comperto vim fulminis intactâ vaginâ gladium semper liquefacere, sed res longè aliter se habuit hic loci, nam ferra permansit integra, manubrium ligneum diffractum erat; fortasse aliquis respondere posset hoc potius a tonitru factum, fulmen huc parum aut nihil contribuisse; sed unde tunc linea illa nigricans & tanquam adusta in muro albo, nisi ab igne fulmineo, exorta est?

Vinum autem & cerevisia saporem consuetum amiserant, quia mixtura debita particularum vi fulminis omnino turbata erat, unde illæ alio prorsus modo fibrillas linguæ agitabant.

Sed unde deduces deliquium animi, tres homines uno & eodem momento in terram disjiciens inopinato? ab impedita nimirum circulatione sanguinis a fulmine nonnihil coagulati, nam sicut in dolis vinum & cerevisia, sic in arteriis & venis sanguis mixturam exiguarum suarum particularum passus est mutationem aliquam.

Aër autem a tonitru impetuose agitatus organis auditus tantam vim intulit, ut gravis auditus unum ex illis corriperet, qui tamen absque ullis Medicamentis progressu temporis sublatus est, quia auditus organa, aliquatenus distorta & læsa, ope circulationis sanguinis & humorum pristinum locum repetiverunt, & sanata sunt.

Ultima vero fœmina sublatâ syncope de summis anxietatibus circa præcordia conquerebatur, quia sanguis tum temporis adhuc nonnihil coagulatus per exigua pulmonum vascula non sine magna difficultate circulum suum absolvere poterat.

Aderat etiam ingens femoris ac cruris utriusque in hac muliere cruciatus & ad motum imbecillitas, quia impetus aëris a tonitru summopere agitati musculos, & membranas harum partium vehementer contudit.

Huic

Huic igitur mulieri propinavi tincturam anodinam ex opio & sale tartari cum spiritu vini præparatam ad terrorem conceptum tollendum, & doloris vehementiam mitigandam; deinde patiens per aliquot dies assumpsit spiritum salis Armoniaci, ut sanguis coagulatus aliquatenus hoc pacto dissolveretur iterum, ut pristinam fluiditatem recuperaret, non neglectis interea temporis idoneis linimentis; attamen his non obstantibus mulier hæc per totum annum adhuc claudicavit parum altero pede, forsan ab ingenti contusione circa trochanterem majorem femoris altè extantem, quales casus mihi sæpius in praxi observare contigit.

Vulgus credit, carne illæsa ossa a tonitru confringi, sed res longè aliter se habuit in hac muliere, cujus caro lædebatur ossibus integris.

Qui plura desiderat de fulminis effectibus mirabilibus, adeat *Fabritium Hildanum* centuria tertia observatione XXVI. ut & *Petrum Borellum* cent. II. Observatione Medico-Physica XXXVIII.

OBSERVATIO II.

De Fracturæ perperam sanatæ restitutione.

PUerulo octo annorum utrumque cruris os diffractum est obliquè, quæ barbitonsor pagi cujusdam aut male reposuit aut bene restituta male conservavit. Nonâ post ossium diffractionem septimanâ ægrotulum cum Chirurgo satis experto hujus civitatis conveni, ac ossa iterum consolidata reperi sed valde deformis aderat cruris distorsio & ad ambulandum ineptitudo, quare ossa de novo diffringenda esse judicavimus.

Prius igitur per octiduum imposuimus cataplasma confectum ex stercore columbino & lacte caprino, ut callus nempe hoc pacto magna ex parte dissolveretur & emolliretur.

Elapso hoc tempore Chirurgus pueruli crus distortum utrâque manu contra genu tantâ vi appressit ut ossa non sine sonitu rursus diffringerentur; atque tunc post debitam extensionem ossa restituta sunt, ac ægrotus post aliquot septimanas sanatus est, & ambulavit iterum.

In aliqua præcedentium Decadum dixi, si pollex pedis respiceret genu patientis, signum esse cruris bene restituti; leve ac exigui momenti videbitur forsan quibusdam hoc monitum, & tamen illud parvi faciendo prior Chirurgus hunc errorem commisit, nam pollex pedis plus quam palmæ latitudine introrsum vergebat.

Quod si stercus columbinum cum lacte caprino mistum callum jam per aliquot septimanas coagulatum emollire, & dissolvere possit, haud incredibile videtur idem remedium multis duris tumoribus cum fructu posse applicari.

In *Roberti Knox* relatione Historica planta esse dicitur in Insula Ceylon (ut legi in actis Philosophicis Leipsiensibus) quæ bihorio tantum applicata ossa fracta iterum penitus consolidat.

Mira sane res, & indagatione penitiori digna; legimus quidem aquas nonnullas reperiri, quæ paucis momentis mollia quævis corpora in petram convertunt, unde concludere possemus, haud impossibilem esse laudatam efficaciam hujus herbæ, verumenimverò si hæc res ita se haberet, ista Planta ex Insula Ceylon jamdudum ad nos delata fuisset.

Dum de ossibus fractis verba facio, annectere lubet sequentem Historiam, quam

quam excerpsi ex actis Philosophicis Lipsiensibus mensis Novembris Anni 1685. pag. 513.

Anni sunt plures, cum vir quidam ex casu sibi brachium sinistrum ad quatuor a carpo digitos transversos ita fregit, ut utrumque ulnæ & radii os in transversum diffractum haberet, & omnimodo disunitum. Mox equidem Chirurgi pro brachio reponendo fuere accersiti; vir tamen hic doloris vehementioris metu tangi ab iisdem plane recusavit abnuendo unà fascias ipsas, quibus brachium commode peligaretur.

E diverso brachium potius commovere incepit, atque huic postea motui tali successu assuevit, ut brachium vel in ipso fracturæ flecteret loco; in quo statu, commovendo videlicet manum, ac duobus in locis usque dolore, vel incommodo ullo cubiti os flectendo, satis diu vitam protraxit. Postquam verò esset defunctus, unus è Chirurgis, qui ipsum visitaverant, brachium hoc abejus petiit agnatis, musculisque rescissis oppido novam in fractura factam invenit articulationem sequenti dispositam ratione.

Scilicet ex parte flexus cubiti in utriusque ossis extremitate caput quoddam rotundum apophyseos nomine insignitum occurrit; ex parte autem carpi duæ adsunt cavitates satis profundæ, capitibus ossis cujuslibet recipiendis inservientes. Dehinc ipsum periostium, quod tempore fracturæ erat laceratum, circumcirca majori præditum observatur crassitie, adeo ut ligamenti vicem pro articulatione firmandâ præstet. Tandem cavitatum harum oræ a parte interiori multo minus advertuntur elevatæ, quam a parte quidem posteriori, unde duo notabiles producebantur effectus, quippe ex una regione satis sic erat opportunitatis pro meliori flexionis motu ineundo, ex altera verò nimia brachii extensio hoc in loco impediebatur, simili ferè modo, ac in cubiti flexura fieri depræhenditur.

Duo hic sese offerunt consideratu digna, quorum rationes indagare omnino merentur; primum est, qua ratione articulatio talis nova fuerit concinnata; alterum vero, quomodo hic vir cubitum eo in loco flectere potuerit, cum absque dubio musculi novi, motui isti inservientes, formati fuerint nulli. Quæ meæ circa utramque quæstionem sint conjecturæ ea nunc proferam lege, ut aliorum majori me perspicaciâ pollentium subjiciam judicio.

Quo intelligatur ratio, quâ talis articulus efformatus sit, animo concipiatur oportet, ossium brachii, postquam utrumque in transversum fractum, ac penitus disjunctum esset, extremitates nihilominus sibi invicem oppositas, simulque unam supra alteram ita permansisse adaptatas, ut calli materies è qualibet ossium extremitate stillans, haud dubie illas denuo agglutinasset, nisi brachium continuo agitatum fuisset. Hic siquidem motus in causa fuit, quod materia calli non saltem a fracturæ lateribus defluxerit insensibiliter, sed &, quia viscida & glutinosa est, ossium fractorum adhæserit margini, ubi temporis progressu species quædam limbi eum in modum, quo etiamnum in ossibus cernitur, fuit efficta, qui limbus cavitatis loco est, ex carpi potius quàm cubiti parte, ob declivem carpi situm concinnatus. Cavitate vero sic formatâ ipsis ossium extremitatibus ex parte cubiti necessariò capitis, seu apophyseos figura erat recipienda, quoniam materia calli tota exudans mollis atque fluida, dum motu brachii ad alteras ossium extremitates ferebatur, non poterat non ad eam rationem, qua illæ dispositæ erant, formari, hoc est, propter concavam cavitatis figuram evadere convexa; sed priusquam motus, qui in nova ista articulatione fiebat, enodetur, duo veniunt consideranda; primò musculos plerosque ulnæ, ac radii ossibus superstratos ubique fere duobus hisce ossibus annecti & agglutinari; deinde carpum,

veluti

veluti partem mobilem respectu cubiti, versus hunc secundum regulas motus musculorum flecti. Quibus suppositis, si nova quædam formetur pars mobilis, seu, quod idem est, si duo ossa penitus frangantur, musculi agentes necessario cubitum in articulatione videntur flectere, extremitates quippe ossium eorum, quæ sunt ex parte carpi eodem modo ac si nova essent ossa, evadunt mobiles respectu cubiti, & ut flectantur, oportet ratione adhærentium musculorum, contractionis tempore necessario partes divisas, seu ruptas, quibus annectuntur, adducere.

Atque hæc ratio ejusmodi motus est mechanica, musculorum connexioni cum ossibus superstructa, verum si talis connexio haud esset, idem nihilominus motus adhuc procedere posset, quia ossium ulnæ ac radii extremitates, quibuscum carpus articulatur, cum non sint stabiles, necessario carpi sequerentur motum, id est, musculi carpi agentes trahere omnino cubitum versus deberent partes carpum fulcientes, veluti mobiles factas.

Meum non est in consequentias hic inquirere, quæ in Observatione hac necti queunt; Chirurgi interim exinde poterunt discere, quàm necessarium sit, ossa fracta, ut reuniantur, deligare fasciis, eademque servare immobilia; ab altera autem parte observabunt inde Physici, naturam in rebus extraordinariis iisdem semper viis insistere, ideoque haud esse credendum, quod omne monstruosum nobis visum effectus quidam sit fortunæ, vel naturæ quædam aberratio, sed quod omne potius in Mundo per constantes motus fiat leges a Deo in generationis, ac conservationis corporum gratiam stabilitas. Præterea certus sum alias adhuc inde sequelas, quoad succi ossium nutritii motum & quoad rationem, qua eorum formentur articulationes, posse inferri, sed locus hic minimè est hanc excutiendi materiam.

Ad nostram regredior observationem, quæ rarissima videtur, maximèque singularis, qualem similem apud Authorum licuit invenire neminem. Verum est, quod *Fabritius Hildanus* Centuria tertia, Observatione LXXXXI. refert, in Viro quodam, postquam brachium idem sinistrum inter cubitum & carpum haberet confractum, duoque ossa omnino inter se disjuncta unà cum insigni carnis contusione, ingentem ortam fuisse suppurationem, qua durante multa prodiisse officula; remittentibus verò symptomatibus, & vulneribus consolidatis ossa nihilominus permansisse disjuncta, ita quidem, ut veluti novum quendam constituerint articulum; visum enim, ubi dextram adhiberet manum, brachium sinistrum in ipso fracturæ loco antrorsum & retrorsum duxisse. Unde cernere est, magnam quidem inter utramque Historiam intercedere convenientiam; interim tamen non una prorsus eademque res mihi videtur. Certum est in viro, de quo *Fabritius Hildanus* loquitur, ossa haud denuo fuisse conjuncta, quæ est ratio, cur brachium in fracturæ flecteret loco, verum inde non sequitur, articulationem quandam ibi fuisse factam, quia tali in casu vir iste absque dextræ manus auxilio brachium sinistrum æquè commovisset, ac ille, de quo nos disserimus. Quicquid itaque inferre inde licet, huc recidit, nullum callum, cum insignis facta fuerit suppuratio, multaque una prodierint officula, fuisse generatum pro ossibus fractis uniendis; ast non video, quomodo elici exinde possit, ullam in modo enarrata fractura factam fuisse articulationem, præprimis cum Authori Observationem hanc commemoranti occasio defuerit, eam ex ossium brachii post viri mortem scrutinio asserendi.

OBSER-

OBSERVATIO III.

De Ruptura uveæ.

JUveni octodecim circiter annorum ante aliquot menses oculus sinister ictu baculi læsus est vehementer. Accersitus ad eum neque pupillam neque Iridem visu distinguere poteram, nam nigredo, quæ alias per pupillam tantum in conspectum venit, in oculo læso per totam illam partem corneæ, quæ pellucida est, extendebatur, quare memor Observationis decimæquintæ, Centuriæ quintæ *Fabritii Hildani*, mox prædixi tunicam uveam disruptam esse, ideoque visum illius oculi amissum nullis medicamentis posse restitui.

Imposuimus igitur remedia ad inflammationem abigendam idonea, atque ægroto valediximus in castra abeunti.

Sed unde fit, ut uveâ disruptâ color variegatus Iridis extemplo mutetur in nigrum? *Fabritius Hildanus* loco mox citato curiosam hanc quæstionem sicco pede transit, quapropter nos jam temporis videbimus, an eandem fœliciter solvere valeamus, tentabimus saltem.

Pupilla nigra est, ut ait Clarissimus *Plempius*, tum quia tunicæ pupillam ambientes nigræ sunt, tum quia in profundo sita est, profunda enim umbram faciunt, at hæ obscuræ & nigritudine affines sunt.

Circulare spatium inter crepidinem foraminis uveæ & oram tunicæ adnatæ interjacens habet colorem Iridi non absimilem ab uvea subjecta ita colorata, ubi duplicata retrograditur, ac aliquantum distat a cornea, interjectâ paucâ quantitate humoris aquei.

Hinc jam satis apparet, iridum disruptâ tunicâ uveâ, ac humore aqueo per consequens majori copia spatium intermedium occupante, necessario mutari debere in colorem nigrum, non alia de causa, quam quia ille locus, sicut pupilla, ob profunditatem suam umbram facit.

Sed quamobrem visus disruptâ tunicâ uvea statim deperditur? Si *Fabritium Hildanum* ausculte shac super ratiocinantem, respondebit tibi, quod spiritus visivi, quia disperguntur, non amplius res objectas inter se distinguere possint, sed hanc opinionem præjudiciis nitentem *Platonis*, ac *Galeni*, qui credebant visionem fieri per emissionem spirituum visoriorum *Vopiscus Fortunatus Plempius* satis refutavit, a quo etiam ex parte solutionem hujus quæstionis mutabor.

Ad obscuram faciendum oculi cameram uvea constructa fuit, ut externa nempe objecta hoc pacto videantur, si enim non obscura, sed clara esset ac lucida, nihil quicquam oculis compræhenderetur. In quo ut mihi assentiaris, ingredere mecum clausum & obscuratum conclave; quo igitur magis hoc conclave rimis omnibus occlusus fuerit obtenebratum, eò vivacius colores omnes rerum foris sitarum repræsentantur; quod si verò una, vel altera reclusa rima lumen intromittas, vel inferas candelam, tota pictula evanescit; ratio est, quia externum lumen fortius adimit aspectum debiliorum illarum facularum a rebus visibilibus emissarum. Hujus ad instar plane in oculo fit, quia enim visio fit per picturam in tunica retina expressam, nisi partes circumstantes obscuræ sint, diluetur pictura illa, atque ita non fiet visio. Et hoc primum potissimumque est uveæ officium, inducere, inquam, obscuritatem, ne nimirum lumen subintrans objectorum visibilium picturam obliteret, ad quod officium præstandum conducit quoque anterioris ejus partis

crassities, ex duplicatione illius orta, ut nempe reddatur bene opaca, nihil transmittens luminis, quod quoquo pacto fortassis, si simplex fuisset & tenuis, transmisisset. Quod si jam disrupta tunica uvea obscuritas cameræ oculi tollatur, satis apparet, visum pariter debere deperdi.

Antequam hanc Observationem finiam, aspergam adhuc unum, aut alterum flosculum decerptum ex ophthalmographia Clarissimi *Plempii*, quia liber ille non cuivis obvius est.

Mirum est, quod *Galenus* affirmare ausus sit, inferiorem palpebram immobilem esse, cum unicuique speculum consulenti manifestus sit illius motus.

Causa myopiæ in eo sita est, quod retina longius absit ab humore cristallino, qui quoque pauló convexior est, & sic radii ab objectis longinquis venientes, junguntur, antequam retinam attingant, unde confusè videmus.

Myopes autem, ubi senescunt, melius vident, quia tunc temporis humor vitreus interjectus ob senium aliquatenus consumitur, & sui retina ad humorem cristallinum propius accedit; atque hoc est, quo me cum *Plempio* eodem malo laborare solito consolor.

Lusciosi vel myopes, ubi attente aliquid intueri volunt, oculis connivent & sic accuratius vident, quia hoc pacto palpebrarum lymbo insertisque ciliis faciunt umbram pupillæ, excluduntque cœli lucem, quâ pictura in tunica retiformi opprimitur, quo enim oculi camera minus admittit lucis, eo vivacius, distinctiusque in ipsa visibilium repræsentatio exhibetur.

Lusciosi magnas literas pingere debent, nam minutè, ut plerumque solent, scribendo, malum augent, quia sic oculum assuefaciunt ad proxima solum videnda.

Præterea lusciosi non debent uti perspiciliis, quia hæc morbosum retinæ situm confirmant.

Lusciosis etiam aversa ab equis facie curru vehi prodest, hoc namque pacto a singulis objectis, quæ modo propinqua erant, mox sensim recedunt, & sic sensim quoque antrorsum prolicitur retiformis, visusque pariter remotis rebus contuendis assuescit.

Ad majorem oculi angulum foramen est, in osse lachrymali, quod in nares pervium est, & a naribus in palatum ducit, per quod ocularia medicamenta quandoque solent emungi ab aliis, ab aliis iterum exspui; ego certe memini adhuc, cum oculo infunderem collyrium ab aloë additâ amaricans, me saporem amarum in lingua degustasse; sic *Hadrianus Spiegelius* Professor Patavinus olim doctissimo *Pemplio* narravit, se pernovisse quendam Empiricum, qui certâ aquâ oculis infusâ duas tresve sedes ægris suis procurabat; percolabatur nempe aqua illa catarthica in palatum & os, eademque cum saliva in ventriculum deglutiebatur, atque ita tum purgationem ciebat.

Vidi quoque fœminam, per cujus oculos, ubi hæmorragia narium laborabat, sanguis promanabat.

Quis morbus fuit, qui Tobiæ Patri cæcitatem induxit? albugo scilicet, nam fimus hirundinum incidens in oculos, partes sensus adeo acris, ambussit aliquatenus extremam membranarum superficiem, unde primo inflammatio, ac deinde albugo exorta est; est autem albugo cicatrix quædam superficialis membranam corneam obsidens; illa, quia opaca est, species rerum externarum non transmittit, eoque hominem excæcat.

Isthæc tamen cæcitas sanata est & quidem naturaliter, nam Cap. xi. ita habetur: Tunc sumens Tobias de felle piscis linivit oculos Patris sui & sustinuit

sustinuit dimidiam fere horam, & cœpit albugo ex oculis ejus quasi membrana ovi egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit; qui piscis non absimiliter verò conjicitur fuisse callyonymus seu uranoscopus, vel certe hyena, hujus enim utriusque fel præ cæteris maxime commendatur extergendis inveteratis albuginibus a *Galeno*, *Plempioque*. *Cardanus* aliique putant verum esse augurium non timendi mortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddunt, sed falluntur miserè, nam pupilla reddit imaginem, quia cornea lævis & nitens reddit appulsas species, quamdiu ergo illam lævitatem nitoremque non amittit cornea, reflectentur semper species, adeoque imago exhiberi non desinet, atque & instante morte, & post mortem cornea lævis manet & nitens, ac propterea reddit, sicut ante, imaginem. Sed & ablatâ corneâ & effuso humore aqueo crystallinus reddidit imaginem in oculo mortuo, præsente candelæ lumine; imo *Plempius* affirmat, se vidisse sæpius non solum moriturorum, sed & mortuorum pupillas reddere imagines. Observatum est, oculis eorum, quibus hæmorrhagia narium instat, obversari quasi fila rubra, quod fit a turgescentibus membranæ araneæ, vel vitrei humoris venulis.

Tunica cornea multiplex esse reperitur, inter cujus laminas nonnunquam pus colligitur & efficit hypopyum. Maxima sympathia est inter oculorum & temporum musculos ob participationem rami ejusdem nervi. Strabismus exoritur a convulsione, vel paralysi; quod si autem ægrum post epilepsiam corripiat, fit a convulsione.

Apophlegmatismi laudantur a *Plempio* in affectibus oculorum, quia a palato non longe abest opticorum nervorum origo, sed sternutatoria & errhina damnantur ab eodem.

Pustula nigra in cornea melior quàm alba, quia non tam profunda est. Cataplasma non convenit in pustulis corneæ ob metum suppurationis.

Cœruleus ac viridis color visum recreare dicitur, ruber verò oculos inflammare perhibetur, unde ophtalmia laborantibus ipsius aspectu interdicimus; è contra verò in variolis, & morbillis commendant non solum aspectum, sed & circumamictum, ut tarda (sicut opinantur) fervidioris sanguinis eruptio acceleretur, sed ridicula ratio est, & si ruber color oculos inflammat, in variolis & morbillis longe abesse debet, quandoquidem his morbis laborantes facillime corripiuntur inflammatione oculorum, in cujus quoque præservatione non parva medelæ pars consistit.

OBSERVATIO IV.

De Disruptione tunicæ uveæ ab interna causa.

MOx locuti sumus de tunica uvea ab externa causa disrupta, in hac verò Observatione agemus de eadem internè dilacerata, cujus exemplum non memini me usquam legisse. Anus nimirum octoginta circiter annorum per quatriduum continuum miserè conquesta de ingenti oculi dextri cruciatu venit ad me, ac ostendit oculum, in cujus membrana adnata offendi inflammationem non valde magnam; nigrities autem pupillæ extendebatur usque ad album oculi, Iride in totum sublatâ; puris ne hilum quidem intra oculum laborantem delitescebat. Dolor adhuc aderat, & patiens oculo læso parum, aut nihil videbat.

His phœnomenis bene pensitatis indicabam tunicam uveam ab interna causa

causa disruptam esse illa in parte, ubi foramen pupilla efficit fibrillæ scilicet uveæ, propter inflammationem oculi exortam forsitan nimis tensæ, facile dilacerari potuerunt, dum succus nerveus majori copia, ac impetu, quàm alias solet ad uveam consueto more contrahendam, & pupillam coarctandam, in hanc tunicam provolabat.

Extemplo prædixi ægrotæ visum amissum illius oculi nullo unquam tempore restitutum iri, & sic præscripto cataplasmate anodino, & pilulis blandè purgantibus miseram hanc anum dimisi.

OBSERVATIO V.

De Vulnere penetrante usque in cavitatem ossis frontis circa supercilium sinistrum.

NOn ita pridem pullus equinus calcitrando puerum duodecim circiter annorum paulò supra oculum sinistrum in osse frontis ita vulneravit, ut fragmentum osseum satis magnum triduo post vulnus acceptum a Chirurgo eximeretur. Vulnus valde profundum apparebat, quia situm erat in altera cavitatum ossis frontis, quæ reperiuntur circa supercilia. In medicamentis impositis motus quidam tremulus animadvertebatur, non aliter ac si proveniret ab agitatione cerebri palpitantis, cum tamen vera hujus motus causa foret aër per nares in cavitatem illam propulsus.

Chirurgus dexterrimus nomine *Johannes Lemming*, vulnus hoc linteo melle rosarum imbuto, aliisque idoneis medicamentis intra bimestre spatium fœlicissime sanavit, ac cicatrice stabili omni ex parte obduxit, quod tamen rarissime contingit, teste *Paræo*, aliisque præstantissimis Chirurgiæ scriptoribus. Sed unde fit, ut vulnus in cavitatem hanc ossis frontis penetrans tam infrequenter iterum coalescat, nullâ relictâ fistulâ immedicabili? Aër nempe per nares in cavitatem illam continuo admissus ingens medelæ obstaculum est, sed datur adhuc aliud, quod adeò difficilem reddit hujus vulneris sanationem; cutis integra nempe vulneri contermina intro in cavitatem convolvitur & intorquetur corrugando, unde contingit, ut vulnus hoc sæpenumero degeneret in fistulam nulla arte medicabilem, cujus incommodi devitandi causa Chirurgus noster labia decurtavit nonnihil, ut ita caro facilius os, & cicatrix carnem contegeret, atque hæc est observatio practica, quæ etiam in aliis vulneribus locum habere potest.

Cavitas hæc obducitur humore viscido haud absimili substantiæ cerebri, atque hinc facillime falli possunt artis chirurgicæ tyrones, existimantes perperam cerebrum ipsum apertum esse & vulneratum, præsertim ubi motum illum tremulum in medicamentis applicatis conspiciunt, quod notatu haud indignum videtur.

OBSERVATIO VI.

De suppuratione Mammillæ in infante modo nato.

E Mammilla infantis modo nati multum liquoris serosi profluebat, aliquandiu, deinde subsistens ille liquor acorem contraxit, unde inflammatio, durities tandemque suppuratio mammillæ subsecuta est, quæ tamen haud difficulter emplastro stiptico *Paracelsi* sanata fuit.

Malum hoc infantem non corripuisset, si parentes humorem hunc serosum suctione aut alio modo è mammilla elicuissent, ac emplastrum coagulatos humores dissolvens imposuissent.

Si interroges cui usui destinatus sit hic liquor serosus è mammillis foetus profluens, dum ille adhuc in uteri ergastulo delitescit, *Johannes Bohnius* in circulo Anatomico physiologico tibi respondebit, humorem tunicæ ammii inde potissimum provenire.

OBSERVATIO VII.

De Hemiplegia inopinato sanata.

PUella viginti circiter annorum jam toto anno ægrota verat alterius lateris paralysi, sic ut scipionibus innixa vix posset incedere; multa medicamenta usurpata sunt per longum temporis intervallum ad malum istud profligandum, sed sine fructu.

Frater ægrotulæ, parvum cuniculum, quem in sylva manibus ceperat, inscitæ ipsius nuchæ inopinato imposuit, unde patiens mirum in modum exhorruit, ac mox, terrore evanescente, rejectis scipionibus iterum ambulavit, ab hemiplegia momento temporis sanata.

Unde tam subita medela? nimirum passione terroris spiritus animales valde agitati sunt, & propulsi præcipue secundum leges motuum animalium in partem illam, quæ a cuniculo tangebatur; atque illo impetu nervi internè obstructi vel externè compressi feliciter iterum reserati sunt.

Curatio hæc, licet miranda, non tamen inaudita est, sic apud Clarissimum *Schenkium* libro primo Observationum legere licet, quomodo unus vehementi ira percitus, alter subito terrore ob ædium, in quibus decumbebat, incendium contremiscens, a paralysi pertinaci inexspectato iterum convaluerit.

OBSERVATIO VIII.

De Ingenti tumore è nucha dependente sectione feliciter sanato.

MUlieri quadraginta duos annos natæ ante octodecim annos tuberculum pisi magnitudinem vix excedens in nucha excreverat, indolens, durum, ejusdemque cum cute coloris, quod sensim & sine sensu in incredibilem molem adauctum est, imo ramus venæ jugularis utrinque cum tumore tantum incrementum sumpserat, ut digiti crassitiem adæquaret. Interea temporis ægrota adhuc bis peperit, ac reliquo tempore menstrua solito more fluebant. Ante aliquot menses miseram hanc fœminam dolor tumoris excruciare cœpit, tandemque excrescentia hæc sponte aperta est, ac, sicut sancte affeverabat & pluribus testibus nobis confirmabat patiens, unicâ vice octodecim puris libræ ex eadem profluxerunt.

Postquam mulier hæc Arenacum venerat, invenimus in cavitate tumoris substantiam glandulis non absimilem, sed quia fœtere incipiebat, excrescentiam reliquam cultro sustulimus, quæ adæquabat adhuc pondus undecim

libra-

librarum communium. Sanguinis fluxum, qui non valde vehemens erat, idoneis medicamentis facile cohibuimus. Deinde radicem mali tam horrendi valde duram, ne repullularet forsan aliquando, sustulimus frequenti impositione pulveris, quem Clarissimus *Paulus Barbette* in fine Chirurgiæ suæ coronidis loco describit. Atque ita Patiens duorum mensium spatio ab hoc tam immani onere liberata fuit, & vivit non tantum incolumis, sed & ante aliquod tempus fœtum edidit sanum & alacrem.

Mirum est, cutim tantopere extendi potuisse absque ruptione, nam pori ejusdem plus quàm decuplo majores apparebant ac alias solent. Deinde vero, ubi cutis amplius distendi non poterat, dolor extensione nimiâ exoriebatur, qui propter suppurationem maximè intendebatur.

Vasa sanguifera cum tumore longe lateque accrescebant, unde manifestum evadit, partes vulgo dictas spermaticas abscissas etiam posse regenerari contra pervulgatam opinionem veterum.

Miror etiam, quod fœmina hæc pepererit, quodque reliquo tempore menstrua non substiterint, cum tantum chyli fœtui ac materiæ menstruorum subduceretur in alimentum, & incrementum tanti tumoris.

Unica vice tot puris libræ profluxerunt ex hoc tumore; sed dicet forsan aliquis, hic esse erratum contra artem chirurgicam, quæ docet pus partitis vicibus debere evacuari; sic est, atque patiens habitabat in pago quodam, ubi nullus Chirurgus aderat, qui illud alias prohibuisset absque dubio; & quanquam tanta puris copia simul exierit, ægra tamen exinde nullum passa fuit animi deliquium.

Antequam excrescentiæ hujus sectionem aggrederemur, pervolvebam librum nonum *Gregorii Horstii*, ubi Observatio decimaquarta hanc exhibet historiam.

Vir spectatus annis circiter septemdecim abscessum ingentem infra nucham (*natam*, vel *naphtam* vocant) inter scapulas dependentem magna cum molestiâ gestaverat; hujus ponderositatis pertæsus Chirurgo eandem auferendam commisit. Tumore fœliciter radicitus ablato, sensim visus hebetior factus est, & augescente in dies malo, circa ætatis annum septuagesimum quintum omnis pænè videndi usus deficere cœpit; ne igitur omni privaretur videndi potentia, Oculistæ curandum se dedit. Curâ absolutâ pro diminuta ablatam omnino tulit visionem, ita ut vitam jam in tenebris agat, nec lumen cœli videat amplius.

Hic casus me propemodum deterruisset a proposito tumorem sectione auferendi, ut & historia puellæ duorum mensium, quæ ex exscrescentia circa nucham, quam constrictione cum filo sericeo tollere satagebant, mortua est, multa aqua ex tumore sponte aperto profluente, ut videre licet apud expertissimum *Forestum* libro tertio tumorum præter naturam, Observatione septima.

Præterea magna excrescentiæ moles nobis timorem mali successus incutiebat, sed spes iterum magna affulgebat, ubi perlegebam, quo pacto *Benivenius* (ut *Forestus* loco mox citato refert) excrescentiam sexaginta librarum constrictione per vinculum & ferro candente fœliciter sustulerit. Quapropter operationem adaucter aggressi sumus, ægramque molesto hoc pondere levavimus.

OBSERVATIO IX.

De Loquela depravata ob duplicem uvulam:

Non ita pridem venit ad me puer octennis, qui conquerebatur, quod ultimas verborum syllabas difficulter pronunciaret. Inspicio linguam, sed nihil mali in eadem offendo, quare penitius loquelæ depravatæ originem investigans invenio duas uvulas ex faucibus dependentes, quæ, dum puer os aperiebat, a se invicem separabantur, alias satis conjunctæ, unde mox conjeci aërem ex pulmone propulsum, ac per angustias utriusque uvulæ intermedias progredientem loquelæ vitium afferre, sed immedicabile, nam si uvularum altera sectione tolleretur, ob meatum inde in nares pervium loquela fortassis adhuc magis depravaretur, quare puerum dimisi.

OBSERVATIO X.

De Tuberculo frontis sanato:

Virgo quadraginta præter propter annorum jam per longum tempus gestaverat in fronte tumorem habentem molem globuli lusorii, ejusdem cum cute coloris, ac doloris expertem.

Imposuerat ægra aliquandiu laminam plumbeam, aliaque media usurpaverat, sed frustra; post aliquod tempus cutis sponte aperiebatur, & tunc ipsum tuberculum nudum in conspectum veniebat cum membrana satis crassa, in qua continebatur materia, colore & consistentia persimilis melli ad duritiem cocto, unde tuberculum hoc *meliceridis* nomine forsitan haud incongrue posset appellari. Quo pacto tumores membranâ propriâ includi generentur, antea in prægressis Decadibus satis prolixe explicui, quapropter illud hic loci non repetam.

Forsan materia in tuberculo contenta anteà mellis instar fluida fuit, & calore corporis consueto avolantibus sub forma vaporis particulis fluidioribus consistentiam hanc duriusculam nacta fuit.

Quod parvulus hic tumor apertus sit, absque dubio provenit a compressione laminæ plumbeæ impositæ; sed mirum mihi videbatur, quod ne guttula quidem puris ex aperto tumore, vel partibus vicinis prodiret, quamvis medicamenta mundificantia, vulgò sic dicta applicarentur, quamobrem coactus fui imponere corrosivum, unde non tantum pus incipiebat profluere, sed eschara cum tota tuberculi membrana, ac materia intus contenta intra octiduum separabatur, & sic cavitas ope balsami Arcæi brevi temporis spatio carne impleta, & linteorum carptorum siccorum ope cicatrice haud deformi obducta fuit.

Similem tumorem adhuc semel conspexi in pectore senis, cujus materia contenta melli cocto simillima extra cutis sponte apertæ marginem prominebat haud aliter, ac lapis aliquis pretiosus extra annulum aureum extat, cui includitur; sed patiens hic edoctus a me, nihil mali inde timendus esse, tumorem in pectore ad mortem usque gestavit sine incommodo.

Octavæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis
FINIS.

DECA-

DECADIS NONÆ.

OBSERVATIO I.

De Fungo brachii mirando.

Circa initium Aprilis anni 1691. Vir triginta trium annorum primum sensit tumorem duriusculum sub axilla dextra, ejusdem cum cute doloris, indolentem ac ovum gallinaceum mole sua adæquantem, qui fortassis diutius illic hæsit & delituit, sed patiens non animadvertit, quia non dolebat malum.

Præterea tumor prædicto mollior supra humerum ejusdem lateris in conspectum veniebat, expers doloris, ac ejusdem coloris ac molis cum eo, qui sub axilla delitescebat.

Patiens etiam tussi sicca, & quidem noctu præcipue, infestabatur & sæpissime laborabat hæmorrhoidibus valde dolorificis.

Æger contra tussim bis, aut ter de die devorabat bolum balsami *Lucatelli* nebulâ involutum, nec sine successu; ac hæmorrhoidibus fœliciter medebatur emulsione seminis violarum cum syrupo earundem mixtæ, quæ leniter etiam alvum laxabat.

Quantum ad tumores attinet, ego cum aliis Medicis judicabam eosdem originem trahere ex humore viscoso, quapropter etiam imposuimus emplastrum de ranis cum duplici mercurio ad attenuandos nempe hos humores viscidos; sed tumores interea temporis quotidie magis magisque accrescebant & præprimis quidem tumor, qui articulum humeri occupabat; hic etenim brevi temporis spatio non tantum incredibile incrementum capiebat, sed definebat etiam in acutum ruborem, qui dolebat, & palpantibus digitis undulationem quandam liquoris offerre videbatur, imo tumoris extremitas tam mollis existebat, ut jurasses pus ibidem delitescere, quare medicamenta applicuimus suppurantia, unde tumor tandem elevabatur in mucronem valde acutum, dolorificum, mollem atque rubicundum, quare, inito consilio, tumor scalpello apertus est, die 22. Junii, sed contra plurium opinionem nihil effluxit præter paucum sanguinem, quamvis specillum valde profunde adigi posset in tumorem apertum sine dolore, aut ulla sensibili resistentia.

Imposita est igitur tunc temporis turunda satis longa cum unguento digestivo, injectio maturans usurpabatur, ac super imponebatur cataplasma emolliens, quia sperabamus tumorem hoc pacto ad suppurationem posse perduci, sed in cassum.

Interea temporis ter de die assumebat ægrotus sex uncias decocti chinæ & sarsæ parillæ, ad tollendam acredinem sanguinis, ad attenuandos viscosos humores, ac ad reserandas tubulorum obstructiones, quæ plerosque tumores producunt.

Cum injectio propellebatur in aperturam, sæpenumero sanguinis fluxus producebatur, quare ab ea temperavimus.

Cum turunda extrahebatur, prodibat etiam aliquando sanguis, quamobrem tandem etiam reliquimus.

Dum

Dum hæc agebantur, caro luxurians ex apertura prorumpere incipiebat ad instar pisi mediocris, cui imposuimus alumen ustum mixtum cum mercurio præcipitato rubro, sed frustra, quare applicuimus pulverem corrosivum, quem clarissimus *Paulus Barbette* describit in fine Anotomiæ suæ practicæ, atque hic in carnem fungosam non magis agebat, quàm alter pulvis.

Fungus interim intra paucos dies adæquabat nucem juglandem, ac foramen scalpello factum mirum in modum extendebat, sic ut coacti fuerimus eundem sectione auferre, sed, ecce, intra triduum renascebatur amplior, quàm antea fuerat.

Amputavimus igitur iterum eundem, iterumque paucis diebus interjectis priorem molem adæquabat, si non superabat; ac ubi vestimenta fungum jam aliquatenus nigricantem leviter tantum attingebant, sequebatur extemplo fluxus sanguinis non contemnendus, quamobrem eundem tertiò abscidimus scalpello, ac ferro candente relictam fungi portionem attigimus, quo tempore dimidia libra sanguinis præter propter promanabat, unde ægrotus leve animi patiebatur deliquium.

Cauterium actuale adhuc per aliquot dies continuos applicuimus tam ad excrescentiam, quàm hæmorrhagiam compescendam, sed nihil juvabat, nam fungus de die in diem majus incrementum capessebat, & eschara cauterio actuali formata, adhærens superficiei ferri candentis, cum eodem iterum avellebatur statim postquam facta foret; qua de causa cauterio actuali postea valediximus, & pulverem corrodentem applicuimus, qui sanguinis fluxum cohibebat per longum temporis intervallum, & si quando per rimam hanc, aut illam fungi arteria disrupta sanguinem profunderet, ille extemplo sistebatur aquâ nostrâ stipticâ, cujus vires antea experti fueramus in canis robusti arteria inguinali arte aperta, ac linteo quadruplici hac aquâ imbuto intra semihoram iterum obturata sine escharâ manifestâ.

Circa hoc tempus super periculosissimo hoc affectu Arenaci consultatio habita fuit inter *Engelbertum Eding* Medicinæ Doctorem expertissimum, scabinum Hardervicensem, ac ad consessum Deputatorum tetrarchiæ Velavicæ delegatum, *A. Cyprianum* Medico Chirurgum doctissimum fœlicissimumque, *Petrum Adriani* filium Chirurgum Amstedolamensem dexterrimum, ac expertissimum, me & duos Chirurgos Arnhemienses *Johannem Lemming*, & *Arnoldum a Genderingen*, sed re bene pensitatâ judicavimus malum esse immedicabile & curâ palliativâ, ut vulgò dicitur, ægroto vitam extendendam esse, quantum fieri posset.

Æger noster, vir valde intrepidus, lubens extirpationi brachii dextri consensisset, sed hæc non poterat prodesse, quia malum pectus, axillam & humeri partem jam obsederat.

Putabamus cariem ossis adesse, atque ex eadem fungum hunc propullulare, quapropter sectio usque ad os videtur hic loci potuisse in usum vocari, sed hoc fieri non potuisset sine hæmorrhagia enormi, ac præterea malum tam longe lateque se extenderat, ut vix videretur posse prodesse.

Imposuimus igitur per aliquod tempus vinum rubrum, in quo decocta erat radix tormentillæ, flores balaustiorum, aliaque astringentia, sed sine ullo fructu, quamvis medicamenta adstringentia, si ullibi; certe hoc in casu conveniunt, in quo resolventia ac attenuantia nocent, quia circulationem sanguinis ac humorum in fungo promovent, ac per consequens tumorem adaugent magis.

Sæpius etiam hic atque illic applicuimus causticum *Paræi*, quod escharam satis crassam, ac foramen satis patulum profundumque efficiebat, sed illud

illud brevi temporis spatio interjecto iterum replebatur carne fungosâ, ac præterea post hujus corrosivi operationem serum copiosius ex foraminibus hoc pacto formatis promanabat, quod vires ægroti debiles adhuc magis atterebat, quamobrem ab eo postea etiam abstinuimus.

Fungus hic progressu temporis pervenit ad magnitudinem capitis infantis non obstantibus omnibus remediis, nullumque pus ex eodem prodibat, sed ferè tota libra seri viginti quatuor horarum spatio proserpebat lentè per rimas hic atque illic dispersas.

Circa initium Octobris fungus prædictus non sine fœtore (qui huc usque non affuerat) separari cœpit circa marginem ac pus bene coctum fundebat, quod iterum spem aliquam addidit ægroto; verumenimverò antequam fungus omni ex parte separatus esset, totum fundum iterum obsitum erat novis excrescentiis propullulantibus ex ramis arteriarum per fungum dispersis, quæ deinde magis magisque accrescebant, fœtebant, atque pus album & laudatæ consistentiæ fundebant; per interstitia harum excrescentiarum digitus totus intrudi poterat sine dolore, verum nec ossis denudatio nec ejusdem caries depræhendi poterat.

Apertura antea scalpello inflicta jam longè superabat cavitatem pilei in circumferentia sua.

Magnus hic fungus die 20. Octobris omni ex parte separatus est, ac simillimus erat tum temporis substantiæ pulmonis bovini cocti, fœtebatque parum.

Fungus sub axilla dextra cute adhuc obtectus, de quo antea locuti sumus, interea temporis incredibiliter etiam accreverat in crassitie atque latitudine, & in longitudine extendebatur antrorsum usque ad papillam dextram, retrorsum verò ad humerum usque & continuus erat fungo cute denudato.

Patiens febriculâ continuâ, quæ exacerbatur post pastum nullisque remediis cedebat, nec non extillatione seri copiosissimi ex fungis cute denudatis jam ad summam maciem redactus erat.

Die primo & secundo mensis Novembris serum ex fungis extillans sanguine tinctum erat; die verò tertio Novembris patiens conquerebatur de summo cruciatu in illa parte fungi cute tecti, quæ retrorsum ab axilla ad humerum extendebatur; atque hæc pars, ubi ulcus religabatur, valde inflammata apparebat, quod nunquam antea contigerat.

Undecimâ ante meridianâ ejusdem diei ægrotus adhuc per semihoram insidebat sellæ; circa quartam pomeridianam narrabat mihi, se sæpius susurrum quendam instar rivuli strepentis circa malum animadvertere, quem sextâ adhuc bis persensit non solum patiens sed & astantes atque ita paulo post inopinato ac placidè obdormivit miser noster ægrotus.

Altero post mortem die totum indusium mortui sanguine rubebat, quod tam per os & nares quam per ulcus profluxerat.

Hic habes fidelem rarissimi, gravissimique hujus casus historiam, cujus primam originem ægrotus ipse non senserat. Retulit nobis, se ante annum unum aut alterum brachium contorsisse & contudisse, sed paulo post nullum cruciatum amplius affuisse. Si plura desideres de origine & natura hujus affectus vide *Paulum Barbette* paginâ mihi 187. Adi etiam *Fabritium Hildanum* centuria secundâ observatione XXXV. & XXXVI. *Pigræum* paginâ mihi 112. Clarissimum *Mangetum* in notis ad Chirurgiam *Pauli Barbette* paginâ 385. & præcipue Clarissimum doctissimumque virum *Fredericum Ruischium*, Anatomes, Chirurgiæ & Botanices Professorem dignissimum Amstelodami, qui in centuria sua observationum curiosarum, observatione LXXXI. hunc affectum accuratè satis describit.

An tumor prædictus jam cum *Hildano* fungus, cum *Paulo Barbette* hyperſarcoma ulceroſum, cum *Pigræo* ſarcoma, aut cum Clariſſimo *Frederico Ruiſchio* appelletur tumor ſpongioſus ſeu oſſi vorus, mihi perinde eſt, cum convenit nobis de vera hujus affectus natura.

In Podalirio meo Redivivo ante aliquot annos edito Podalirium introduco loquentem de ſarcomate ac prohibentem pariter, ne tumor hic temerè aperiatur. Imo affirmo adhuc, ſimilem tumorem nunquam eſſe aperiendum, quia ſat cito ſponte aperitur. Sed quis nobis unquam adhuc dedit ſignum infallibile hujus fungi, quis hunc affectum ab aliis ita diſtinxit, ut certò cognoſci poſſit ante apertionem? nemo, quod ſciam, huc uſque eò felicitatis pervenit, in arte medica; & qui hunc tumorem ſemel tantum attente conſpexit, fateri non erubeſcet, eundem expertiſſimum quemque poſſe decipere, adeo exacte mentitur abſceſſum. Imo cum fungus cute denudatus jam in immenſum excreverat, in conſpectum veniebat in ſuperficie ejuſdem minor tumor ovi columbini molem adæquans, ac pellicula tenuiſſima tantum contectus, qui adeo ſimilis apparebat abſceſſui, ut alii, qui in principio non affuerant, hunc tumorem ſcalpello juberent extemplo aperiri, verumenimverò nihil profluebat ex eodem niſi parum ſanguinis, eratque revera nihil aliud quàm novus fungus minor inſiſtens majori.

Præterea hoc ſancte aſſeverare queo; fungum noſtrum non tantum illic loci, ubi inciſio facta fuit, ſed adhuc duobus aliis in locis debuiſſe ſponte diſrumpi; ſi non fuiſſet arte apertus, nam duo tubercula livida, mollia ac tenuiſſimâ pelliculâ tantum contecta ante mortem patientis conſpiciebantur in illa fungi parte, quæ cute adhuc inveſtiebatur, quorum unum ſub axilla pendebat, alterum ſupra humerum jacebat.

Tales autem fungos ſponte tandem diſrumpi inter alios teſtis eſt *Fabritius Hildanus* loco mox citato, cujus hæc ſunt verba: *Tumor magnus ad ſiniſtrum inguen, locò, quo glandulæ ſunt, in femore exortus eſt, qui poſtea ſua ſponte ruptus eſt, ex quo magna ſpongioſæ carnis copia excrevit: Non ita multo poſt puer in vivis eſſe deſiit.*

Sic Clariſſimus *Ruiſchius* obſervavit non raro etiam contingere, ut fungus poſt præviam excoriationem exulceretur.

Gangræna lethalis fungi apertionem cito pede frequenter inſequitur, a qua tamen immunem conſervavimus ægrotum noſtrum non obſtante calidiſſima æſtate, qui adhuc per aliquot menſes ſupervixit, bene ſemper comedens, ſed vix ſine ope opiatorum dormiens, quia vix commodè decumbere poterat ob molem fungi immanem in dextro latere, & excoriationem femoris ſiniſtri.

Verumenimverò tandem inflammatione adveniente ac arterias fungi a feri puriſque acredine jam ferme exeſas ita diſtendente, ut penitus diſrumperentur, hæmorrhagia lethalis patientem è medio viventium ſuſtulit; ſic doctiſſimus *Ruiſchius* refert, ſe vidiſſe vaſa livida per fungum ſparſa ita diſtenta eſſe, ut ſua ſponte reſerarentur, ægrumque cito interficerent.

Antequam finem imponam huic obſervationi, annectere lubet doctiſſimas literas *Petri Adriani* filii non ita pridem ad me perſcriptas, quæ non parum faciunt ad hujus rariſſimi affectus dilucidationem.

JOAN-

JOANNI MUYS, MEDICO.

PETRUS ADRIANI FILIUS,

Chirurgus S. D.

Quod gratissimis tuis die 26. Novembris Anni præcedentis ad me datis, non citius responderim, nec negligentia in causa est, nec oblivio, sed crebræ occupationes, nec non invaletudo me per aliquod tempus infestans; memor interim humanitatis tuæ, me ad continuandam nostram nuper conflatam amicitiam invitantis, id, quoad me, non volui negligere. Ex tuis ergo quod intellexerim literis, occasionem defuncti partem affectam aperiendi, ac statum, ortumque mali penitius investigandi pusillanimitate muliercularum fuisse recusatam, admodum doleo; avidè enim scire desiderabam, num hac investigatione mea hac in re experientia, ut coram retuli, confirmaretur, hosce scilicet tumores plerunque ex carie ortum trahere, sed, proh dolor! aversatio hæc, mulieribus non tantum, sed & multis aliis familiaris, multa utilia expiscari, sæpius impedimento est, ut hic etiam non rarò experimur. Lubuit tamen tibi, progressum, terminumque mali mihi notum facere, quæ majori cum admiratione accepissem, si non αὐτοψίᾳ ea didicissem; vidi enim subinde hosce tumores in tantam molem excrescere, ut id fieri posse vix credibile foret, non modo quando cute detectâ nihil est, quod incrementum coërceat, verum etiam cute integrâ, quæ extensibilis, quâlibet substantiâ heterogeneâ mirum in modum extendi potest, ut in hydropicis, aliisque videre est. Occurrunt tamen hoc in casu quædam notatu digna, nimirum quod, non obstante fœtore, bonum pus efflueret ex tali tumore, quem ut plurimum ingentem copiam serosi, fœtidique humoris effundere cernimus.

Mirandum etiam est, digitos per interstitia excrescentiarum & quidem sine dolore inseri, & nullam ossis denudationem, multo minus cariem deprehendi potuisse; in extremitatibus enim his tumoribus obsessis cariem post mortem plerunque offendimus; in aliis autem corporis partibus, glandulosis nimirum, non item; nam in mulierum mammis non rarò tales fungos, & quidem admodum ingentes, oriri experti sumus, quibus extirpatis, nulla caries nec in sterno, nec in costis reperitur, & patientes feliciter curantur.

Ita quoque hac in parte, ubi glandulæ crebræ sunt, & præcipue circa axillam, unde malum in ægroto nostro originem traxit, id fieri posse quis negaret?

Addis initio Novembris patientem de summo dolore in postica parte tumoris conquestum, nec non inflammationem circa eundem locum obortam fuisse, quæ forsan ex falsa quadam specie suppurationis, aut potius fermentationis in illa parte excrescentiæ provenerint, unde fortasse etiam ille susurrus, quem patiens, instar rivuli strepentis, sese subinde, & adhuc paucis momentis ante mortem percipere ajebat; nisi magis placeat, ex vase quodam, sive vena, sive arteria, rupto, ac sanguinem inter interstitia fungi effundente, hunc susurrum excitatum fuisse, qui sanguis quadam viâ per musculos intercostales & pleuram factâ, in thoracis cavitatem irruere potuit, unde forsitan subitanea illa mors, & post mortem effluxus ille sanguinis tam ex ore, & naribus, quàm ulcere. Hæc, vir spectatissime, hoc de casu tibi proponere volui, salvo tamen tuo, qui coram omnia attentius ob-

Q fer-

servare potuisti, perspicaci judicio, quod, datâ occasione, etiam intelligere desiderabo. Vale.

Amstelodami IV. Kalendas Aprilis MDCXCII.

OBSERVATIO II.

De Fungo plantæ pedis mirabili.

ANcilla rustica viginti quinque præterpropter annorum nudis pedibus ambulans alteram pedis plantam impegit duro lapidi, qui tantum cruciatum illi intulit, ut per horæ quadrantem humi decumbere cogeretur; deinde surrexit ac abiit, dolore pedetentim etiam abeunte.

Post aliquod temporis intervallum hæc puella conqueri cœpit de tumore plantæ pedis, qui ejusdem tamen erat cum cute coloris, ac doloris expers, sed inter ambulandum creabat eidem aliquod incommodum.

Progressu temporis tumor hic usque adeo increvit, ut patiens amplius incedere nequiret.

Tandem tumor hic, abscessum mentiens, apertus est, nullum autem pus ex eodem profluxit. Brevi post tempore ex foramine arte facto propullulabat caro fungosa, quæ indies majus incrementum capessens pervenit tandem ad incredibilem molem, quæ, quoties tangebatur vel leviter, copiosum mox sanguinem profundebat. Quicquid applicabatur, quicquid tentabatur per annum unum aut alterum, carebat successu, quare ægrota, jamdudum pertæsa tam diuturnum malum, crus amputari permisit paulo infra genu & sic sanata fuit.

Fungus carnosus & rubicundus a planta pedis abscissus habebat pondus quinque librarum.

Omnia tarsi ac metatarsi ossa carie infecta erant, perforata multis ac capacibus foraminibus, præditaque compluribus exostosibus, sicut eadem conspicienda mihi præbuit doctissimus expertissimusque *Engelbertus Eding*, qui hanc observationem amicè mihi communicavit, omniaque hæc ossa adhuc conservat in capsula, cum pictura fungi carnosi post cruris amputationem delineati.

Hinc haud incongrue concludi posse videtur, tales fungos oriri plerumque a contusione ac subsequente ossis carie, ex qua caro fungosa propullulet.

OBSERVATIO III.

De Sarcomate inguinis.

QUadragenarius ante aliquod tempus contusionem passus est in inguine sinistro, unde progressu temporis exortus est ibidem loci tumor indolens, ejusdem cum cute coloris, ac duriusculus, qui post triennium duorum pugnorum magnitudinem adæquabat, ac ægroto in deambulando haud parvam creabat molestiam, quamobrem Chirurgus imposuit corrosivum, ut ita per aperturam arte factam turunda intrudi posset, ac hoc pacto materia contenta evacuari, sed brevi post tempore caro fungosa propullulare cœpit, cui uno die pulvis corrosivus inspergebatur, ac altero die caro fungosa caustico ambesa novacula tollebatur absque dolore.

Fun-

Fungus hic quotidie quidem iterum accrescebat, attamen plus cultro tollebatur, quam renasci poterat indies, atque ita tandem pervenimus ad fundum fungi, ut credebamus, quod jucundo rubore conspiciendum se offerebat, sic ut existimaremus, totum malum jam devictum esse; in medio tamen remansit adhuc tuberculum quoddam duriusculum, procul dubio hujus affectus verum initium; Quid fit? post sesquimensem complures fungi iterum renascebantur, quorum unumquodque adæquabat molem ovi columbini, &, quoties abscindebantur, postero die eosdem renatos conspeximus; atque ita ægrotus noster, tractu temporis valde emaciatus, tandem naturæ debitum persolvit, ingenti seri copia quotidie ex ulcere promanante ac vires patientis mirum in modum debilitante.

Fungus, de quo hic loci verba habemus, a duobus prægressis in eo differebat, quod paulo durior existeret ante apertionem, & quòd post eandem nullo unquam tempore profunderet sanguinem.

OBSERVATIO IV.

De Fungo capitis.

MUlier triginta quinque annos nata jam per sexennium gestaverat in sincipite carnem fungosam, mollem, rubicundam, indolentem ac cute orbatam, ex qua quotidie ingens seri copia promanabat, sed unde ortum duxerit hoc malum oblitus sum; absque dubio contusio capitis prævia fungum illum excitavit, qui progressu temporis ob distensionem nimiam sponte, hoc est, sine externa vi disruptus est.

Inspergebam pulverem corrodentem, ille autem magis oberat, quàm proderat, quoniam haud contemnendum erysipelas producebat in facie, quoties applicabatur, quamobrem, omisso hoc pulvere, novaculâ totum malum simul & semel sustuli usque ad cranium, quod nullam cariem ostendebat quidem, sed inhærebat tamen eidem labes quædam rubicundior.

Imposui igitur ferrum candens, atque ita laminâ cranii separatâ ulcus carne impletum est, tandemque coaluit, excepto parvo foramine, quod permanebat apertum. Mulier hæc per annos aliquos adhuc supervixit, & bene habuit.

OBSERVATIO V.

De Tumore circa spinam dorsi.

PUella annum nondum attingens tertium jam ab ortu usque nutriebat tumorem habentem molem ovi columbini, mollem, colore cuti similem, atque indolentem inter utramque scapulam super spinam dorsi situm, qui consilio Medici a Chirurgo apertus est scalpello, ac profluxit tum temporis ex eodem humor serosus flavi coloris, membranâ crassâ inclusus, tumore tamen ob membranæ crassitiem non subsidente, quare eundem linteis carptis siccis implevimus.

Luce sequenti superimposita lintea effluentis seri copiâ prorsus madefacta invenimus, judicantes igitur tumorem tam exiguum aquæ adeo copiosæ non esse capacem, rem paulò curiosiùs inquisivimus, cum labia jam satis hiarent, & in-

& inspectio penitior pateret; atque tunc temporis tubulos quosdam in membrana offendimus, è quibus hæc aqua quotidie prosiliebat, quæ tamen paucis ante obitum diebus fluere desiit.

Puella febri continua post apertionem laborans, atque ita in dies magis magisque debilitata, tertiâ post apertionem septimanâ, animulam non ita pridem acceptam Deo reddidit.

In aperto post mortem tumore canalem unum aut alterum conspeximus penetrantem usque in spinæ dorsi cavitatem.

In Podalirio redivivo hunc casum obiter attingi, sed, ob amissam tum temporis observationem, memoriter eundem in chartam conjeci, unde leviter erravi circa ætatem puellæ ac diem obitus, quare repertam iterum observationem, quam statim post mortem puellæ conscripsi, lectori hic loci communicare volui.

Vide Clarissimum *Ruyschium* Observatione XXXIV. & sequentibus, qui tumorem hunc plerunque limpidum esse affirmat, atque noster opacus erat.

Idem Author hunc affectum hydropem particulæ spinalis medullæ esse affirmat, sicut hydrocephalus est hydrops capitis, atque tumorem illum nihil aliud esse quàm expansionem membranarum spinalem medullam investientium ab humoris replentis copia.

OBSERVATIO VI.

De Tumore duro manus.

VIrgo quadraginta circiter annorum jam per longum temporis intervallum senserat tumorem durum, non tam dolentem, quàm incommodum, æqualis cum ovo columbino magnitudinis, in illa volæ manus parte, quæ belgicè dicitur *de muys van de hand.*

Multa tentata sunt remedia ad malum illud abigendum, sed irrito conatu, quare Chirurgus tandem imposuit corrosivum adeo decantatum *Paræi*, ac separatâ escharâ foramen per aliquod tempus servavit apertum, sed tumor inde minime decrescebat, sicut Chirurgus tandem iterum coactus fuerit ulcus cicatrice obducere.

Verumenimverò quid contingit, postquam ulcus jam dudum coaluerat? scilicet tumor ille sensim & sine sensu diminuebatur, donec tractu temporis perfectè evanuerit, sic ut patiens jam temporis omnimodè sanata sit ab hoc malo, quod sibi contraxerat ex labore, quem antea impenderat conficiendis candelis cereis.

Ratio hujus medelæ in promptu est; nimirum procul dubio arteria, quæ nutrimentum advehebat tumori, corrosa est imposito caustico, atque ita progressu temporis exaruit tumor, particulis eundem componentibus partim per poros cutis exhalantibus, partim ad massam sanguineam, unde venerant, redeuntibus; sic veterinarii arterias abscindunt, quæ feruntur ad strumosos tumores equorum, & hoc pacto malum feliciter sanatur.

OBSERVATIO VII.

De strumoso Tumore colli feliciter sanato.

MUlier triginta sex circiter annorum jam per longum temporis intervallum in collo aluerat strumam, quæ mole sua capiti infantis minime cedebat.

Multa

Multa adhibita fuerant medicamenta, ſed in caſſum, quamobrem Chirurgus tandem applicuit corroſivum, ac ulcus inde exortum aliquandiu retinuit apertum, ſed quia tumor hoc pacto nullatenus diminuebatur, Chirurgus ulcus iterum cicatrice obduxit.

Verumenimverò mulier hæc, poſtquam ulcus jam coaluerat, de die in diem monſtruoſi hujus tumoris ſenſibilem magis perſenſit diminutionem, donec tandem pleniſſimè ſanata ſit, & in hunc uſque diem ab omni malo libera permanſerit.

Mirum ſane, ſtrumoſum tumorem tam feliciter ac tam facile ſanari, cum è contra meminerim ſimiles ſtrumas poſt amputationem dextrè ſatis inſtitutam bis, ac ſæpius iterum repullulaſſe.

OBSERVATIO VIII.

De Tumore duro malleoli.

QUinquagenarius jam per quindecim annos circa malleolum externum pedis ſiniſtri affligebatur tumore mobili, propriâ membranâ veſtito, qui poſt ſupervenientem inflammationem tandem ſponte apertus ichoris haud parum emiſit. Chirurgus accitus foramen ulceris nimis exile dilatavit forpice.

Poſtero die in conſpectum venit lapis concretus, calcis colorem obtinens, quem fruſtulatim extraximus, cumque inveſtientem membranam pulvere mercurii præcipitati rubri ſeparavimus, & circulatione ſanguinis ac humorum atque per conſequens generatione carnis per inſperſionem pulveris aloes, & myrrhæ promotâ, brevi cicatricem induximus.

OBSERVATIO IX.

De Cancro mammillæ pro voto extirpato.

PUella ruſtica viginti quatuor annorum jam per triennium perſenſerat in mammilla dextra tumorem durum, oblongum, dolorificum, mobilem, ac a papilla ad axillam ejuſdem lateris propemodum ſe extendentem, qui quotidie per papillam nonnihil liquoris ſubflavi ac acris profundebat.

Glandula ſcilicet una aut altera ante aliquod tempus contuſa fuit, unde tubuli haud pauci diſtorti ſunt, ſic ut humores ſubſtiterint ex parte illic loci, & progreſſu temporis acido-corroſivi evaſerint, tandemque acredine ſua tubulos quoſdam dilaceraverint circa papillam, atque ita per eandem quotidie humor ſubflavus ac acris extillabat.

Multa medicamenta ad hoc malum profligandum fruſtra applicata fuerunt, quare patiens, moleſtiæ tam diuturnæ pertæſa, adiit tandem Chirurgum ſatis expertum, qui affectum hunc cancrum eſſe affirmabat, eundemque non niſi totius mammæ amputatione poſſe ſanari, cui operationi, licet valde dolorificæ, lubenter aſſenſit patiens, poſtquam me conſuluerat, atque ita brevi temporis ſpatio feliciter ſanata fuit, nec malum poſtea repullulavit, quod tamen ſæpiſſime contingere videmus ob fermentum acido-corroſivum, quo glandulæ vicinæ crebrò imbutæ ſunt, atque hac de cauſa prudentiores operatores haud facile cancrorum extirpationem aggrediuntur.

Hunc

Hunc affectum non comitabantur venæ turgidæ, quæ tamen fere semper pro certo cancri signo habentur, quod interim valde fallax esse reperitur, sicut Clarissimus *Gabriel Fallopius* etiam testatur capite 111. de tumoribus præter naturam his verbis: *Notandum est autem, quod licet venæ hæ ab omnibus pro signo ponantur, non sunt tamen signum certum, quin ex centum cancris quatuor non habent illas, & si reperiantur hæ, maxime patent, quando potissimum sunt in mammillis hi tumores.*

OBSERVATIO X.

De Scrophulis pertinacibus tandem prò voto sanatis.

ADolescens rusticus jam per annum unum aut alterum totum collum obsessum gerebat sex vel septem scrophulis duris, mobilibus, & indolentibus, a quibus avidè sanari optabat.

Chirurgus igitur, inito mecum consilio, maximo tumorum imposuit causticum *Paræi*, quod intra horæ spatium valdè profundam efformabat escharam, quæ mox scalpello dissecabatur, & sic aderat foramen ingens & profundum, cui imponebatur mercurius præcipitatus ruber mistus cum unguento basilico, aliisque mundificantibus vulgò dictis, atque hoc pacto quotidie substantia quædam extrahebatur adipi non absimilis, tandemque etiam folliculus, cui materia hæc includebatur.

Aliæ deinde scrophulæ eodem modo tractatæ sunt non sine successu, ac ultimæ strumæ membranâ caustico disruptâ pus per aurem egrediebatur copiosum; atque ita omnes hi tumores evanuerunt, sed sesquiannus abiit, antequam patiens perfectè convaluerit.

Nonæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis

FINIS.

DECA-

DECADIS DECIMÆ.

OBSERVATIO I.

De Ulcere sinuoso perinæi.

Vir quinquaginta circiter annorum jam aliquandiu ægrotaverat ulcere sinuoso perinæi ab interna causa producto, quod quotidie haud parum puris acrioris profundebat, urina apparebat rubicunda & inflammata, aderatque febris, quæ indies magis magisque accrescebat.

Ulcus, quantum necessitas exigebat, dilatabatur, medicamenta idonea applicabantur, ac contra febrim propinabantur febrifuga, sed his omnibus non obstantibus, ægrotus tandem naturæ debitum persolvit; & quod mirandum est, aliquandiu post obitum adeo vehementer sudavit, ut singulis capitis pilis gutta sudoris adhæreret.

Scilicet massa sanguinea hujus ægri abundabat humore acido viscidoque, a quo febris ulcusque facili negotio deduci queunt, sed unde sudor post fata viri promanans, quo tempore circulatio sanguinis & humorum alias in totum subsistit? sanguis nempe cadaveris ubi corrumpebatur, hoc est, ubi fermentari incipiebat, particulæ serosæ a motu intestino minutarum particularum propulsæ sunt per glandulas subcutaneas extra cutim sub forma sudoris.

Haud dissimilem fermentationem videre licet in canibus ab aqua suffocatis, qui antea in fundo submersi, post diem unum aut alterum ascendentes, supernatant mirum in modum tumidi, quod nulla alia de causa contingit, quàm quia propter fermentationem humoribus carnis inductam multæ particulæ serosæ sui juris jam factæ, & ab aliarum vinculis, quibus alligabantur, solutæ in vapores elevantur, unde canes intumescunt, & supernatant non aliter ac vesica inflata solet.

Ante aliquod tempus ulcus perinæi in alio post dilatationem sufficientem sanavi suffitu confecto ex agrimonia, thure, cinnabari, aliisque, superimposito emplastro idoneo.

OBSERVATIO II.

De Fistula perinæi post gonorrhæam relicta.

Miles gregarius annum jam agens trigesimum, post gonorrhæam male tractatam astringentibus, animadvertit tumorem in perinæo, unde urina supprimebatur; tumor hic brevi post tempore a Chirurgo apertus est, sed remansit fistula immedicabilis, cujus curatio postea a me etiam tentata fuit, sed sine fructu.

Gonorrhæa nempe ulcus produxerat in vesiculis seminariis, pus autem pro-

propter astringentia assumpta per penem evacuari non poterat, sed coacervatum ibidem abscessum produxit in perinæo, qui postea apertus noluit iterum coalescere.

Monitos hic velim Juniores Chirurgos, ne temere & intempestive in gonorrhæis curandis propinent astringentia, quæ rarissime conveniunt; in gonorrhæa, namque adsunt ulcuscula, quæ, ubi bene mundificata sunt, sponte coalescunt sine usu astringentium.

OBSERVATIO III.

De Fistula penis, & scroti periodica.

QUidam post gonorrhæam male sanatam laborabat fistula penis, & scroti, quæ singulis mensibus multum puris profundebant per tres, aut quatuor dies; intermedio autem tempore occlusæ apparebant nec dolebant; postea verò consueto tempore instante penis, & scrotum intumescebant non sine dolore, quæ symptomata, fistulâ reseratâ, ac pure iterum evacuato, cessabat.

Ægrotus multis internis, & externis remediis usus est, sed incassum.

An circa pleniiunium, aut alio tempore hæc phænomena in conspectum venerint, oblitus sum.

In *Sanctorii* Medicina statica, si bene memini, legi, viros singulis mensibus humores superfluos excernere per sudores, urinam, aut aliâ quâdam viâ, quod hic casus videtur aliquatenus confirmare.

OBSERVATIO IV.

De Vulnere manus cum fractura ossis.

VIro quadraginta quinque annorum manus duobus in locis gladio lato & secante sauciata fuit.

Primum vulnus totam manum transversim occupabat circa radicem digitorum, alterum situm suum habebat circa articulationem carpi cum cubito fracturâ ossis comitatum, cujus portio satis magna aliquot diebus a vulnere excepto separabatur. Aderat vulneri metacarpi ingens tumor, sed mollis, & cedens digitis; in altero vulnere dolor summus excruciabat ægrotum, & caro luxuriabat magnopere. Ad hæc æger continuo febricitabat, ac diffluebat sudore, qui tantus erat, atque adeo agitatus, ut, postquam sub forma vaporis ad umbellam, vel summitatem lecti satis altam avolaverat, condensatus inde instar pluviæ incredibili copia rursus prolapsus sit in stragula, sicut id ipsum sæpius non sine admiratione conspexi.

Pars vulnerata circa metacarpum valde intumuerat, quia propter fibrillas complures discissas, ac tubulos consequenter obstructos humores stagnabant ibidem.

In altero vulnere caro egregie luxuriabat, sicut in ossibus denudatis plerumque contingit, sed unde producitur hic effectus? Non a provida natura, quæ, prout veteres somniarunt, os denudatum carne contegit, ne ab ambiente aëre lædatur, nam si hæc res ita se haberet, naturæ providentia tanta esse deberet, ut statim post vulnus inflictum os nudum carne muniret,

nec

nec exspectare deberet, donec corruptum est os, & a reliqua parte sana separari debet.

Unde igitur caro hæc fungosa progignitur? sequens comparatio rem, ut opinor, satis dilucidabit. Ex trunco arboris abscissæ non rarò prodeunt fungi, quia nempe figura tubulorum trunci ab aëre ac pluviâ ita immutatur, ut particulæ per radicem sursum propulsæ in superficiem trunci, non in ramos, sed in fungos convertantur; modo haud absimili figura tubulorum in osse denudato, ac ab aëre ambiente, nec non pure corrupto, ita distorquetur, ut humores circulantes excrescant in carnem mollem & fungosam.

Febris autem ac mirandus ille sudor provenit ex eo, quod multum ichoris absorptum sit in massam sanguineam, eidemque motum conciliaverit adeo concitatum, ut particulæ serosæ a reliqua massa separatæ sub forma vaporis avolaverint usque ad umbellam lecti.

Quod vulnus transversum metacarpi; prædiximus ægroto, digitum unum, aut alterum rigidum mansurum post curationem, quia tendines sauciati fuerant.

Ut ad curationem tandem deveniamus, vulneribus imposuimus digestivum ex therebinthina communi, vitello ovi, radice aristolochiæ rotundæ, aloe & mirrha, carni fungosæ inspersimus pulverem ex æquali portione ochræ, & sabinæ confectum, ac superposuimus cataplasma per aliquot dies tam ad dolorem demulcendum, quàm ad dissolvendum tumorem; tandemque ferulâ chartaceâ usi sumus, ne os brachii fractum in vulnere distorqueretur.

Contra febrim, ac sudorem nimium præscripsi aliquot pulveres ex corallo rubro, terra sigillata, ac saccharo saturni.

Atque ita ægrotus noster, trimestri spatio vix elapso, reconvaluit, amisso tantum motu unius, aut alterius digiti.

OBSERVATIO V.

De Vulnere pectoris lethali.

JUvenis triginta circiter annorum ictu sclopeti sauciatus est eum in modum, ut globulus plumbeus major, circa papillam sinistram pectoris cavitatem ingressus, per dorsum rursus exiret.

Vulnus dorsi brevi temporis spatio iterum coaluit, sed in vulnere anteriori læsa fuit arteria intercostalis, quæ situm suum habet in sulco insculpto inferiori costæ parti, sic ut crebro ingens sanguinis copia promanaret è vulnere, ac ubi vulnus obturabatur, sanguis per tussim ejiciebatur, quod alias non contingebat.

Nihil propemodum relinquebatur intentatum ad hæmorrhagiam hanc sistendam tam internè quàm externe tam medicamentorum, quàm manuum opera, sed frustra, nam æger noster sanguine tandem spoliatus naturæ debitum persolvit.

Hinc manifestum evadit, Practicos non sine ratione monere juniores Chirurgos, ne in apertione pectoris empyematici aut alio modo male constituti sectio fiat in inferiori costæ parte, quia vasa sanguifera sulcum prædictum perreptantia facile læderentur hoc pacto, unde lethalis hæmorrhagia posset produci.

OBSERVATIO VI.

De Ingenti altheromate brevi sanato.

ANte aliquot septimanas accersitus sum cum Chirurgo juniore sed satis habili ad puellam decem annorum, quæ ante biennium prolapsa fuerat in dorsum.

Brevi post casum tempore ægrotula nostra persensit circa os coccygis parvum tumorem, ejusdem cum cute coloris, ac indolentem, qui tum temporis, cum ego vocabar, adæquabat molem capitis infantis, eratque valde mollis tactu, ac latæ basis, expers doloris, ejusdemque cum cute coloris adhuc tum temporis.

Aperuimus extemplo hunc tumorem scalpello, ac profluebat ex eodem materia obtinens similitudinem pultis Illius, quo utuntur textores ad lubricanda fila.

Inter effluxum ex altheromate materia hæc paulo liquidior existebat; sed in pavimentum prolapsa è vestigio inspissabatur ab aëre ambiente.

Postero die vulnus scalpello inflictum eò usque dilatavimus, ut totum fundum tumoris in conspectum veniret; atque ita oculis subjiciebatur olla illa membranosa, cui puls hic includebatur antea.

Tangebamus igitur membranam hanc, post pultis effluxum egregie incrassatam propter corrugationem, nonnunquam lapide infernali sed sæpius adhuc penicillo butyro antimonii liquidiori imbuto, atque hoc pacto ope unguenti digestivi complures lamellæ, ex quibus membrana hæc conflata erat, separabantur in dies.

Mense nondum elapso puella hæc plenissime sanata fuit, sed permansit cavitas ad instar nucis juglandis, quia separatâ omni ex parte membranâ, in qua pultacea substantia continebatur, pars subjecta statim conspiciebatur obducta cicatrice, nullâ carnis generatione prægressa.

Si tumor hic collo præditus fuisset, simul & semel eundem cum membrana sua secundum artem forsan sustulissemus, sed hæc operatio ob basin nimis latam fieri nequibat.

OBSERVATIO VII.

De Hydrope ovarii muliebris utriusque.

VIrgo honesta quadraginta annos nata jam per longam annorum seriem miserè laboraverat profluvio mensium, quod nullis unquam remediis obsecundavit, sic ut progressu temporis in hydropem prolapsa sit patiens.

Anno 1691. die 18. Augusti ex terrore iterum correpta est profluvio mensium, quæ nec venæsectioni, nec aliis medis obtemperabat, quare brevi post tempore assidue decubuit, attritis valde viribus.

Interea temporis incredibilis seri limpidi copia quotidie ex utero promanabat cum innumeris vesiculis albis & membranosis, disruptis quidem ed adhuc aquâ viscidâ semiplenis, quæ aëri exposita fluidior fiebat, & prorepebat.

Ha-

Harum vesicularum una alterâ major erat, sed pleræque globuli lusorii molem æquabant, aut superabant.

Ægrota dicebat, se posse vivide satis persentiscere has vesiculas prodire è latere sinistro, & post aliquot dies iterum affirmabat easdem venire è latere dextro, sed hæ paulò rubicundiores existebant in extremitate suâ.

Appetitus prostratus, febricula continua, aphthæque ægrotam tandem lenta, ac jam dudum prævisa morte consumpserunt, postquam per sedecim septimanas decubuerat.

Morbum hunc judico fuisse hydropem ovarii utriusque, atque ova sero plena ob angustias viarum in exitu fuisse disrupta, unde tanta seri copia cum vesiculis prædictis profluxit ex utero.

Vesiculæ verò è latere dextro prolabentes rubicundiores existebant iis, quæ ex sinistro latere prodierant, quia nempe firmius, & pertinacius adhæserunt partibus vicinis, ideoque vascula quædam sanguifera lacerarunt, ubi propellebantur ex ovario.

OBSERVATIO VIII.

De Fungo cerebri.

JUvenis viginti circiter annorum flagelli ictu in osse frontis ita vulneratus est ab alio, ut mox prolaberetur in terram sine intellectu, & loquela.

Horæ spatio post læsionem interjecto valde vomuit, ac vociferatus est patiens, sensus rediere, & dolor aderat vehemens, quare extemplo in lectum deportatus est æger, ac tum temporis vulnus exiguum in carne se præbebat conspiciendum, sed specillum adactum certiores nos reddebat fracturæ, & impressionis cranii, quamobrem quarto læsionis die, quo Chirurgus patientis me vocari jusserat, incisionem crucialem fecimus, ac labia vulneris implevimus linteo carpto; quinto die post vulnus inflictum invenimus, & vidimus cranii fracturam, & impressionem horrendam; tria scilicet fragmenta triangularia, quorum unumquodque habebat magnitudinem articuli pollicis, in medio fracturæ, ubi se invicem angulis suis tangebant, & stringebant, in cerebrum profunde desidebant; atque hæc tria fragmenta tam arctè sibi invicem erant conjuncta, ut nullum, licet exiguum, instrumentum in fissuras adigi posset ad elevandum cranium impressum, quare trepani usus necessarius erat, sed illud imponi debebat cranio adhuc integro, atque non supererat locus, adeoque iterum incisionem fecimus, non crucialem, sed semicircularem ad latus impressionis, & totam laminam cutis cum carne, & pericranio avulsimus, atque ita sexto post vulnus acceptum die trepanum collocatum est ibidem, perque foramen hoc arte factum ingessimus elevatorium robustum, quo duo fragmenta non sine summa vi elevata, ac ex vulnere prorsus sublata sunt, octavo læsionis die tertium fragmentum etiam evulsum est. Nono læsionis die, non per foramen trepano factum, sed per alterum, quod exempta tria fragmenta formaverant, propullulabat fungus ad instar nucis avellanæ, qui intra paucos dies ovi gallinacei molem propemodum adæquabat, rubicundus, mollis, & pulsationem oculis nostris conspicuam exhibens.

Hunc fungum, omissis acribus medicamentis, sola sequentis pulveris ex *Fabritio Hildano* desumpti inspersione sensim, & sine sensu evanescere coegimus.

℞. *Rad. angelic. & calam. aromat. ā. ʒß. aristol. rotund. irid. florent. & Lign. guajac. ā. ʒij. Flor. salv. Majoranæ, & Rorismar. ā. p. j. M. F. Pulvis tenuissimus.*

Hoc pacto laminæ osseæ trigesimo sexto die a cranio separatæ sunt, atque æger brevi post tempore perfecte convaluit.

Mirandum autem summoperè mihi videtur, quod toto curationis tempore ægrotus noster domum perambulare, edere, bibere, aliaque naturæ munera obire potuerit absque impedimento, nec unquam febrim vulnus tam immane comitatam fuisse. Præcipuum, quod ægroto molestiam aliquam creabat, incommodum somnus erat solito turbulentior.

Interrogabit hìc loci fortasse aliquis, cur ex foramine trepano facto etiam non prodierit fungus? sed illi respondeo, fungum cerebri teste *Hildano*, aliisque expertis Chirurgiæ scriptoribus non generari, nisi disrupta vel sauciata dura meninge, quæ integra existebat in perforata apertura, in altera ab exemptis fragmentis formata, vulnerata fuit.

Acria medicamenta in hoc casu sedulò vitavi, quia eadem funestos effectus sortiri consueverunt in fungis cerebri; sic legimus apud *Hildanum* centuria I. Observatione XIV. inspersionem pulveris aluminis, & vitrioli usti lethalem fuisse ægroto cerebri fungo laboranti.

Malpighius fungum cerebri ortum suum debere existimat læsis glandulis, ex quibus cortex cerebri componitur, sed hic cerebrum adhuc contegebatur utraque meninge, licet crassa læsa foret a fragmentis, quamobrem causa a Clarissimo *Malpighio* allata hìc locum habere non potest.

Jacobus Aubertus (ut *Hildanus* refert centuria II. Observatione XXXVI.) fungum fieri vult rupta dura meninge, & tenui in altum elevata, substantiàque cerebri repleta, sed hìc non aderat disruptio duræ meningis. Author hìc forsan judicavit fungos citatos substantià cerebri repletos esse, quia pulsationem (quam quoque in nostro patiente distincte satis perspicere licebat) haud aliunde deducere potuit, quàm a palpitatione cerebri, & quia in praxi observavit post acrium medicamentorum, aut ligaturæ constringentis applicationem mortem cito pede plerunque subsequi.

Si dura meninx disrupta fuisset in vulnere nostro, fungus ægroti non tam facile obtemperasset medicamentis impositis, sicut *Hildanus* etiam annotavit loco mox citato, ubi fungum deducit ex adnata carne spirituque aëreo, qui membranas, ipsamque adnatam carnem in altum elevaret.

OBSERVATIO IX.

De Ulcere sinuoso.

Puella viginti quatuor annorum jam per tres septimanas ægrotaverat febri acuta, comitata delirio continuo; tandem denuo mentis compos facta conquerebatur de cruciatu dorsi; inspecto igitur loco dolente aderat gangræna circa os sacrum, qua sublata idoneis medicamentis invenimus utrinque in summis natibus cavitatem longe lateque patentem, è quibus quotidie multum puris fœtidi promanabat.

Post applicationem unguenti digestivi per aliquot dierum spatium continuatam ex utraque cavitate protraxi molem carneam cum membrana, ac annexa pinguedine, quæ corruptæ erant, ideoque valde fœtebant adhuc, postquam tota nocte in aqua communi maceratæ fuissent.

Se-

Separatis hisce corporibus carnosis, vel potius musculis utrinque cavitas reperiebatur in profunditate sua manus longitudini vix cedens, quarum utraque quotidie multum puris, sed non amplius fœtentis, profundebat non sine strepitu, dum comprimebatur, ob aërem simul cum pure ex ambabus cavitatibus provolantem.

Quicquid applicabam, quicquid tentabam, carebat successu, qua de causa tandem utramque cavitatem forpice ad finem usque aperui, non sine hæmorrhagia, quæ tamen brevi sistebatur; atque ita unius mensis spatio ulcus illud horrendum in totum coaluit.

Jam facile intelligi potest, unde gangræna, cæteraque symptomata provenerint.

Ægrotula nimirum, propter delirium non sentiens dolorem, decumbebat in lecto duriusculo nec bene strato, unde tubuli circa os sacrum ita compressi sunt, ut sanguini ac humoribus nutritiis denegaretur liber introitus, ac præterea in summis natibus utrinque tantam contusionem passus est musculus, ut sanguis ac humores eosdem de novo ingredi nequirent, ac humores in ipsis jam contenti corrumperentur ob moram, quam ibidem loci nectebant, hoc est, ut particulæ, quæ alias concinno ordine inter se commixtæ erant, a se invicem separarentur, quarum volatiliores nares non sine molestia feriebant, atque ita fœtorem excitabant.

Musculis corruptis, postquam a partibus vicinis ope digestivi separati fuerant, blanda vi protractis sinus illi immanes coalescere non poterant, & quidem triplici de causa; primò quia pus tam exacte exprimi non poterat, quin remaneret semper aliquid residuum, quod partes subjectas magis excavabat, deinde quia aër, qui excludi non poterat, cutim ac membranam adiposam superpositam fornicis instar continuò elevatam retinebat, ac tertiò, quia pars superjecta tenuior erat, quam ut iterum cum parte sana posset conjungi.

Peracta verò dissectione nullum tam exile latibulum in finibus aderat, ex quo omne pus non extemplo profluebat; aër quoque cutim superpositam, utpote jam dissectam, amplius inflare nequibat, tandemque partes superjectæ post apertionem corrugabantur atque hoc pacto magis incrascebant, unde facilius cum carne subjecta poterant cohærere.

OBSERVATIO X.

De Brachio subitò separato.

CAsum hunc raritate mirabilem ante dies aliquot per epistolam mihi communicavit agnatus meus charissimus *Isaacus Muys* Medicinæ Doctor doctissimus Meppelæ Drenthorum praxim feliciter exercens, cujus hæc sunt verba.

Annus fere quartus est elapsus, cum altero Pentecostes die Pater meus mihi plurimum reverendus Stenovico Cuneram, pagum ad oceani sinum australem in finibus transisalaniæ proxime Frisiam situm vocaretur ad sutorem quendam, cui obscuro mane alterum brachium non procul ab humero deciderat, exiguo tantùm remanente trunco; cujus rei novitate perculsa turba tam ingens ad sutorem confluxerat, ut Pater Cuneram adventans ad sutoris ædes usque mediam multitudinem curru relicto pedes pervadere cogeretur.

Pater

Pater sutorem invisens intellexit, ei, ante annum penè graviter ægrotanti, una nocte brachium illud a digitorum extremis ad usque medium ossis humeri emortuum fuisse, ac dein magis magisque exaruisse. Pater, curiosè contemplatus restantem truncum quinque, vel sex uncias longum, a reliquo brachio ita oblique separatum, ut longissima esset pars aversa, cum admiratione, & voluptate vidit sejunctam extremitatem universam cute obductam, excepto exiguo vulnere, vix semiunciam lato, pulchrè rubente carne repleto, ex quo eminebat particula acuminata posticæ partis ossis humeri, bono habitu, nulla carie infecta, qua sola brachium emortuum cum trunco residuo cohæserat, a qua ergo dum os humeri divellebatur, eo ipso totum exarefactum brachium a trunco vivo disjunctum fuit. Quæ res, quamvis naturalibus producta causis, ab imperitis tamen variis modis exposita, & in regiones vicinas pro portento diffusa plurimorum animos non leviter consternavit.

Decimæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis

F I N I S.

DECA-

DECADIS UNDECIMÆ.

OBSERVATIO I.

De Abſceſſu abdominis ſupra inguen dextrum ſito, è quo duo lumbrici prodierunt.

Quàm falſum eſt, viperam in lucem prodituram ventrem matris morſu perfodere, tam verum eſt, lumbricos inflammationem, ac abſceſſum poſſe excitare, atque hoc mediante fiſtulam inteſtinalem, ac abdomen perforare foraſque propelli, cujus rei veritatem ſequens confirmabit hiſtoria. Ruſticus ſexaginta præter propter annorum non ita pridem, poſtquam ſolito magis ſe frigori expoſuiſſet, de ingenti ventris conquerebatur dolore pauló ſupra inguen dextrum, quem horror febrilis comitabatur.

Brevi poſt tempore locus dolens intumeſcebat in abſceſſum, qui quindecim dierum ſpatio ſponte apertus multum puris fœtidi profundebat; & quod magis mirandum eſt, eodem tempore duo lumbrici manus habentes longitudinem, non putrefacti, ſed mortui tamen, cum pure foras propellebantur.

Idoneis medicamentis externè impoſitis, ac internè aſſumpto decocto ligni guajaci ægrotus ille unius menſis ſpatio poſt apoſtematis ruptionem in totum ſanatus eſſe videbatur ab ulcere jam cicatrice obducto, ſed tamen adhuc duriuſculo; adhæc patiens nonnunquam lancinante ventris dolore excruciabatur.

Imponebatur igitur emplaſtrum ſtipticum *Paracelſi* ad duritiem reliquam emolliendam, ſed brevi poſt ulcus parvo foramine iterum perforabatur a pure adhuc intus deliteſcente, ex quo excrementa ſolidiuſcula non tantum ſed & liquor ſubflavus, & viſcidus quotidie excernebatur, poſtquam verò ulcus denuo diſruptum eſt, lancinantes dolores iterum evanuere.

Tandem injectiones idoneæ aliaque in uſum vocabantur ſed ſine fructu, nam ulcus nunc coaleſcit, nunc iterum recluditur, ſic ut mihi perſuadeam fiſtulam manſuram immedicabilem.

OBSERVATIO II.

De Vulnere capitis perforatione cranii ſanato.

NUlla capitis vulnera parvi facienda, quamvis prima fronte perexigua videantur, ac omni periculo vacua. Adoleſcens pedo ante aliquod tempus media æſtate duo vulnera accepit, unum in oſſe dextro ſincipitis, alterum in ſiniſtra parte frontis, ſed neutrum cranium denudaverat.

Per triduum bene habebat patiens, ſed quarto die ſopore oppreſſus, per in-

intervalla delirare cœpit, ac in finiſtro latere convelli, quare, tum temporis accerſitus, è veſtigio cranium trepano perforandum eſſe judicavi, ut ita ſanguis extravaſatus duræ matri incumbens, ac mora acredinem concipiens, eâque membranam cerebrum inveſtientem vellicans, atque hoc pacto convulſiones ciens, aliaque ſymptomata producens, exitum nanciſceretur; ſed quæſtio erat, ubinam loci cranium deberet perforari, an ſcilicet in dextro ſincipitis oſſe, an verò in ſiniſtra frontis parte, nam utrumque vulnus tam in magnitudine, quàm profunditate ſimillimum exiſtebat.

Sed in praxi ſæpius expertus convulſiones vulneribus capitis ſupervenientes in oppoſito latere plerunque conſpici, ægrotum in lucido intervallo, ubi compos mentis erat, interrogabam, an non dolorem ſentiret atrociorem circa vulnus lateri dextro ſincipitis inflictum, ad quod annuebat, quapropter cenſebam ſanguinem extravaſatum delitеſcere ſub oſſe dextro ſincipitis, ideoque illic loci cranium apertum eſt, unde ſanguinis nonnihil prodiit, ac mox ægrotus melius habere cœpit, nec deinde ullo unquam tempore delirio vel convulſionibus iterum correptus eſt, ſed tranſacta quinta ſeptimana laminæ oſſeæ circa foramen arte factum ſeparatæ ſunt, ſicut plerunque poſt trepani uſum contingit, atque ita vulnus brevi poſt tempore feliciter coaluit.

De induſtria hic loci prætereo medicamenta, quæ poſt trepani uſum imponebantur, quia de iiſdem antea locutus ſum, internè verò patiens uſus eſt ſequenti mixtura.

℞. *Aq. borrag. & meliſs. ā. ℥iß. Syr. è ſtæchad.* ℥iij. *Antimon. diaphor. & Corn. cerv. philoſ. præp. ā* ʒß. *Cinnabar. nativ. G xv. Tinct. ſuccini, & caſtorei ā. G. xv. Spir. lil. convall. G. xxx. Conf. hyacinth.* ʒj. *F. Mixtura.*

OBSERVATIO III.

De Medela vulneris poſt calculi ſectionem relicta.

Calculos in glandula pineali, pulmonibus, veſicula fellis, renibus, aliiſque in partibus generari quotidie experimur, ſed nullibi majores inferunt cruciatus, quàm in veſica urinaria, ac nulla ex parte majori cum periculo extrahuntur.

Puerulus quatuor annos natus jam per aliquod tempus excruciatus fuerat calculo veſicæ, quamobrem Parentes illius, aſſiduarum querelarum pertæſi, curarunt, ut calculus ſecundum apparatum minorem tolleretur quod optimè ſucceſſit, nam calculus glaber ovi columbini molem adæquans, ac figuram repræſentans integer extrahebatur.

Altero poſt ſectionem die puerulus iterum urinæ pauculum per penem ejecit, quod alias rarò contingere ſolet tam citò, quia poſt inflictum vulnus collum veſicæ plerunque valde inflammatur, atque ita impedit liberum urinæ per penem tranſitum.

Vulneri quotidie bis imponebatur unguentum digeſtivum inductum plumaceolo cum linteo comprimente ac ligaturâ idoneâ, ac deinde balſamum vulnerarium; interea temporis pedes duobus vinculis conſtricti manebant, ne vulnus dehiſceret, dum pedes a ſe invicem divaricarentur.

Internum nullum præſcripſi remedium præter amigdalatum, & ptiſanam cum liquiritiæ radice coctam, ad viam, per quam urina tranſit, lubricam reddendam.

Atque

Atque ita vulnus collo vesicæ inflictum circa initium sextæ septimanæ firmâ cicatrice obductum fuit, sanguinis ac humorum circulatione primò digestivi, deinde verò balsami vulnerarii ope in pristinum statum restitutâ, ac per consequens mundificatione & incarnatione peractis.

Ægrotulus, quod admirationem meretur, nulla febri toto curationis cursu unquam correptus est, semperque alvum liberam habuit, nec de ullo propemodum dolore post sectionem conquestus est.

Postquam vulnus coaluit, urinam semper retinere potuit puerulus, ac reddere pro lubitu, cum alias multis post sectionem calculi toto vitæ tempore urina involuntariè, profluat, quod valde incommodum est.

OBSERVATIO IV.

De Miranda brachii concussione.

INter res non naturales vulgo dictas nullæ reperiuntur, quæ corpus humanum atrociori tyrannide affligunt, quàm passiones animi, ac inprimis quidem terror, cujus admirandos effectus sequentes paginæ narrabunt. Puella septendecim circiter annorum, cui jam ante triduum menses fluere cœperant, valde perterrebatur, cum amicam sibi puellam conspiceret per trabes delabentem, ac vulneratam in facie; quamprimum patiens in lecto decubuit, totum corpus summoperè contremiscere cœpit, quamobrem astantes eidem propinabant tincturam levistici, suspicantes, menstrua ex hoc terrore forsan in fluxu suo impedita fuisse. Ægrota postero die iterum convaluisse videbatur, sed extemplo redux summa brachii dextri concussione corripiebatur, quare astantes ipsi porrigebant theriacam devorandam, unde mirum in modum sudavit, sed absque ullo emolumento.

Postero die per literas consultus sequentem mixturam præscripsi, quam patiens cochleatim assumebat:

> ℞. *Aq. flor. til. melifs. & puleg.* ā. ℥j. *Syr. è stachad.* ℥j. *Bezoard. mineral.* ʒß. *Sal. vol. succin.* ℈j. *Spir. lilior. convall.* ʒj. *Sal. vol. ol. Syl.Gr.*xx. *Ol.lavendul. still.Gutt.*x. *Cinnabar. nativ. Gr.*viij. *Laud. opiat. Gr.*iij. *F. Mixtura.*

Adhuc sequenti linimento:

> ℞. *Ol.de Castor.* ʒß. *succin. Gutt.*xxx. *lavendul. still. Gutt.*x. *M.F.Linimentum.*

Nucha quotidie calide inungebatur, sed absque fructu, qua de causa quinto die post tremoris convulsivi initium accersitus ad ægrotam invisendam profectus sum, cujus brachium tum temporis adhuc tantopere contremiscebat, vel potius concutiebatur, ac convellebatur, ut ego nulla vi illud continere potis essem, nec tamen patiens de ullo conquerebatur dolore, ac bene comedebat, nec febricitabat unquam; ubi dormiebat, concussio perseverabat, sed paulò mitior.

Sensus & judicium vigebant ut ante, ac ægrota bono animo erat, narrabatque mihi, se per aliquot septimanas circa vesperam febriculam quandam percepisse, ac plerumque laborasse catarrho dolorifico circa tendines colli nunc dextrum, nunc iterum latus sinistrum occupante. Quintus jam dies illuxerat, quo alvus non respondebat. Omnibus circumstantiis rarissimi hujus affectus rite pensitatis judicabam acrem illam materiam, quæ catarrhum colli antea produxerat, a terrore commotam occupasse principium nervorum

S ad

ad brachium dextrum tendentium, ubi irritatione sua continuam hanc convulsionem excitabat, spiritus animales in maxima copia in musculos brachium moventes determinando.

Ad acrem hanc materiam è loco suo dimovendam extemplo ingens vesicatorium nuchæ imponi jussi, quod vesicam satis magnam attollebat.

Quia verò alvus non obediebat, præscripsi vinum medicatum, cujus uncias tres alternis diebus assumebat patiens:

♃. *Herb. majoran., rorismar. Flor. stæchad. & hyperic. ā. M. ß. Rhabarb.* ℥ij. *Fol. senæ* ℥vj. *Hermodactyl.* ℥iij. *M. F. Pulvis grossus sacculo includendus, ac in vini gallic.* ℔iij. *infundendus.*

Præterea totum brachium singulis diebus calide inungebatur linimento, quod sequitur:

♃. *Ung. martiat.* ℥iij. *Ol. vulpin. & Lumbricor. ā.* ℥ß. *Therebinth.* ℥ij. *Succin.* ℥j. *Lavendul. still. Gutt.* xxx. *M. F. Linimentum*

Interea temporis patiens sex cochlearia mixturæ prægressæ quotidie usurpabat, eum in finem, ut acris materia stagnans attenuaretur, ac viæ, per quas evadere posset, aperirentur, in quem scopum linimentum nostrum etiam collimabat, ut & fomentum idoneum, cujus vapores brachium læsum excipiebat; tandem etiam vena pedis aperta fuit, sed omnibus hisce remedils parum juvantibus malum perseverabat adhuc, donec tandem primo mane expergefacta puella animadvertit inopinato, nec sine summo gaudio, se convaluisse, ac brachium quiescere, iterumque pro arbitrio obedire muniis consuetis.

Haud absimilem casum videre licet apud doctissimum *Cornelium Stalpart.* cent. I. obs. XVI. ubi author mentionem facit puellæ, quæ vehemente pedis, ac brachii concussione post terrorem corripiebatur, tandemque usu castorei præcipue sanata fuit.

OBSERVATIO V.

De Abscessu sub lingua mortem minitante.

ARtem nostram longam esse haud immerito dixit olim *Hippocrates*, nam quotidie in praxi casus occurrunt insoliti, quos vel annosissimi in Medicina senes nunquam antea conspexerunt.

Non ita pridem accersitus sum ad sexagenarium, qui jam per octiduum laboraverat incommodo quodam, quod sentiebat in deglutiendo, cui debellando multum operæ, ac medicamentorum impenderat, sed incassum.

Ubi autem ego accessi, tanta erat deglutiendi difficultas, ut patiens nihil comedere posset nec bibere; in faucibus verò nihil mali apparebat, ac febris aberat, sed lingua multis villis nigricantibus, ac lati straminis longitudinem habentibus obsidebatur, ac valde dolebat, ubi comprimebatur spathula, unde abscessum sub lingua delitescere censebam, ideoque sequentem fotum emollientem præscripsi.

♃. *Rad. alth.* ℥j. *Fol. bismalv. hyssop. & Flor. camomill. ā. M.* j. *melilot. sambuc. malv. arbor. & hyperic. ā. M. ß. Sem. fœnicul.* ℥vj. *lin.* ℥ß. *Baccar. juniper.* ℥iij. *Coque in aqua communi, ac vapor sæpius de die ore aperto excipiatur.*

Atque ita brevi post tempore ægrotus inopinatò, ac feliciter convaluit, nec quicquam incommodi amplius sensit, gavisus summopere, quod momento

mento temporis ex faucibus mortis ereptus esset, quam antea cito affuturam formidabat.

Sed unde tam subita convalescentia? procul dubiò ab abscessus sub lingua latitantis inopinatâ disruptione, quamvis æger nihil puris animadverterit, nam fortasse inscius illud deglutivit in somno, a quo expergefactus sanatum se sentiebat ab omni deglutiendi incommodo.

Eodem tempore conspexi linguam alterius ex febri reconvalescentis, similibus obsitam villis, cum maxima deglutiendi difficultate, quod malum etiam feliciter, sed non tam subito cessit præcedenti fotui, hìc autem abscessum delitescere suspicari non poteram.

OBSERVATIO VI.

De casu ex alto Noctambuli.

NOctambulos alta loca perambulantes nunquam nisi nomine proprio appellentur concidere vulgus sibi persuadet, sed fallitur; illos quidem non tam facile prolabi, ac alios lubens concedo, quod ideo fit, quia illi, utpote somno magna ex parte obruti, præcipitia vix vident, ideoque imminens periculum non metuunt; eosdem autem nonnunquam ex alto præcipitari sequens te casus docebit. Adolescens septendecim circiter annorum, noctambulus, anno 1692. die 2. Augusti ex alta turri in terram lapidibus stratam misere prolapsus est, ac ubi per horæ spatium ibidem decubuerat, vociferari ac inconditum murmur proferre cœpit, intellectu in totum privatus.

Tertio post casum die cum Chirurgo accersitus præter multa alia leviora vulnera offendi vulnus in capite adeo horrendum, ut dextrum bregmatis os thaleri imperialis magnitudine nudum in conspectum veniret, neque fissum tamen nec diffractum, sed integrum; patiens interim delirabat, ac ubi vulnera durius tangebantur, manus ac pedes præ dolore summopere agitabat.

Symptomatibus hisce sedato animo ponderatis firmiter mihi persuadebam, sanguinem coagulatum sub cranio delitescere, illumque pondere suo meninges cerebrumque subjectum valde comprimere, atque hoc pacto prædicta symptomata excitare, quamobrem è vestigio trepanum imponi jussi medio ossis a vulnere denudati, ne scilicet sanguis extravasatus hoc æstivo tempore diutius moram nectens super duram meningem putredinem conciperet, ac acesceret, atque ita acredine suâ pejora adhuc symptomata, imo mortem ipsam brevi temporis spatio accerseret.

Ex perforato cranio magna satis extravasati sanguinis copia promanabat, ac portiuncula quædam sanguinis illius concreta, ac nigricans pertinaciter interiori superficiei cranii trepano exempti adhærescebat, atque alia haud dissimilis portiuncula duræ meningi adeo firmiter agglutinata erat, ut post octiduum demum separari posset.

Quamprimum autem sanguis ille extra vasa stabulans, ac cerebrum deprimens per foramen arte factum inveniebat exitum, patiens extemplo melius habebat, ac compos mentis ad interrogata opportunè respondebat, dicebatque se nil quicquam meminisse eorum, quæ inter trepani operationem facta fuissent.

Calide igitur duræ meningi imposito melle rosarum cum linteo, cui filum annectebatur, ut nempe sanguis concretus, ac nigricans duræ matri adhærens

(qui absque dubio profluxerat ex vasculo sanguifero duræ meningis disrupto) hoc pacto separaretur, & vulnusculum subjectum mundificaretur, ac sanaretur, vulnus hoc, quoad cætera, instar aliorum vulnerum tractavimus, atque ita illud, fragmentis ossis tactis trepano sextâ septimanâ separatis, intra trimestre spatium coaluit, ægerque optime habet, nisi quod noctambulus permaneat, ut antea; imo paucis post cranii perforationem diebus somno correptus noctu iterum pro consuetudine è lecto surrexit, ac huc atque illuc deambulavit.

Noctambuli haud melius curari posse dicuntur, quàm si egregie verberentur, dum sopiti ambulant, aut si expergefacti increpentur graviter, ut ita vestigia quædam verberum vel reprehensionis in cerebro sub forma plicarum relinquantur, quæ eosdem postea, dum somno correpti è lecto surgunt, expergefaciant; sed si hæc juvare possunt, mirum alicui forsan videbitur ægrotum nostrum post lapsum adeo horrendum ab hoc incommodo non convaluisse.

OBSERVATIO VII.

De vera Bronchocele.

Gutturis ille tumor, quo columbarum quædam species superbit, hominum formam è contra dehonestat. Puella sedecim annorum jam per totius anni spatium sub mento, ac circa colli initium gestaverat tumorem molliusculum pomum mediocre mole sua adæquantem, doloris expertem, ejusdem cum cute coloris, ac ubi respiratio inhibetur, longe lateque se extendentem; multa tam interne, quàm externe usurpata sunt, sed sine fructu; puella hæc alias optima valetudine fruitur.

Paræus & *Guillemeau* loquuntur de Bronchocele, sed ab hac nostra, quam describimus, longe distantem, nec forsan magis cum illa convenientem, quam canis animal terrestre convenit cum cane, qui syderibus annumeratur cœlestibus, qualem etiam describit Clarissimus *Mangetus* in notis ad *Paulum Barbette* capite de strumis seu scrophulis, ubi tandem in hæc verba erumpit: *Satis ex hisce patet nos verba non facere de vera, & genuina hernia gutturis seu tracheæ, quæ rara admodum, ac prope inaudita in praxi, & a distensis fistulæ pulmonalis membranis oritur, unde & vox, & respiratio non parum impediuntur, imo etiam supprimuntur.*

Rarissimus est hic affectus, ut Clarissimus *Mangetus* affirmat, ac lubens confiteor eundem me antea nunquam conspexisse, puella verò nec de vocis nec de respirationis impedimento conqueritur, ac sine molestia hunc tumorem gestat, a quo etiam nunquam fortasse liberabitur, nam, sicut testatur doctissimus *Paulus Barbette* in Anatomia practica capite secundo, in hernia gutturis sive bronchocele ab aspera arteria originem trahente medicamenta rarò aliquid efficiunt.

OBSERVATIO VIII.

De raro Tumore infra oculum.

In præcedenti observatione locutus sum de tumore, qui augumentum statim capiebat manifestum, ubi respiratio inhibebatur, hic verò loci ob oculos tibi

tibi ponam casum, in quo tumor intumescebat, ubi patiens expirabat, & præcipue quidem ore clauso. Puella nimirum decennis contusionem passa fuerat circa palpebram inferiorem oculi dextri, sic ut, quoties exspirabat patiens, & præcipue quidem ore clauso, pars inter palpebram inferiorem, & malam sita, vesicæ ad instar inflaretur, sed sine dolore.

Mater ægrotulæ solicita hoc super casu me consulebat, quem nunquam antea aut videram, aut legeram; indicabam igitur carunculam lachrymalem aliquatenus contusam, ac distortam esse, ideoque aërem in exspiratione per foramen ossis lachrymalis ex nasi cavitate provolare in interstitia fibrarum infra oculum sitarum, ac a contusione etiam aliqua ex parte relaxatarum, eademque ita implere, ac distendere.

Jussi ut linteum spiritu vini imbutum imponeretur calide, atque hoc pacto caruncula lachrymalis, ac fibræ infra oculum relaxatæ ad statum naturalem rediere, humorum stagnantium coagulatione sublata, ac dissoluta, & patiens hoc solo remedio brevi temporis spatio convaluit.

Sed cur dolor non excruciabat partem affectam? absque dubio nulla aliâ de causa, quam quia pars illa naturaliter aliquatenus laxa esse reperitur, & consueta sine dolore extendi in viris post crapulam, in fœminis tempore purgationis menstruæ.

OBSERVATIO IX.

De Spina bifida.

INnumera narrantur exempla testantia, quantum matris imaginatio possit in tenella corpuscula infantum, dum adhuc in uteri carcere tenebroso detinentur, quibus sequens addere non gravabor.

Puellam trium dierum ante aliquod tempus invisi, quæ connatum in lumbis gestabat tumorem, pugni magnitudinem adæquantem, in medio carnosum, alias pellucidum instar vesicæ aquam limpidam continentis.

Quandoquidem tum propriâ experientiâ tum lectione Clarissimi *Ruischii* didiceram hujus tumoris apertionem presso pede mortem insequi, incisionem dissuasi.

Tumor hic, cui emplastrum astringens imponebatur, in dies accrescebat, ac carnosus evadebat etiam illic loci, ubi antea pellucebat, quia scilicet aquæ contentæ particulæ quædam crassiores quotidie huic membranæ ob similitudinem superficierum adhærescebant, ac agglutinabantur.

Postquam per trimestre spatium miseram vitam traxisset hæc ægrotula, motibus epilepticis correpta tandem naturæ debitum persolvit.

Tumorem post apertionem totum carnosum intus invenimus, ac ne hilum quidem aquæ continentem, quæ forsan in cavitatem abdominis, quod valde tumebat, confluxit; spina autem dorsi subjecta in medio adeo divisa apparebat, ut fissuræ ovum columbinum potuisset imponi.

Si causam inquiras hujus spinæ bifidæ, ac tumoris lumbaris, certiorem te facio, benevole Lector, matrem prægnantem super dorsum in terram prolapsam esse, ac postea sæpius inter ambulandum manus dorso læso imposuisse, ut ita dolorem aliquatenus demulceret, atque hoc pacto forsan spiritus animales impetuose in spinam dorsalem infantis provolarunt, illamque molliusculam, ac teneram adhuc diffiderunt. Similem casum videre licet apud expertissimum *Nicolaum Tulpium* lib. III. obser. XXIX.

OBSERVATIO X.

De Glandulis compluribus cum excrementis alvinis evacuatis.

JAm temporis non tantum æstivo tempore milites Solis ardorem sub dio tolerare oportet, sed & verno, ac autumnali tempore in castris degentes frigora, ac imbres perferre debent, sic ut ipsis non tantum cum hostibus sed præterea etiam cum magna morborum caterva acriter pugnandum sit.

Non ita pridem vir militaris ex castris redux ægrotare cœpit dysenteriâ, quæ non obstantibus optimis remediis tam internè, quàm externe usurpatis jam per semestre spatium pertinaciter perseveravit, & quod mirandum est, interea temporis nonnunquam per alvum excrevit corpora teretia instar glandularum, hic atque illic exili foramine perforata, friabilia, inodora, magnitudine varia, sed pleraque molem, ac figuram habebant fructus corni.

Expertissimus doctissimusque Dominus *Stalpart vander Wiel* centur. 1. obs. LXI. loquitur de Matrona multos globulos viridi colore præditos per alvum evacuante, qui igni impositi flammam eructabant, ac liquescebant; sed globuli nostri in ignem conjecti nec liquefiebant, nec flammam edebant, sed comburebantur cum stridore, ac pro cinere relinquebant materiam duram, ac nigricantem, quare credere vix poteram eosdem ex pinguedine ab acido coagulata (ut Clariss. *Stalpartii* globulos) productos esse, sed potius judicabam ipsos nihil aliud esse, quàm glandulas corruptas ab acido corrosivo dysenteriam excitante divulsas, cui sententiæ, vel ideo magis faveo, quia globuli isti perforabantur foraminulis quibusdam, quæ absque dubio fuere meatus, per quos vasa sanguifera antea transibant. Vide Clarissimum *Stalpart* cent. II. obser. XXIV. qui inter alia refert se ipsum similem glandulam nucis myristicæ molem habentem, ac vasis sanguiferis præditam non sine summis ventris torminibus per alvum evacuasse, atque cruciatus abdominis hoc pacto evanuisse.

Undecimæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis

FINIS.

DECA-

DECADIS DUODECIMÆ.

OBSERVATIO I.

De Fungo oculi mirando nec non de ejusdem felici extirpatione.

Corpus humanum innumeris affligitur incommodis, ac inter alia membra oculus secundum expertissimum *Guillemeau* centum propemodum subjectus est morbis, inter quos nullus pertinacior existit illo affectu, qui fungus vel ficus oculi appellatur, quandoquidem medicamenta, & ignem contemnit, ac solo tollitur ferro; hujus igitur tam mirandi affectus naturam, & curandi rationem exemplo sequenti explanabo. Adolescens quindecim circiter annorum, postquam ab ann quadam solis externis remediis sanatus esset ab achore capitis, cum alio luctatus est, qui caput ejusdem satis vehementer allisit aliquoties in plateam lapidibus stratam; haud longo post tempore circa canthum oculi majorem exortum est exile tuberculum doloris expers, ac ejusdem cum cute coloris, quod intra trimestre spatium nucem juglandem mole sua adæquabat, ac cutem disrumpebat, quare Chirurgus *Hermannus Seelen* appellatus sectione illud sustulit, sed brevi post tempore in multo majorem magnitudinem excrevit hic tumor, non tantum ex angulo oculi majori, sed ex ipsa orbita, unde oculus ex antro suo osseo propulsus est extrorsum, tandemque distensione nimia crepans humores omnes effudit.

Oleum Vitrioli primò, deinde oleum antimonii, aliaque caustica imposita, minuebant quidem aliqua ex parte hunc fungum, sed brevi temporis intervallo repullulabat luxuriosius, lieni haud dissimilis colore; in medio autem tumoris eminebat papilla quædam tactu etiam levissimo plurimum sanguinis fundens, unde ægri vires haud parum prosternebantur, qui præterea excruciabatur tum temporis dolore partis affectæ nec non febriculâ continuâ.

Quid igitur hic agendum restabat? medicamenta caustica non sortiebantur effectum, ac præterea tam oculo sano, quàm morboso dolorem inferebant haud exiguum, sola ergo extirpatio supererat, quam cum Chirurgo mox nominato decrevi.

Jussimus igitur fabricari cultellum ad cavitatem orbitæ capitis mortui accommodatum, ut ita fungus cum radice sua omni ex parte tolleretur, nam pauculum tantum mali relictum rursus novum fungum producere posse certissimè persuasi eramus.

Duabus horis ante operationem patiens assumsit haustum cardiacum cum quatuor granis laudani opiati, ut nempe dolor inter operationem, hoc pacto minus sentiretur, ac effluxus sanguinis aliquatenus retardaretur, tandemque æger insidebat gremio robusti alicujus viri, qui manus ejusdem firmiter retinebat,

nebat, ac a tergo astabat alter, qui caput immotum servabat, Chirurgus interim supra nominatus magnâ dexteritate momento temporis totum malum cultello suo radicitus extirpavit, quod omni sanguine orbatum pendebat adhuc uncias octo, ac habebat similitudinem glandulæ thymi vitulini, ubi nudis oculis conspiciebatur, sed per microscopium examinatum apparebat instar albuminis ad duritiem cocti ovi Vanelli, qui belgicè nobis vulgò dicitur *een Kievyt*.

Ad sanguinis fluxum cohibendum essentia stiptica cum linteis carptis non sine fructu imponebatur, ac patiens eodem die aliquoties cochlear unum, aut alterum mixturæ cardiacæ assumebat; primam noctem ferme insomnem duxit, sed deinde bene semper dormiebat, ac comedebat ægrotus, & febris dolorque sensim, & sine sensu evanescebant.

Ne caro nimis luxuriaret, ab omni digestivo abstinuimus, linteaque carpta aquâ phagadænicâ tantum imbuta imposuimus, atque ita sex vel septem septimanarum spatio ulcus bonâ, ac rubicundâ carne impletum, & cicatrice firmâ obductum fuit.

Ut jam percipias originem mali tam horrendi, in memoriam revocare oportet ea, quæ dicta sunt, nimirum patientem ab achore capitis sanatum esse solis externis remediis sine prævia sanguinis, ac humorum debita correctione, unde acredo viscosa, licet per capitis integumenta amplius egredi nequiret, permansit tamen in massa sanguinea, ex qua deinde propulsa fuit ad angulum oculi majorem, ac partes conterminas potius, quàm in alias corporis partes, quia illic loci ob capitis ad lapides allisionem arteriæ quædam distortæ, ac forsan etiam disruptæ sunt, atque ita viam peccantibus humoribus aperuerunt, ex quibus fungus ille productus fuit.

Nonnulli existimant fungum semper exoriri à carie ossis, quod tamen haud perpetuæ esse veritatis casus noster demonstrat, ubi nulla caries orbitam infecerat.

Postquam cicatrix per mensem unum, aut alterum inducta fuisset, tuberculum quoddam iterum in conspectum venit, quod in dies magis excrescens cicatricem rursus reseravit, atque ita novus fungus propullulavit priore longe major, qui non tantum misere fœtebat, sed & vermes producebat, quia scilicet muscæ fœtore allectæ illic ova sua deponebant, quæ calore fungi excludebantur.

Pars affecta valde dolebat, ac multum sanguinis quotidie profundebat; æger præterea continuò febricitabat, atque tandem attritis viribus placide obdormivit. Postquam ab apertione cicatricis adhuc per 4. aut 5. menses miserrime vixisset, nullo modo permittere volens, ut fungus de novo productus ferro iterum exscinderetur.

Dum hæc scribo, forte fortuna in manus meas incidunt literæ Patris mei ad Patruum scriptæ, felicem similis mali extirpationem continentes, quarum hæc sunt verba: Non ita pridem Noviomagum accersitus cum Domino *Bull*, Medicinæ Doctore, ac *Henrico Schadborn* Chirurgo consilium inii super ficu oculum Monialis sexaginta annos natæ occupante, qui, extirpatione unanimiter approbatâ, ab *Henrico Schadborn* feliciter cum toto oculo exsectus est.

Fabritius Hildanus centuriæ primæ observatione primâ loquitur de casu haud dissimili, qui tamen ab hoc nostro in eo differt, quod ille palpebras intactas reliquerit, hic easdem ut & supercilium, ac malæ portionem obsederit. Consule præterea Clarissimum *Cornelium Stalpart vander Wiele* partis 11.

ob-

observatione IX. qui plures citat Authores de hoc affectu agentes, quem nominat etiam exophthalmiam, sed apud doctissimum dexterrimumque Dominum *Antonium Nuk*, dum viveret, Anatomiæ Professorem Lugduni Batavorum in tractatu nunquam satis laudato de ductibus oculorum aquosis paginâ centesimâ vigesimâ, & sequentibus aliam exophthalmiæ speciem videre poteris, quæ a nimia humoris aquei copia exoritur ideoque ab Authore mox citato hydrophthalmiæ nomine insignitur; hìc affectus ibidem sanatus esse dicitur perforatione pupillæ per acum sæpius repetita, ac aquei humoris portione superfluâ extractâ.

OBSERVATIO II.

De Semiplegia viginti quatuor horarum spatio sanata.

SEcundum proverbium Belgicum morbi subitò, ac inopinatò irruere solent, sed tardè abire, quod in primis locum habet in paralysi aliisque morbis ex viscoso humore productis; contrarium tamen nonnunquam evenire, ex historia, quæ sequitur, evadet manifestum. Vir quinquaginta circiter annorum, dum sub dio circa meridiem apricatur, hemiplegia dextri lateris corripitur, ut & paralysi linguæ, sic ut ne verbum quidem pronunciare posset; circa septimam vespertinam horam ipsum invisi, ac propinavi mixturam sudoriferam, ac antiparalyticam ex antimonio diaphoretico, croco, sale volatili succini, cinnabari nativa aliisque constantem, unde summopere sudavit, ac tanto cum levamine, ut postero mane iterum loqueretur, manum pedemque pro lubitu moveret, ac in totum pristinæ sanitati restitutus esset.

Mirum me hercule, paralysin hominis quinquagenarii, quæ alias tardæ testudinis instar abire consuevit, tam citò sanatam esse.

Patiens, ne recidivam pateretur, per aliquod temporis intervallum usus est sale volatili oleoso ut & vino medicato ex radice valerianæ sylvestris, zedoariæ, majorana, roremarino, primula veris aliisque confecto.

Atque ita ægrotus noster huc usque ab omni recidiva permansit immunis, quamvis jam duo anni transierint ab illo die, quo paralysis eundem invasit.

Haud opus esse existimo hìc loci multis verbis explorare hujus morbi originem, ac medelæ rationem, quandoquidem facillime intelligi potest, viscosum quendam humorem in capitis hac aut illa parte propter obstructionem substitisse; eundemque calore Solis ex latibulo suo propulsum esse in truncum dextrum medullæ spinalis, ac nervos linguam motitantes, atque hoc pacto dimidia medullæ spinalis parte nervisque prædictis obstructis, ita ut succo nerveo introitus negaretur, paralysin dextri lateris pariterque linguæ productam esse.

OBSERVATIO III.

De Fractura maxillæ inferioris sine fasciis sanata.

OSsium fracturæ quiete præsertim, ac ligaturis idoneis sanantur, sed maxilla inferior diffracta fascias vix patitur, nec etiam assiduam quietem, quoniam inter comedendum aliquatenus moveri debet.

Hìc igitur modum, quo hæc fractura feliciter sanata fuit, paucis describam.

Antea aliquot septimanas puero duodecim circiter annorum equi calcitratione os maxillæ inferioris ita diffractum est, ut una maxillæ pars introrsum, altera vero extrorsum continuò dimoveretur.

Quid igitur hìc agendum erat, ut ossa diffracta juxta se invicem quiescerent? Forsan commendabis hìc fasciam, sed illa huic parti minime adaptari poterat cum fructu, quare Chirurgus excogitavit instrumentum eburneum, cujus cavitas recipiebat quatuor dentes, (utrinque nempe duos) atque illius ope maxilla diffracta immota permanebat, & viginti dierum spatio persanata fuit.

OBSERVATIO IV.

De Phthisi scrophulosa.

QUotidie in praxi experimur phthisin crebro esse symptomaticam, ac sicut illa nonnunquam a scorbuto, asthmate, hæmoptoe, morbillis, variolis, ac ictero producitur, sic etiam aliquando scrophularum soboles est, ut patebit ex sequentibus.

Puerulus octo circiter annorum fructibus crudis assuetus non ita pridem tumorem quendam persensit in collo, qui in dies magis magisque accrescebat; non longo post tempore plures insequebantur, totum prope collum occupantes, ac ad tactum dolentes.

Sanguis scilicet hujus pueruli saturatus erat acidis, ac viscosis humoribus ex abusu fructuum horariorum productis, qui totam corporis machinam peragrantes substiterunt potius circa glandulas quàm alibi, quia in illis vascula non procedunt rectis lineis, sed spiratim.

Verumenimverò quid in causa fuit, quod acres, ac viscidi illi humores potius stagnaverint circa glandulas colli, quàm aliarum partium? absque dubio aër ambiens circa collum utpote nudum humores frigore citius, ac facilius remorari poterat, ac incrassare, quàm in aliis partibus contra frigus munitis.

Hi igitur humores in glandulis colli conglomeratis vel potius (ut Clarissimi *Nuckii* verbis utar) vascularibus coacervati copia sua tumores, ac acredine dolorem produxerunt.

Tumores hi strumæ, vel scrophulæ appellantur, ac ingens periculum portendunt, si doleant, quare nihil boni ominabar, & præcipuè quidem quia ægrotulus omnia interna medicamenta mirum in modum fastidiebat, & vitæ ratione minimè bonâ utebatur.

Quia tamen satius erat anceps experiri remedium quàm nullum, externis Medicamentis rem aggressi sumus, ac primò imposuimus emplastrum de ranis cum duplici Mercurio, deinde emplastrum de cicuta, tandemque emplastrum manus Dei nomine superbiens, ac descriptum in Pharmacopœa doctissimi *Jacobi le Mort* Professoris in Chymia Lugduni-Batavorum, sed irrito conatu, nam tumores quotidie magis magisque accrescebant, & corpus ægrotuli decrescebat, tabescebatque, quoniam febris hectica aderat cum tussi primò sicca, deinde purulenta, atque ita patiens noster tandem post diuturnum languorem phthisi extinctus est.

Antequam curam aggrederer, phthisin prædixi, quia metuebam, ne scrophulæ non tantum collum, sed & pulmones, ac mesenterium pariter invaderent, sicut illud sæpius contingere solet, imo *Petrus Adriani* filius experti-

tissi-

tiſſimus Amſtelodamenſis Chirurgus mihi retulit, ſe aperuiſſe cadaver Comitis cujuſdam *Suevi* pueritiam nondum egreſſi, quem ſtrumæ collum obſidentes extinxerant, atque non tantùm in meſenterio, & pulmonibus, ſed etiam in glandula thymo plurimas ſcrophulas ſe præbuiſſe conſpiciendas. Si plura deſideres phthiſin ſcrophuloſam ſpectantia, adire poteris phthiſiologiam doctiſſimi expertiſſimique *Richardi Morton* lib. III. cap. I.

Sed quando phthiſis ex ſtrumis producitur? tunc ſcilicet, cum acidi, ac viſcidi humores tractu temporis pulmonum glandulas etiam obſtruunt, inflammant, ſuppurant, unde febris, tuſſis, ſputum purulentum, ac ipſiſſima mors procedit.

OBSERVATIO V.

De Singultu aliquot ſeptimanas perſeverante.

Singultus plerunque momentaneum eſt incommodum, ac fere ſemper ſponte evaneſcit, ideoque morbis vix annumeratur, ſed aliquando tam pertinax eſt malum, ut nullis remediis obtemperet, & tunc non immeritò morbi nomine appellatur. Puella quatuordecim præterpropter annorum non ita pridem febri corripiebatur ephemerâ, quàm inſequebatur ſingultus adeo vehemens, ut manus, & pedes ſimul concuterentur, & caput retrorſum magnâ vi convelleretur; ægrotula interea temporis, expers febris, bene comedebat, ac placide dormiebat; ſed liquida non ſine ſumma difficultate deglutiebat.

Acidus ſcilicet humor febriculam producens ex maſſa ſanguinea translatus eſt in os ventriculi, membraniſque ejuſdem pertinaciſſime impactus irritavit adeo vehementer nervos numeroſè ibidem diſperſos, ut ſuccus nerveus magnâ copiâ protruderetur non tantum in orificium ventriculi, ſed ſimul etiam in diaphragma annexum, illudque ambiens, inque alios muſculos inſpirationi inſervientis, imo etiam in muſculos, caput, manus, & pedes agitantes, unde producta eſt violenta illa aëris impulſio, quæ ſinguitus vulgo appellatur, pariterque convulſio capitis, manuum, pedumque.

Quamvis haud ignorarem, ſingultum febrim continuam comitantem ingens periculum protendere, eundemque præter conſuetudinem longum haud raro arguere jecur inflammatum, ut & aphthas os ventriculi obſidentes, attamen ægrotulæ noſtræ nihil periculi ominari poteram, quia nulla febris eandem excruciabat.

Primo igitur præſcripſi pulverem ad ſternutationem excitandam, nimirum ut per violentam hanc aëris expulſionem contrarius ſingultus motus tolleretur, ſed ille non magis juvabat, quàm cereviſia, in qua ſemen anethi, carui, portulacæ, & papaveris albi decoctum fuerat, quanquam illa tantis laudibus ornetur contra hunc affectum ab Expertiſſimo *Foreſto*.

Quid fit? patiens rei ridiculæ narratione audita cachinnum tollit, atque ita extemplo convaluit, ſic ut caſus effecerit fortuitus, quod medicamenta licet optima non poterant, dum per riſum aër tanto impetu expelleretur, ut ſingultus, cujus motus contrarius eſt, tolleretur ac exularet per triduum, quo exacto rediit ille, quia nempe acredo orificio ventriculi pertinaciter inhærens a riſu nondum penitus excuſſa fuerat.

Conſuluimus igitur, ut patiens ſpirituum aliquandiu retineret, ac ut os frigidâ collueret; adhæc præſcripſimus opiata, ſudorifera, carminantia, ſed incaſſum, qua de cauſa acrem materiam adeo pertinaciter impactam

vomitorio tolli debere censebam, sed parentes recusabant illud admittere in tenella hac ægrotulæ ætate, ideoque vinum medicatum præscripsi, quod constabat ex radice jalappæ, zedoariæ, valerianæ sylvestris, herba cardui benedicti, menthæ, rhabarbaro, foliis sennæ, semine cardamomi minoris, castoreo, aliisque, a quo quotidie semel assumpto ad uncias tres alvus bis, aut ter laxabatur, atque hoc pacto convulsiones capitis, manuum, pedumque singultum antea comitantes, primo cessabant, deinde etiam singultus ipse in dies magis magisque mitescebat, donec sextâ tandem septimanâ penitus evanuerit.

Tulpius in observationibus suis perhibet, singultum duodecimo plerunque die cessare, sed noster multò diutius perseveravit, ac expertissimus *Forestus* lib. XVIII. cap. XII. loquitur de vetula, quæ aliquando per semiannum singultiebat, nec minus convalescebat.

Circa idem tempus duo curæ meæ commissi erant, qui a tertiana anni 1693. mediâ æstate periculosè, ac pertinaciter grassante convalescentes singultu miserè discruciabantur, qui summam deglutiendi liquoris difficultatem creabat, ac nullis remediis obediebat, donec octiduo exacto sponte tandem evanescere.

OBSERVATIO VI.

De Congerie glandularum ex apostemate mammæ prodeunte.

Multis morbis affligitur corpus humanum, ac præcipue quidem muliebre, quod aliquos adhuc patitur affectus, quibus sexus viros eximit, ac inter hos nullus frequentior abscessu mammæ, sed hic rarò admodum tam enormis est, quàm ille, qui sequitur.

Juvencula viginti annorum primipara conquerebatur de tumore dextræ mammillæ, quàm mulierculæ pro more dolorificis suis frictionibus adeo molestarunt, & contuderunt, ut ægrota quotidie febricitaret, ac mamma de die in diem magis magisque intumesceret atque doleret.

Tandem accersitus præscripsi cataplasma emolliens circa vesperam, unde tumor eadem nocte disruptus paulò supra papillam ingentem puris copiam profudit; sequentibus aliquot diebus etiam haud parum puris promanavit, illius tamen effluxus aliquatenus impediebatur a corpore duriusculo pollicem longo, & crasso, albicante, ac ulceris foramen magna ex parte obturante, quod tertio vel quarto die prorupit è mamma, atque ita multum puris profluxit; corpus hoc per noctem in aqua maceratum nihil aliud erat, quàm congeries glandularum cum annexa pinguedine fœtorem quendam spirans.

Ulceri cavo, quod nucem juglandem æquabat magnitudine, plumaceolum applicabatur cum balsamo Arcæi, ac superimponebatur primis diebus cataplasma, deinde vero emplastrum *Stipticum Paracelsi*, atque ita ulcus quindecim dierum spatio coaluit.

Anno post ulceris coagmentationem transacto iterum peperit hæc juvencula, ac eadem mamma lactavit aliquandiu infantem, sed postea coacta fuit eandem exsiccare, quæ quidem multum lactis profundebat quotidie, sed adeo dolebat inter lactandum, ut cruciatum diutius perferre nequiret patiens.

Mirum fortasse alicui videbitur, mammam, cujus multi canales lactiferi apostemate suppurati, ac disrupti fuere, adhuc lacte diffluere posse, sed

mirati

mirari desinet, ubi ex Clarissimo *Antonio Nuk* in Adenographia curiosa didicerit, ductus lactiferos, antequam papillam attingant, anastomosibus inter se junctos esse, unde contingit, ut lac in glandulis residuis secretum per vias laterales in alios papillæ ductus integros adhuc transierit atque hoc pacto è papilia copiose propulsum fit.

Si aliquis hic loci interroget, qua ratione mammæ lacte distentæ exsiccentur? respondeo, lac in mammis contentum ab emplastris idoneis fluidius reddi, atque ita per venas, & vasa lymphatica retrogredi ad massam sanguineam, quod facile fieri potest, quia ductus lactiferi, ut doctissimus *Antonius Nuk* distinctè demonstrat, valvulis destituuntur. Dum mentio fit niveorum illorum, ac quovis ferè momento innumeris suspiriis elevatorum cordis promontoriorum cum elegantissimis corallinis suis cacuminibus, (ut verbis utar doctissimi *M.F.Geuderi* in diatriba de fermentis cap. 13.) hic loci mammarum descriptionem annectere placet ex celeberrimo *A. Nuk*, quod nempe sint, sicut aliæ glandulæ conglomeratæ, textura minutissimorum vasorum ex tenuissimis arteriolis conflatorum, sanguinem variis particulis gravidum vehentium, ac in duo desinentium vascula, quorum alia venosa sunt sanguinem admittentia venosum, alia excretoria; substantia verò papillarum fibrosa est, ac convenit cum structura glandularum conglobatarum, quæ potiori jure vesiculares dicendæ forent.

Si sanguis papilias distendens diutius in iisdem remoreretur, acescit ac fissuras inducit aliquando, ad quas sanandas balsamum *Lucatelli* egregium non rarò expertus sum.

Mammarum glandulæ numerosissimis nervis donantur, nimirum ut ita lac succinervei copiâ irroretur, temperetur ac dulcescat, atque secretio ejusdem promoveatur, dum glandulæ molliter comprimuntur; hinc forsan aliquis concluderet, infantes haud difficulter imbui posse nutricum moribus, dum succum nerveum lacti permistum lactent.

OBSERVATIO VII.

De Apostemate Jecoris feliciter sanato:

Sicut abscessus hepatis ex vulnere capitis ortus plerunque lethalis esse reperitur secundum *Petrum Pigræum*, aliosque, sic è contrario ille non rarò feliciter sanatur, si ex mala jecinoris dispositione originem trahat, quia tum temporis plerunque præcedit inflammatio, quâ mediante hepatis substantia coalescit cum peritonæo, & sic abscessus apertus pus contentum extra abdomen effundit, quod alias in illius cavitatem promanaret, & mortem inferret; hanc veritatem sequens casus confirmabit. Ante aliquot menses Juvenis octodecim annos natus me invisit, ac conquestus est de dolore dextri lateris circa costas spurias; præscripsi apozema attenuans, pulveres acidum temperantes, ac emplastrum ex gummi Caranna Mercurio vivo permistum.

Post aliquod temporis intervallum æger pallidus, atque extabefactus ad ædes nostras rediit dicens, se nihil levaminis ex remediis a me præscriptis persensisse; jussi igitur, ut corpus denudaret, atque ita infra costas spurias inveni apostema maturum, licet ejusdem cum cute coloris, externe non superans pugni magnitudinem, cui imposui corrosivum *Paræi* adeo decantatum circa vesperam, illudque reliqui usque in posterum diem, quo tempore divisi escharam scalpello, atque ita viginti quatuor unciæ puris candidi, ac bene

cocti

coẞi effluxerunt, ac multo plus promanaffet, nisi exitum turundâ occlusissem; eodem die adhuc semel idem puris pondus extraxi, quod progressu temporis magis magisque minuebatur; separata post aliquot dies escharâ specillum ad digiti longitudinem sursum protrudere poteram sine resistentia, quamobrem adhuc per aliquod temporis intervallum turundam balsamo Arcæi inunctam imposui, sed non valde longam, tandemque applicui plumaceolum, atque hoc pacto patiens noster sex septimanarum spatio ab abscessu hoc horrendo sanatus est, & brevi post tempore pinguis, & nitidus evasit, qui antea cadaveris potius, quàm hominis viventis imaginem referebat.

Antequam tumor aperiretur, ægrotus appetitu prostrato, ac tussi molesta laborabat, sed utrumque malum post apertionem brevi evanuit.

Si quis jam temporis me interroget, unde tanta puris copia profluxerit, cum tumor externè adeo exilis appareret, respondeo apostema illud penetrasse usque in gibbam jecoris partem, quod specillum tam longè sursum protrusum etiam demonstrare videtur, sed regeret fortasse aliquis, pus in tali casu profluxurum in cavitatem abdominis, sed replico, jecur prius inflammatum fuisse, & post inflammationem coaluisse cum peritonæo, atque ita tumorem externè se præbuisse conspiciendum, ac me quasi manu duxisse ad apertionem.

Similem casum videre licet apud doctissimum expertissimumque Dominum *Petrum de Marchettis* Observatione LII. apud Clarissimum dexterrimumque *Fredericum Ruischium*, Professorem Amstelodamensem Observatione L. nec non apud *Petrum Adriani* filium Chirurgum Amstelodamensem expertissimum Observatione IV. Auctarii secundi post *Scultetum*.

OBSERVATIO VIII.

De Duro palpebræ tumore ablato.

TRes tuberculorum species palpebras infestare consueverunt, hordeolum nempe, grando, & lithiasis; primum in summa palpebra succrescit oblongiusculum, ac suppurascens simile est grano hordei, alterum est tuberculum rotundum, translucidum atque huc & illuc mobile, tertium verò tuberculum est nodus durus, cujus extirpationem hæc observatio proponet. Matrona triginta circiter annorum jam per annum unum, & alterum gestaverat tuberculum durum in palpebra superiori, ejusdemque cum cute coloris, quod in dies magis magisque accrescebat, sic ut jam pervenisset ad magnitudinem pisi mediocris, ac aliquatenus etiam doleret, quare patiens, formidans ne malum tandem valdè accresceret, me consuluit, cupiens illud auferri.

Imposuimus igitur frustulum corrosivi *Paræi*, quod nobis præsentibus horæ dimidiæ spatio escharam tuberculo inussit, quæ intra octiduum cum annexo tuberculo separabatur, atque hoc pacto ulcusculum cavum brevi tempore carne repletum est, ac cicatrice haud deformi occlusum, nec patiens ullum in motu palpebræ animadvertit obstaculum, quod alias facile contingere posset, si musculi palpebræ caustico, vel ferro læderentur.

OBSERVATIO IX.

De Extirpatione digiti.

SIcut ex parva scintilla per magnum crebro exoritur incendium, eodem modo ab exili vulnusculo horrenda nonnunquam producuntur symptomata. Chi-

Chirurgus quadraginta præterpropter annorum in fœtu mortuo extrahendo occupatus ſiniſtræ manus medium digitum circa articulum medium non ita pridem vulneravit, ſed vulnuſculum parvi faciens in operatione incepta pergebat.

Extracto tandem fœtu Chirurgus dolorem ſentiebat in digito, qui ſingulis momentis magis magiſque exacerbatus febrim, vigilias ac animi frequentia deliquia poſt aliquot horas afferebat; quicquid applicabatur externe, quicquid interne aſſumebat ægrotus, nihil juvat.

Quarto læſionis die accerſitus animadverti, quod apicem digiti jam invaſerat gangræna, quæ intra biduum, non obſtantibus idoneis remediis, totum digitum tranſcendit, quamobrem, ægro conſentiente, digitum in parte ſana cuneo ictu mallei lignei adacto ſuſtulimus, atque ita è veſtigio dolor remittebat, cæteraque ſymptomata ceſſabant; vulneri primo plumaceolum cum albumine ovi, & pulvere ſanguinem ſiſtente, deinde verò digeſtivum applicabatur, ſuperimpoſito cataplaſmate emolliente, & gangrænæ reſiſtente.

Brevi poſt tempore fruſtum tendinis ſeparabatur, ac tandem etiam oſſiculum a cuneo fiſſum in ablatione digiti, & ſic ulcus bimeſtri ſpatio omni ex parte coaluit.

Extirpato digito diſciſſo tendinem vulneratum, ac tumidum invenimus, qui omnium horum ſymptomatum cauſa exiſtebat.

Quo pacto vehemens adeo dolor oriatur expunctura nervei, vel tendinis, explicui Decadis ſecundæ obſervatione primâ, attamen manifeſtum eſt, dolorem hunc etiam exacerbatum eſſe ex eo, quod patiens digitum læſum operationi adhibuerit, eumque ita ſummopere fatigaverit, ac præterea cum ab urbe abeſſet, interceſſit adhuc multum temporis, antequam idonea medicamenta poſſent applicari, quæ tamen punctus nervus, vel tendo extemplo poſt læſionem imponi deſiderat.

Ex dolore vigiliæ, febris, ac animi deliquium facili negotio deduci poteſt, nam, ut vigilias prius explicemus, dolor in parte læſa nihil aliud eſt, quàm vehemens adeo fibrillarum agitatio, ut metus adſit ruptionis, vel ipſiſſimà ruptio, dum autem agitatur una nervi extremitas parti dolenti inſerta, eodem temporis momento agitatur, & altera deſinens in concavum cerebri, unde ſpiritus animales ſolito vehementius moventur, & ſomnum impediunt.

Spiritus hi tanto impetu agitati non tantum in partem læſam, ſed etiam in muſculos cordis, & membranas arteriarum ſolitò majori copia feruntur, atque ita febris præſto eſt, ſi eam cum Acutiſſimo *Borello* in tractatu de motu animalium judices eſſe epilepſiam cordis, & arteriarum, ſeu cum clariſſimo doctiſſimoque *Richardo Morton* in tractatu de febribus credas eandem produci ab inordinato motu ſpirituum, ſi verò cum celeberrimo *Theodoro Craanen* febris eſſentiam conſtituas in mixtura ſanguinis turbata, facile intelligere potes, ſpiritus animales magno impetu propulſos cordis muſculos, ac membranas arteriarum valde concutere debere, atque ita mixturam ſanguinis turbare, ſicut lactis mixtura, agitatione omnibus notâ, turbatur, dum butyrum conficitur; vel ſi tandem cum pleriſque neotericis febrim oriri exiſtimes ab acido maſſæ ſanguineæ admixto, mentis acie haud difficulter perſpicies ſpiritus impetuosè agitatos hoc aut illud latibulum poſſe aperire, atque ex eo eluere, ac propellere ad maſſam ſanguineam acidum fermentum, quod antea ibidem delituerat immotum.

Verumenimverò ſi tandem contingat, ut muſculi cordis, ac membranæ arteriarum a motu inordinato ſpirituum adeo vehementer conſtringantur, ut circulatio ſanguinis ſufflaminetur, præ foribus mox aderit animi deliquium.

Quod

Quod si jam tendinis punctura tantum malorum accersere potis est, admiratione dignum videtur, aliquos adhuc reperiri, ut *Marcum Severinum* aliosque, qui discissos tendines acu perforandos, ac iterum consuendos esse suadent, sed quantum ad me attinet, ego hanc operationem rejicio cum nobilissimo, doctissimoque *Petro de Marchettis* Obs. LXII. ubi etiam videre licet delineationem tendinis duodecim digitis longi, qui morsu equi evulsus est a musculo suo cum intermedio tertio pollicis itidem detruncato.

OBSERVATIO X.

De Acicula per inguen cum excrementis alvinis ex fistula intestinali prodeunte.

Antea narravi, quo pacto lumbrici fistulam intestinalem perforaverint, hic loci loquar de acicula ex intestino per inguen foras propulsa. Mulier quinquagenaria jam per aliquod temporis intervallum in inguine dextro senserat tumorem durum ad instar ovi columbini, quem neglexit, sed deinde post iter satis longum pedibus confectum tumor ille intra octiduum usque adeo increvit, ut mole sua caput infantis adæquaret, si non superaret, ingenti inflammatione, acri dolore, ac febri fervidâ comitantibus.

Accersitus aliquandiu dubius hærebam, num esset hernia intestinalis an verò tumor ad suppurationem vergens, quia tamen vomitus aberat, apostema esse judicabam, ideoque cataplasma emolliens præscripsi, ac applicari jussi, cujus ope abscessus hic intra triduum disruptus est, ac multum puris effudit; aliquot deinde septimanis ab apertione tumoris jam elapsis ex ulcere prodiit acicula cum excrementis alvinis, unde patiens melius habere cœpit, attamen interea exile remansit ulcusculum cum duritie contermina, quæ nucem juglandem adæquabat magnitudine; quamobrem imponi jussi emplastrum stipticum *Paracelsi* tam ad duritiem emolliendam, quàm ad ulcus consolidandum idoneum, ac præscripsi decoctum ligni guajaci, radicis Sarsæparillæ Chinæque, cujus uncias sex ter de die patiens assumit; successum tempus docebit.

Absque dubio mulier hæc aciculam antehac deglutiverat, quæ fistulam intestinalem peragrando tandem circa inguen dextrum substitit, ubi punctione sua inflammationem excitavit, quâ mediante intestinum illic loci cum peritonæo connatum est, deinde verò contigit, ut motu peristaltico intestinorum acicula situm suum ita mutaverit, ut mucro non amplius læserit membranam intestini, atque hoc pacto inflammatio abierit, remanente tamen duritie quadam, qualis haud raro post inflammationem relinquitur.

Tandem autem nimia deambulatione agitatus mucro aciculæ, mutato loco, iterum intestinum pupugit, ac inflammavit adeo vehementer, ut ingens apostema inde formatum sit, quo disrupto primum pus, deinde verò acicula cum excrementis intestinalibus prodiit; intestinum autem ante abscessus ruptionem cum peritonæo coaluisse, vel hinc conjicere licet, quod acicula cum excrementis ex ulcere exierit, quæ alias potius in abdominis cavitatem propulsa fuissent. Similem historiam videsis apud Doctissimum *Fredericum Ruischium* Obs. LX. ubi puella tale malum perpassa feliciter persanata esse legitur.

Duodecimæ, & Ultimæ Observationum Medico-Chirurgicarum Decadis

FINIS.

IN-

INDEX OBSERVATIONUM.

PRIMÆ DECADIS.

SECUNDÆ DECADIS.

TERTIÆ DECADIS.

QUARTÆ DECADIS.

V IV. De

QUINTÆ DECADIS.

SEXTÆ DECADIS.

SEPTIMÆ DECADIS.

OCTAVÆ DECADIS.

NONÆ DECADIS.

DECIMÆ DECADIS.

UNDECIMÆ DECADIS.

DUODECIMÆ DECADIS.

FINIS.

JOHANNIS MUYS

MEDICINÆ, AC CHIRURGIÆ DOCTORIS

PODALIRIUS REDIVIVUS,

SIVE DIALOGUS

INTER

PODALIRIUM, ET PHILIATRUM,

In quo quàmplurima MEDICO-CHIRURGICA illustrantur, & examinantur.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Postquam quinque Observationum Chirurgicarum Decades jam in lucem edideram, nonnulla mihi in mentem venerunt, quæ cum fructu huic meo tractatui annecti posse existimabam, ideoque hunc Dialogum composui, in quo Podalirius *redivivus, &* Philiater *colloquuntur. A Podalirio propemodum non nisi flosculi apportantur fragrantes* Paræi, Guillemeau, Pigræi, Aquapendentis, Fallopii, Hildani, *aliorumque præclarorum, quamvis nimis prolixorum Chirurgiæ scriptorum. Quicquid autem Philiater in medium profert, aut ego ipse in praxi medica expertus sum, aut ratiocinando excogitavi, vel denique ex solidioribus recentiorum scriptis excerpsi. Fructus, quem in excolendo meo ingenio inde percepi, sufficiens mihi pretium est illius operæ, quam in libello hoc scribendo collocavi. An aliis hic labor noster placiturus sit, nescio; sed sive placeat, sive displiceat, manebo nihilominus,*

Veritatis avide, Lector,
Medullitus tuus
JOHANNIS MUYS.

PODALIRIUS REDIVIVUS,

SIVE DIALOGUS INTER PODALIRIUM, ET PHILIATRUM.

PODALIRIUS. Salve multùm Domine. *Philiater*. Salve tantundem amice; sed unde tu nobis ades? nam sicut ex amictu colligo, haud educatus es in his regionibus. *Podalir.* Rem acu tetigisti, nec tua te fallit conjectura, sum etenim PODALIRIUS ille, qui ante Trojam obsessam Danaorum vulneribus medebatur; faciem meam tibi prorsus ignotam esse certò scio, sed forsan fama nominis nostri ad aures tuas pervenit. *Philiater*. Sic est, sed gaudeo, quod hodie talem nactus sim congerronem, quandoquidem ipse sum PHILIATER, & nomen profiteor inter Medico-Chirurgos. *Podalir.* Nec parum ego lætor, quòd ambo hic loci pares convenerimus. Atqui, bone Deus, quantum chirurgia jam temporis mutata est ab illa, quæ ante aliquot secula florebat! Eo tempore *Pythagoras* clarus extitit in chirurgia, ut & *Empedocles*, *Democritus*, aliique Philosophi; jam verò hæc ars tantæ utilitatis propemodum sub pedibus jacet, ac nusquam ferè exercetur, nisi ab indoctis, qui non philosophantur, sed garriunt; prorsus obstupui, ubi primum hoc conspexi! *Philiater*. Noli multorum crimen in omnes diffundere; reperiuntur adhuc aliqui, qui quotidie bene merentur de chirurgia; sed plerique, concedo, non tantùm philosophiam, sed & linguam latinam prorsus ignorant, & nulla re minus utuntur quàm rectâ ratione; magistrorum antecedentium gregem sequuntur, euntes, qua itum est, non qua eundum. *Podalir.* Sed hodiernis chirurgis fere semper in ore versatur vocabulum NATURÆ, quid hoc sibi vult? *Philiater*. Id ipsi nesciunt, sed hæc vocula apud plebem ipsis inservit pro asylo ignorantiæ suæ; nimirum, ubi bonum aliquem effectum in corpore humano animadvertunt, eundem, veræ causæ ignari, Naturæ ascribere non verentur; ubi malum, confugiunt ad incantamentum diaboli, qualis tibi hæc videtur philosophandi ratio, domine? *Podalir.* Ridicula sane & chymerica; illo seculo, quo ego chirurgiam exercui, de Natura erat altum silentium. Nos interrogati, aut veras effectuum causas proferebamus in lucem, aut ingenuè ignorantiam nostram confitebamur. Quod si nos de natura locuti fuissemus, aliquo modo potuisset excusari, quandoquidem in densis tenebris versabamur, sed tales ineptias hoc seculo effutire mera stultitia est, & inexcusabilis pertinacia, hoc, inquam, seculo, quo circulatio sanguinis, & humorum luce meridiana clarior est. Nam plerique effectus, quos illi Naturæ suæ perperam adscribunt, circulationi sanguinis, & humorum suam debent originem; ista nempe circulatio ossa cariosa ab integris separat, vulnera, & ulcera incarnat, aliaq; munera obit Naturæ male assignata. *Philiater*. Haud pauci sunt, qui ore circulationem sanguinis, ac humorum profitentur, sed factis negant; quòd, vel hinc manifestum est, ubi vulnera corripit inflammatio, imponunt frigida & astringentia, & quidem eum in finem (sic loquuntur) ut influxus sanguinis, & humorum sistatur. *Podalir.*

Quod

Quod si igitur medicamenta eos, quos illi exspectant, sortirentur effectus, gangræna corriperet partem inflammatam absque dubio ob impeditum circulum sanguinis, & humorum; multo prudentius agerent, si parti inflammatæ imponerent acidum temperantia. Felix exclamo seculum, quo circulatio sanguinis detecta fuit, utilissimum illud Medicinæ inventum; & forsan habetis jam temporis adhuc complura alia egregia, quæ nos nescivimus, imo nec somniavimus quidem. *Philiater*. Sic est, nam tota Medicina nunc summopere illustrata est, & quidem præcipue a *Theodoro Craanen*, sublimi illo Philosopho, nec non clarissimo hujus ævi Medico, præceptore meo sequens in ævum usque venerando, qui per nobilissimum instructionum suarum inventum facilem, brevemque semitam ad artis Medicæ cognitionem nobis reseravit, ac id, quod ob immaturam mortem non licuit *Cartesio*, ipse feliciter præstitit. Præterea *Cornelius Bontekoe*, egregius itidem philosophus, ac summus hujus seculi Medico-Chirurgus, solus quàm multa, quàm solida, quàm utilia nobis aperuit! quàm bella anatomica inventa debemus *Malpighio*, nec non Domino *Bidloo*, dexterrimo illi hujus ævi anatomico; & quàm multa, ac præclara ad praxim chirurgicam facientia accepta referre debemus Domino *a Solingen*, Medico Chirurgo inclyto, ac praxim Hagæ Comitum feliciter exercenti! *Podalir*. Verumenimverò haud sine indignatione sæpius audivi jacta a maledicis in Dominum *Bontekoe* convicia, cum tamen glaciem primus fregerit in illustranda chirurgia, & a sordibus suis depurganda, ideoque egregia illa potius promeritus sit præconia, quæ nescio quis ex ejus amicis non ita pridem his versibus expressit:

O decies optata dies, quam cernere nobis
Contigit! en quanto Medicina superbit honore,
Quò quondam caruit! quanta jam luce renidet
Eruta de mediis tenebris! sic cernimus orbi
Apparere novum Solem, qui nocte latebat
Obscurâ invisus. Verùm cur cæcutit usquam
Ullus adhuc? forsan tanto fulgore feriri
Assueti tenebris oculi non ferre valerent;
Assuescent sensim. Superent modò tempora nobis,
Fax accensa prius Batavis disperget in omnes
Se Mundi tractus subitò, tenebrasque repellet;
Attamen hæc nostris remanebit gloria terris,
Quod sit ibi orta dies, & quod fundaverit illic
Jam solitum Medicina suum, quod tempus in omne
Immotum servans aliò non transferet unquam.
Sed quibus acceptum hoc referam? laus tota duorum est,
Altera Cartesium, *pars altera namque sequacem*
Respicit; ille dedit physicæ fundamina vera,
Hic superextruxit Medicam feliciter artem;
Immaturam igitur mortem deflete minores
Alterius, vitamque hujus producite votis,
Ac omnes mecum certatim dicite: Vive,
Vive *diu*, Princeps Medicorum Bontekoe Vive.

Sed hoc voto non obstante in flore ætatis, proh dolor! immaturè periit non morbo, sed infortunato lapsu. Ille Medicinam, trifariam sectam a recentioribus, conjunxit iterum, sicut erat priscis temporibus, cum pater *Æsculapius*, posteà inter divos relatus, se non indignum putavit propriis manibus vulnera tractare, eorumque profunditatem investigare specillo, quod ipse

ipse primus invenit. Sed pervolvi non ita pridem libellum, cujus titulus est *Praxis Chirurgica rationalis*, seu observationes chirurgicæ secundum solida veræ philosophiæ fundamenta resolutæ; est tractatus parvus, in quinque tantum decades divisus, quanquam nullus dubitem, quin author progressu temporis plura additurus sit; sed quale tibi videtur hoc opusculum? *Philiater.* Author hujus libelli tam arcta necessitudine mihi conjunctus est, ut nec laudaverim eum facile, nec vituperaverim; sed si latum hac super re judicium desideres, adire poteris *Acta philosophica Leipsiensia* mensis Maji, anni millesimi, sexcentesimi, octuagesimi quinti, ubi illud collegium Eruditorum, hoc opusculum, licet mole exiguum, haud indoctum aut inutile esse existimat, quamvis ultimam, & meliorem decadem nondum conspexit. Sed ut verum fatear, plerisque observationibus annotationum instar quædam haud inconcinne adjungi possent, quæ minores morborum species ad singulas observationes aliquatenus pertinentes, ac per se in particularibus capitibus tractari indignas, ut & alia quædam enarrarent. *Podalir.* Pergratum mihi feceris, si singula leviter percurras, quod facili negotio perficies, quandoquidem haud prolixa est oratio, & author tibi familiaris, cum quo absque dubio sæpius hac super re collocutus es; ego interea libenter quoque communicabo, si quid habeam, quod faciat ad rem. *Philiater.* Lubens hoc onus in me suscipio. Ordiar igitur ab initio, & ad finem usque singula leviter perstringam.

Prima primæ Decadis observatio agit de ophthalmia, cui quædam annectam non tantum de inflammatione oculorum, verum etiam de aliis hujus partis affectibus.

Si oculus igitur, ut aliquando contingit, extra orbitam suam propter inflammationem prolabatur, sedulò incumbendum est Chirurgo, ut inflammatio brevi temporis spatio, ac ope idoneorum medicamentorum evanescat. Sedatâ tandem inflammatione relicta protuberantia sanatur cataplasmate, confecto ex pulvere rosarum rubrarum, myrtillorum, balaustiorum, floribus camomillæ, meliloti, herba betonicæ, ac euphragiæ, ut, & farina fabarum, & hordei.

Post inflammationem etiam aliquando remanet nubecula quædam, præsertim si frigida, & astringentia perperam ab imperitis imposita sint, quæ tollitur pulvere sacchari candi, spumæ maris, aliisque. *Poladir.* Sed quidnam est illud, quod appellas spumam maris? *Philiater.* Dicam. In mari reperitur piscis, qui sepia appellatur, in cujus corpore conspicitur os spongiosum, quod spumæ maris nomine innotescit ob porositatem suam; est in eodem pisce vesicula semper ferme plena liquore nigerrimo in dies se effundente, qui exsiccatus nominatur belgicè, *indischen inkt*, quia atramenti vicem supplere potest, ubi cum hoc aut illo liquore permiscetur.

Quidam oculos quotidie aquâ frigidâ lavare solent, sed visum inde debilitari plures suo damno experti sunt.

Si cicatrix sit in pupilla, quæ semper visum impedit, non coneris eam tollere medicamentis, quandoquidem feliciter succedere non potest hoc negotium.

Scintillam chalybis, hoc est, valde parvam ejusdem particulam oculo inhærentem, & nimis exiguam, quam ut instrumentis arripi posset, *Hildanus* admoto magnete feliciter sustulit.

Eminus quidam videre nequeunt, quod vitium mihi connatum est; hoc verò malum medicamentis ne quicquam aggredimur, quandoquidem ob justo majorem oculi rotunditatem contingit. Vitrum concavum Lugduni-

Batavorum confectum mihi semper ad manum est, ejusque ope tam longe prospicio, quàm quisquam alius.

Si ora palpebrarum rubeant, inungantur unguento rosarum misto cum camphora, tutia, & lapide calaminari.

Ad inflammationem cum sordibus, quæ palpebris adhærent, *Riverius* commendat gossipium ad prunas exsiccatum.

In rubore oculorum valet tinctura benzoin cum aqua spermatis ranarum permista.

In ophthalmia diuturna cum successu exhibetur pulvis milliepedum exsiccatorum, vel eorundem tinctura bene præparata, & rite propinata.

Gutta serena solis jejuniis sublata dicitur apud *Riverium*.

Fistulam lachrymalem intra sex dies balsamo saturni rubicundo se sanasse gloriantur nonnulli.

Ad cataractam laudatur infusio croci metallorum in aqua chelidoniæ, spiritus panis siliginei, vapor spiritus salis armoniaci, sal volatile oleosum cum aqua mistum, aqua mellis, extractum chelidoniæ in aqua solutum, fumus succini, aliaque sic ex calce viva, & sale armoniaco quidam globulos efficiunt, quos in aquam conjiciunt, ut ita fumus inde excitatus per infundibulum perveniet ad oculos.

Quidam cataractam exsugere conati sunt, sed ne quicquam.

Pulvis aut aliud quiddam oculo inhærens tollitur oculo cancri, vel ejus loco placentulà cereâ; sic adhibetur nonnunquam penicillum in aqua rosarum madefactum.

Aliquando exoritur scirrhus cancrosus in oculo, qui non nisi instrumentis chirurgicis obtemperat.

Poladir. Ut animadverto, imposuisti finem primæ observationi, ideoque, si pace tua liceat, progrediar ad secundam, & quandoquidem te proposito meo annuere conspicio, incipiam. Author noster multis recentioribus opinionibus imbutus est, sed tali intereà temperamento, ut veterum placita non prorsus rejiciat, si praxi quotidianæ, & veritati consentanea esse reperiantur, in quo bene dissentit ab illis, qui ante prægressum examen omnia nova pro veris amplectuntur, & vetera tanquam falsa rejiciunt, & contemnunt, cum tamen omnium vetustissima sit veritas. Haud pauci recentiorum fonticulos tanquam exules è Praxi Medica longe proturbant, cum tamen priscis temporibus innumeri mortalium haud contemnenda inde commoda consecuti sint, præsertim in morbis oculorum. Nostrum igitur authorem laudo, quod fonticulos tanquam utiles in praxi chirurgica retineat, ipsique magnas ago gratias hac præcipuè de causa, quod eorundem operandi rationem clare, ac distincte demonstret, quod a nullo alio ante eum factum esse memini. Sed haud male unum, aut alterum Scholium hic adjungi posset. Sic crebrâ experientiâ compertum est, excrescentiam carnis continuò in margine fonticuli propullulantem indicium esse, quod tunc fonticulus ferè non prosit, cum tum temporis non evacuentur recrementa sanguinis, sed humor nutritius. Sic si fonticulus invitis omnibus cum fovea coalescat, cicatrici impedimenta ponere non oportet. Si autem fonticulus nimis aridus sit, impone globulum ex ligno hederæ; si verò fætet valde, ex cera virginea cum viridi æris, & santalo rubro permista.

Philiater. Utilitatem fonticulorum confirmant etiam ephemerides gallicæ referentes tempore quodam contagioso fonticulos sub alis positos præservasse complures a peste, quas plerosque fonticulorum expertes corripiebat.

Repe-

Reperiuntur etiam nonnulli, qui sternutatoria in oculorum affectibus feliciter usurpata esse perhibent. Sed stupendum videtur phænomenum, quod in Ephemeridibus gallicis nobis exhibetur, nimirum arenam in oculos injectam esse, ex qua deinde a lachrymis in majorem molem adaucta repetitis vicibus provenerint lapilli non contemnendæ magnitudinis.

Podalir. Longa experientia me nonnulla docuit, quæ observationi de gangræna, quæ sequitur, haud inconcinne possent adjungi; sic memini os humeri, aut coxæ luxatum & malæ repositum gangrænæ causam in senibus extitisse; ad hæc vidi gangrænam utriusque pedis, quæ originem suam debebat tumori scirrhoso comprimenti arteriam magnam in cavitate abdominis contentam, sicut cadaveris apertio postea clarè & apertè perspicuè mihi posuit ob oculos.

In fractura tibiæ a longo decubitu calcaneus pedis aliquando ita comprimitur, ut gangræna exoriatur ibidem, quam comitantur pessima symptomata ob ingentem illum tendinem annexum; & si os subjectum carie inficiatur, actio pedis haud rarò amittetur, quia spongiosum illud os difficillime sanatur, & præterea quia tendo tum temporis facile ab osse separatur.

At hæc gangræna aliquando provenit ex aneurismate; sic memini etiam febricitantem ex immissione manuum in aquam frigidam gangrenâ subitò fuisse correptum.

Philiater. Ex recentioribus haud pauci sunt, qui gangrænam nihil aliud esse existimant, quam innumeros exiguos vermiculos & quidem venenatos, qui carnem dentibus mirum in modum dilacerent; & si ipsos interroges, quare gangræna brevi temporis intervallo tam longe proserpat, hoc minimè mirandum esse respondebunt, ob incredibilem multiplicationem harum bestiolarum; & si verum est quod narrant, unus talis vermiculus chartæ candidæ impositus intra pauca horæ momenta producet quinquaginta alios.

Bestiolas has venenatas esse ipsi confitentur, sed in quo consistit hoc venenum? procul dubio in humore acido corrosivo, qui vera gangrænæ causa est, illique temperando gnaviter incumbendum.

Externè in hoc affectu spiritus salis armoniaci aromaticum sæpè feliciter usurpavi; sunt etiam nonnulli, qui ptisanam lupinorum ægris hìc loci propinant, sed an illa optatum fortiatur effectum, nondum expertus sum.

Podalir. Quarta observatio agit de sene, quem sphacelus è medio viventium sustulit, quod minimè mirandum censeo, nam sphacelus a pede, vel tibia ortus & genu transcendens plerumque lethalis esse reperitur etiam in juvenibus.

In pede, vel brachio sphacelo laborante sæpius necessaria est extirpatio, & quamvis sphacelo pedis usque ad genu ægroti pedem affectum, ejusque digitos adhuc commovere queant, sicut illud nonnunquam conspexi, haud ideo differenda est operatio. Ossis autem dissecti, ideoque alterati fragmenta trigesimo, vel quadragesimo die plerumque separari consuevere. Hæc sunt quæ de sphacelo dicenda habebam, sed fortasse dominus aliquid novi & nostro seculo incognitum afferre poterit, quod pertineat ad hunc effectum.

Philiater. Tinctura opii jam temporis aliquandiu ante extirpationem fœliciter ægrotis propinatur, nam sensum doloris minuit, ac sanguinis effluentis impetum refrænat.

Podalir. Sed quo pacto sanguis hoc seculo sistitur in extirpatione, ferro candente, an aliter?

Philiater. Rarius ferro candente. Galli sæpe nihil usurpant aliud quàm pulverem vitrioli cyprini, sicut id aliquoties conspexi in Nosocomio Arnhemiensi,

miensi, in quo intra biennium longe supra sex millia Gallorum fuere consepulta. Jacent nempe in horto, ubi florent adhuc post mortem, & singulis annis ex propril corporis substantia regni sui insignia, hoc est, lilia producunt.

Sed ut ad propositum redeam, memini in extirpatione cruris factâ in Nosocomio Rotterodamensi sanguinis effluxum tanta dexteritate fuisse cohibitum a *Johanne Doemenaith* ope acus incurvæ cum filo trajecto, ut vix tres unciæ sanguinis promanarent.

Præterea aliquid mirandum vidi Rotterodami, juvenem nempe, qui loco cruris paulo infra genu abscissi utebatur crure ligneo, cujus ope, indutus grallis belgicè *schaatsen*, tanta velocitate & alacritate per glaciem volabat aquam quisquam alius.

Antea semper crus pauld infra genu resecabant, quamvis sphacelus nondum ad tertiam cruris partem ascenderat, sed jam temporis longitudo cruris in extirpatione conservatur, quantum possibile est, quandoquidem excogitata sunt hodie instrumenta, quæ cruri longè infra genu extirpato commode applicari queunt, quâ super re consule clarissimum Dominum *a Solingen* in utilissimo ejusdem tractatu de manualibus operationibus.

Erysipelas quintæ observationis calidis sublatum fuit contra male fundatam veterum opinionem, qui non nisi frigida in hoc affectu applicabant, cum tamen ratio prorsus repugnet, & si huic auscultare non possint, flectantur saltem authoritate *Riverii* sui, qui in Observatione XLI. Centuriæ secundæ vini meraci usum pro potu ordinario per aliquod tempus continuatum erysipelas pedis diuturnum prorsus sustulisse perhibet.

In hac Observatione inter alia impositus est spiritus vini, de quo illud annotandum venit, quod ille qui conficitur ex frumento, multo magis anodinus fit, quam alius.

Inveniuntur aliqui, qui ad erysipelas summopere commendant linteum sanguine leporis imbutum exsiccatumque, atque ita impositum, sed hujus remedii vires nondum expertus sum.

Exoritur aliquando erysipelas in facie, malum mulieribus magis familiare, quàm viris, belgicè dictum *de belroos*; atque hic morbus in nonnullis lethiferus est, vel si evadant, & si per frigida & pinguia ab imperitis tentetur curatio, in puellis fœlicioris formæ lineamenta faciei, ac color cutis aliquando ita immutatur, ut fiant antitodum amoris præstantius, quàm omnes libri, quos *Ovidius* de remedio amoris conscripsit.

In hoc affectu internè multum prodest bezoardicum minerale, externè spiritus vini camphoratus, vel suffitus ex mastiche, thure, & succino.

Sequitur ulcus tibiæ, cui non sine fructu imponitur folium quercus, tussilaginis, vel aristolochiæ; attamen authoris nostri placenta longè præcellit, & sine dolore, aut illa molestia operatur. Mercurius dulcis etiam non sine successu externè imponitur, quia magnes est acidi egregius.

Podalir. Ego in praxi crebro expertus sum, quod ulcus cavum ex abscessu ortum nollet coalescere, & quidem nulla alia de causa, quàm quòd cutis circumcirca nimis tenuis esset panniculo carnoso cum pinguedine consumpto, quo in casu cutis sectione, vel caustico tollenda est, ut fundum ulceris patefiat, atque inde incipiat curatio, ad quod bene attendendum est in praxi.

In ulceribus autem fistulosis aliquando etiam multum profuit suffitus ex mastiche per infundibulum in ulcus immissus; sed si ulcus sit in recto intestino, juvat suffimigium ex tapso barbato, si verò in cavitate narium reperiatur ulcus, quod ozæna appellatur, valet suffitus ex cinnabari, vel fumus candelæ

delæ ex cera rubra confectæ, & accensæ in cubiculo omni ex parte diligenter occluso.

Ulcus quod corripuit mammam lactantis vix curatur, nisi lacte prius exficcato.

Ulcera luem Veneream comitantia non sanantur, nisi hoc morbo prius curato, & tunc sponte coalescunt.

In ulcere cancroso ora aut alias corporis humani partes occupante proficuus est pulvis ex ranis aquatilibus, gammaris, & cornu cervi usto compositus.

Quod si ulcus perinæum invadat in senibus, vix sanatur, præsertim si pertingat usque ad meatum urinarium, vel si exoriatur a causa interna.

Ulcera post variolas relicta difficillimè sanantur, quia caries ossis plerumque comitatur.

Dum transeo ad observationem septimam de vulnere oculi, recordor, in cataractæ ablatione humorem aqueum aliquando totum rubescere ob sanguinem ex vena forte aperta profluentem; sed ille rubor post triduum plerumque sponte evanescit. Idem autem etiam nonnunquam contingere posse in vulnere oculi per infortunium inflicto, valde verosimile videtur.

Mirandum quoque videtur, quod narrat *Felix Platerus*, magnam nempe vesicam in oculo excitatam esse a succo ex cucumere asinino prosiliente, quæ tamen postridie sponte evanuerit.

Sed tacebo hic, tibique copiam faciam loquendi, amice, quandoquidem nullius dubito, quin aliquid novi in medium prolaturus sis.

Philiater. Ex recentioribus aliqui reperiuntur, qui asseverant oculum sinistrum visu longe accuratiore præditum esse, quàm dextrum, sed ut verum fatear, hoc in me ipsum nondum experiri queo.

Verumenimvero stupendum videtur primo mentis intuitu, quod non ita pridem scriptum inveni, cœcum scilicet literas pingere didicisse; & si modum nosse desideres, promam.

Ex ligno aut alia materia idonea omnes literæ efformabantur tantæ magnitudinis, ut cœcus earum figuras tactu dignoscere posset, atque ita progressu temporis pennæ ope in charta easdem imitatus est.

Plerique existimant cœcum de nulla re minus judicare posse quàm de coloribus, atque hæc opinio adeo invaluit, ut in proverbium abierit ad significandum judicium inconsideratè latum: *judicat hac de re, ut cœcus de coloribus*.

Et nihilominus haud ita pridem Ultrajecti fuit Magister organi pneumatici, nominatus *Johannes Vermasen*, cœcus ab anno ætatis secundo, qui omnes fere colores accurate discernebat, tactu digitorum, ut ipse affirmabat, & quidem ob majorem, vel minorem asperitatem superficiei, quam sentiebat; etiamsi oriri posset suspicio, an hoc non potius effecerit olfactu, præsertim cum non nisi jejunus ad hoc præstandum idoneus esset, nam certum est ingredientia, quibus tinctores inducunt colores, varium de se spargere posse odorem; verum si historiæ hujus omnes circumstantias desideres, adi non genere tantum, sed & eruditione nobilissimum Dominum *Boyle* in aureo ejusdem tractatu de coloribus.

In hac observatione humoris aquei regenerationem deduxit author noster ex poris arteriolarum, sed ante paucos dies celebris Anatomicus nomine *Nuk* vascula peculiaria se invenisse affirmat, quæ paucis horis iterum repleant oculum, ex quo humor aqueus per vulnusculum effluxerit, sicut idem Dominus *Antonius Nuk* in peculiari tractatu Reipublicæ literariæ illud non ita pridem communicavit.

Paucis

Paucis ab hinc diebus libellum quendam pervolvi, in quo tanquam stupendum quiddam narrabatur, oculum læsum in tenebris clare videre potuisse, quod constitutus in sanitate nequibat. Sed mihi hujus phænomeni ratio haud adeo difficili inventu esse videtur.

Pars inflammata, ut unicuique notissimum est, acutiorem sensum obtinet quàm sana, quia fibrillæ illic magis tensæ sunt, ideoque facilius ab objectis agitantur, atque hinc manifestum evadit, fibrillas nervi optici ob inflammationem aliumve affectum tensas magis solito facillime ab objectis externis commoveri, atque oculum læsum eo modo in tenebris posse videre, quod, dum sanus erat, nequibat.

Sequens observatio loquitur de abscessu; quod si talis abscessus reperiatur sub axillis, appellatur bubo, & multò citius suppuratur quàm in inguine, hic autem adhuc citius quàm post aures.

Quoad apertionem abscessus, illa nonnunquam institui debet ante plenam maturationem, nimirum si tumor sit pestilens, si ossi vicinus sit, vel si situm habeat circa juncturas.

Sicut in praxi observavi, aliquando magnæ molis abscessus reperitur inter peritonæum, & musculos abdominis, ubi nonnunquam per duos menses delitescit, antequam pus contentum tactu digitorum possit animadverti; sed quamprimum certi sumus pus illic loci hærere, tumor aperiendus est, ne rupto peritonæo pus in cavitatem abdominis confluat.

Inter pleuram & musculos intercostales interdum latet abscessus, qualem per emplastrum stipticum *Paracelsi* maturatum, & scalpello tempestive apertum intra paucas septimanas prorsus sanatum vidi; dicitur plerumque vomica, quæ etiam maturè aperiri debet, ne pus in cavum pectoris promanet.

Podalir. Exoritur etiam aliquando abscessus lumborum ad renes usque penetrans.

Philiater. Talem conspexi Rotterodami, sed remanebat ulcus immedicabile.

Podalir. Nonnunquam flatuosus tumor conspicitur in genu, qui abscessum cum pure mentitur; sed cavendum est ne aperiatur.

Philiater. Rectè; nam hoc pacto puellam trium, vel quatuor annorum miserè periisse expertus sum.

Podalir. Veteres multum dixerunt de translatione puris ex una corporis parte ad aliam satis dissitam, quodnam hodie est judicium super hac re?

Philiater. Est sane res haud facilis intellectu, pus nempe ex una parte absorberi in sanguinem, ac impermixtum delabi in aliam; sed Rotterodamum mihi præbuit exemplum, quod casum mox citandum confirmare videtur. Senex septuaginta annorum ægrotabat ulcere sinuoso in manu, ac decem aut undecim foraminibus pervio, unde magna puris quantitas quotidie profluebat, ulcusque de die in diem vergebat in deterius. Stupebam ferme, cum inopinatò ulcus solito pulchrius inveni, ac propemodum nihil puris emittens, quamobrem in causam hujus phænomeni penitius inquirens ab ægroto accepi, illum eadem nocte in genu animadvertisse tumorem, qui sine sensu invasit, & adhuc erat expers doloris. Tractavi tumorem, ac palpando pus in eodem contineri deprehendi, quare scalpello hunc inexspectatum abscessum extemplo aperui, ex quo magna puris bene cocti copia prodiit, sed non obstantibus idoneis remediis, quibus utebamur, æger tandem miserè mortus est, omnibus ferme totius cruris musculis brevissimo temporis spatio mirum in modum consumptis.

Cele-

Celeberrimus Dominus *Barbette* in tractatu suo de Chirurgia loquitur de spina ventosa, quam alii nominant pedartrocacem. Ego bis vidi similem abscessum in junctura cubiti, (exoritur autem etiam in aliis partibus) ac ex utroque per scalpellum aperto multum puris foetidi promanavit, ac uno & eodem tempore multa fragmenta cariosa ossium prodierunt, sed utraque puella brevi è medio viventium sublata fuit.

Nonnullis abhinc annis conspexi puellam septem vel octo annorum, in cujus dorso circa vertebras in conspectum veniebat tumor indolens, ejusdem cum cute coloris, sine dolore, habensque magnitudinem ovi columbini. Assensu plurium Medicorum & Chirurgorum hìc tumor apertus est, sed loco materiæ solidæ, quam exspectabant, haud aliud quicquam invenerunt quàm humorem pellucidum coloris subflavi inclusum propria membrana habente crassitiem latitudinis straminis.

Sequentibus autem diebus ex hoc exiguo tumore multæ unciæ hujus liquoris quotidie profluxerunt, atque ita puella in dies magis magisque debilitata intra octiduum placide obdormivit.

In aperto cadavere invenimus unum, aut alterum canalem habentem cavitatem instar straminis, ac euntem ex tumore citato usque ad medullam spinalem, sicut docebat specillum intrusum; sed originem hujus mali longius investigare neglexerunt illi, quibus contradicere mihi non licuit.

Podalir. Exoritur aliquando sarcoma in hac aut illa parte corporis humani, quod nunquam aperiendum est temerè.

Philiater. Optime mones amice, vidi namque non ita pridem sarcoma in inguine situm quadragenarii, magnitudine duorum pugnorum, a quo per causticum aperto æger mortuus est.

Si hac vespera libra dimidia hujus carnis, per causticum prius corrosæ, scalpello sublatum erat, postero die totam libram dictæ carnis renatam vidimus instar multarum magnarum glandularum.

Sed antequam hanc observationem relinquam, non reticendum puto, quod jam temporis ægrotis abscessu aliquo correptis quidam commendent usum internum unguenti basilici ad dragmam dimidiam.

Podalir. Nonæ observationi de fractura tibiæ unum, aut alterum annectam, quod in praxi quondam expertus sum.

Si fractura sit in femore adultorum, difficillimè sanatur sine claudicatione, præsertim si sit in parte superiore, nam non restituitur sine magno labore, & commodis instrumentis, ac restitutum non facile retinetur, quia splenia congruenter apponi vix possunt; quod si autem fractura femoris sit in pueris, solâ manus opera reponi potest.

Fractura patellæ genu per rectitudinem corporis facta musculorum ope sine manus adjumento facile restituitur, & feliciter sanatur, sed patella per transversum fracta sine claudicatione vix curatur, quia labia fracturæ sæpe spatio transversi digiti a se invicem dehiscunt post curationem, unde musculorum actio tantopere impeditur, ut claudicatio subsequatur.

Philiater. Hunc ultimum casum ante aliquot annos in muliere senescente conspexi, quæ claudicabat usque ad mortem.

Podalir. Sed in hac observatione mentio fit de lapide osteocollo; si placet amice, dic mihi, qualis hic sit lapis, nam meo tempore prorsus ignotus erat.

Philiater. Aperiam; crescit osteocollum in Germania, & quidem in solo arenoso, sed frugifero tamen, & sub terra radicem agit ad duplam hominis altitudinem. Provenit instar plantarum supra terræ superficiem crescentium, cum radi-

radice, caule, & ramis compluribus sub terra delitescentibus. Caulis plerunque adæquat crassitiem mediocris brachii humani, rami verò digiti auricularis crassitiem vix superant. Osteocollum molle est, & friabile, ubi effoditur, sed aëri, ac solis radiis expositum acquirit illam duritiem, qua venale reperitur apud pharmacopolas. Ubi effossum est, post annum unum, aut alterum renascitur. Aliquando frusta quædam osteocolli inveniuntur in terræ superficie, sed viribus orbata, ob pluviam, & radios solis, quibus aliquandiu exposita fuere.

Agitur in hac observatione etiam de emplastro ex ranis cum Mercurio, atque hinc mihi in memoriam incidit, quod non ita pridem legerim apud fide dignum Authorem, argentum vivum ex planta quadam provenire, quod ob novitatem suam satis mirandum videtur.

Podalir. Ut ultimæ primæ Decadis observationi de dislocatione aliquid addam, dico, quod in perfecta luxatione membrum plerunque brevius esse conspiciatur, (nisi fiat a ligamentorum elongatione) sed in non perfecta luxatione longius est membrum, quia caput ossis, quod in cavitate latere oportebat, tum temporis in margine situm est.

Ex casu, aut ictu matris ossa infantum nonnunquam luxantur in utero, unde claudicatio infantum, quæ ex laborioso partu etiam exoriri solet.

Ad gibbum, sive a contortis vertebris originem trahat, sive a scapula è loco suo propulsa, valet idoneum instrumentum, ut & emplastrum calefaciens.

Philiater. Huic emplastro cum optato successu permistum vidi lapidem osteocollum.

Sed, ut hìc loci etiam aliquid adjiciam, ajo, post aliquot menses a luxatione malè, vel non reposita in ossis cavitate colligi humorem viscosum, & brevi temporis spatio indurescentem, qui dissolvendus est, antequam de novo aggrediaris ossis luxati restitutionem, quod *Felix Wurts* intra paucas horas se effecisse gloriatur stercore caprino, aliisque, sicut videre licet apud citatum authorem; sed novi chirurgum, qui me præsente *Wurtsii* consilium bis incassum secutus est in dislocatione humeri male reposita, quamvis æger interea summo dolore excruciaretur glossocomo.

Sæpius & diu disputarunt inter se Medici, an ossa pubis in gestatione, & partu a se invicem dehiscerent, nec ne; sed jam temporis dissectio complurium puerperarum hæc ossa dehiscere nobis tam clare ante oculos proponit, ut nullus dubitandi locus amplius superſit.

Podalir. Sequitur Decas secunda, in cujus observatione prima nihil annotandum habeo, nisi quod fungum exoriri in nervorum vulneribus nonnunquam conspexerim. Jam tuæ vices sunt loquendi, amice, si quid habes, affer in medium.

Philiater. Punctura tendinis sumitur interdum pro nervi punctura; sed innocuus est error, quandoquidem utrique puncturæ eodem modo, & iisdem medicamentis medemur.

A nervo læso exoritur haud raro convulsio. *Cornelius Bontekoe* procul dubio vir fuit egregius, sed homo tamen, conditioni humanæ, ac erroribus obnoxius. Splendidum illud Chirurgiæ jubar in prima parte novi ædificii Chirurgici, capite de vulneribus, paragrapho quarto fere toto, lectori persuadere conatur, neminem unquam vidisse, quod nervi ipsi convellerentur, vel causa forent alicujus convulsionis, cum tamen ego ante aliquot annos his meis oculis sæpius conspexerim convulsionem nervi illius magni, qui per femur descendit; erat namque hic nervus penitus nudatus ab ictu sclopeti, sic

sic ut patiens inde mortuus sit inter disputationem Medicorum, & Chirurgorum, an nervum illum, ad tollendam convulsionem, dissecarent, nec ne.

Acriter jam temporis disputatur an succus reperiatur in nervis, nec ne; unus affirmat, alter negat; liquorem autem rubicundum in nervo cadaveris dissecti se conspexisse asseverat clarissimus suis scriptis Dominus *Boyle*, author fide dignissimus.

Podalir. Secunda observatio agit de dolore capitis. Reperitur autem aliquando dolor capitis tempora sola occupans, qui venæ-sectione curari consuevit; est autem inflammatio musculi temporalis, quæ suppuratur nonnunquam pure per aurem effluente.

Philiater. Author hic loci ratiocinio suo evincere conatur, apum aculeos esse cavos, & humorem corrosivum in iisdem contineri, sed quod ille conspexit mentis acie, hoc Clarissimus Dominus *Hook* vidit oculis corporeis bono microscopio munitis, sicut in ipsius jucunda micrographia latius videre poteris.

Decubitus sub arbore juglandis dolorem capitis inducit, ut in se ipso expertus est expertissimus *Boyle*. Hic autem dolor non provenit ab umbra, ut vulgus arbitratur, sed a vaporibus ex foliis arboris egredientibus, qui quàm infesti sint muscis etiam, unicuique satis notum est, nam æstivo tempore valde familiare est, ramusculum juglandis ad muscas abigendas ab arbore avellere.

Caput nimium frigido aëri exponere nocet in cephalalgia, illud verò sæpius pectere in loco calido valde prodest; & quod sexus muliebris sæpius hoc morbo corripiatur quàm viri, magna ex parte provenit inde, quod duo hæc negligentius observentur a mulieribus.

Sed quid hic loci sentiendum de potu Chaphe & The? ego, dum Lugduni-Batavorum studiis operam dabam, per totum annum cephalæâ misere laboravi, & postquam potui copiosiori The, & præcipue quidem Chaphe quotidie sumendo assuevi, semper immunis ab ea vixi non tantum, sed & ab omni alio incommodo, quamvis antea ita vixerim, ut mortis haberet vices, lentèque trahebatur mihi vita gementi, qui per totum quinquennium cum longa morborum serie acriter conflictavi, sic ut non ignarus mali miseris discam succurrere, & cum *Seneca* Philosopho exclamare ausim: quod omnia corporis, aut incommoda, aut pericula per me transierint, adeo nullum ignotum est mihi.

Tincturâ anodinâ ex opio capitis dolorem non inveteratum crebro sustuli intra paucas horas; sed qua de causa opiata tam malè audiant apud plerosque nescio profectò, nam Græci & Arabes ad vitam prolongandam utuntur opio, quod clarissimus *Verulamius* in eundem finem quoque seriò commendat.

Tertiæ observationi de contractura tendinis vix aliquid addendum habeo, nisi quod tinctura lumbricorum hic multum prosit, ut & balsamum peruvianum, & si contractura reperiatur in poplite, cum fructu adhibetur instrumentum a *Sculteto* descriptum in armamentario Chirurgico.

Podalir. Quarta observatio occupata est circa venæ-sectionem, quæ hodie, sicut ego opinor, nimis crebro in usum revocatur. Nostro tempore rarissime secabatur vena, jam verò tota Medicina complurium Medicorum absolvitur, clystere, venæ-sectione, & purgatione.

Ab ipsis *Galeni* sectatoribus venæ-sectio nusquam magis necessaria esse judicatur, quàm in pleuritide, & tamen *Galenus* in hoc affectu eandem damnat Romæ & Athenis, ob aërem (ut ait) istorum locorum.

Philiater. Imo *Helmontius* ipsam rejicit in omni pleuritide, & *Riverius* in libro observationum paginâ mihi septuagesima quinta pleuritidem post decimam venæ-sectionem in empyema adhuc degenerasse ait.

Mirandum mihi videtur, quod vas lymphaticum læsum tam citò coaluerit, ut lego in hac observatione, nam secundum expertissimum Dominum *Solingen* vas lymphaticum vulneratum, & discissum multo difficilius coalescit, quàm saucia arteria, quamvis eadem sit curatio, nimirum pars abscissa retrotruditur hoc, aut illo instrumento.

Podalir. Author loquitur de globulis in sanguine natantibus, sed forsan tota res cum globulis in sanguine repertis a Domino *Leeuwenhoek* haud aliter se habet quàm oleum therebinthinæ cum aqua communi permixtum, atque aliquandiu agitatum, quandoquidem oleum therebinthinæ hoc pacto in innumeros globulos minutos dispergitur, qui postea, agitatione cessante, in unam massam iterum coeunt.

Sed his missis dico nihil melius esse, ubi in vena secta sanguis effluens cohiberi nequit, quàm fabam dimidiam vulnusculo impositam cum linteo quadruplici & commoda ligatura; quod si autem deliquium animi superveniat, labia patentis fricentur sale communi.

Philiater. In vena male secta, cæteris irritis, non ita pridem multum profuit suctio alterius, ut refert industrius *Blanckardus*.

Quinta observatio loquitur de crepitu tendinis, ubi nihil annectendum mihi incidit jam temporis, quàm quod oleum ceræ valde commendetur ad contusionem partium nervosarum cum strepitu.

Hæmorrhagia est, de qua tractat sexta observatio; talem autem hæmorrhagiam ex interna causa productam potius ab acida, quàm salsa acredine proficisci verissimum mihi videtur. Spiritus salis ammoniaci optimus, & fortissimus inclusus phialæ superpositam vesicam bubulam nunquam exedet, cum interim spiritus salis, sulphuris, aliique acidi spiritus vesicam qua clauduntur, paucarum horarum spatio corrodant prorsus & diffringant, quod autem hic dicitur de vesica, etiam intelligi potest de vena, cum utraque sit membranacea.

Ad sanguinem sistendum laudatur etiam aqua spermatis ranarum cum vitriolo Martis permixta & externè imposita, sic commendatur charta oleo vitrioli imbuta, iterumque exsiccata, ut & tinctura lapidis hæmatitis, quæ tam internè, quàm externè usurpari potest.

Venæ-sectionis locum, quæ hic nocere potest, prodesse minimè, supplebit tinctura opii bene præparata.

Sequitur contusio, in qua ad livorem cutis tollendum valde commendatur rasura radicis bryoniæ albæ parti affectæ imposita.

Iisdem ferme medicamentis, quibus author noster hìc usus est, ego non ita pridem duos fœliciter sanavi. Primus erat vir triginta sex annorum, in cujus lumbos proruebat prælum quinque, vel sex mille librarum, unde tanta contusio sequebatur, ut ægrotus instar immobilis molis jaceret in lecto, nec pedes nec truncum corporis ullo modo movere potens & summo dolore cruciatus, qui tamen intra sex septimanas, si bene memini, convaluit.

Alter fuit Auriga, super cujus dorsum duæ currus rotæ transierunt, unde secutus est enormis vomitus sanguinis, mictio cruenta, immobilitas pedum, dolor vehemens, aliaque symptomata, quibus non obstantibus brevi temporis spatio æger sanitatem pristinam iterum recuperavit.

Caput infantum contusum aliquando hydrocephali instar inflatum est a sanguine extra vasa sua prolapso & fluido manente. In hoc casu plerique cutim scalpello aperiunt & sanguinem emittunt, quod improbo, quandoquidem

ante

ante aliquod tempus duos infantes sine cutis incisione sanavi a tam enormi contusione capitis intra octiduum emplastro, & linimento sanguinem aliquatenus incrassatum iterum dissolvente.

Podalir. Sequitur nunc ganglion in manu, quod quidam aperiunt & per suppurantia sanare conantur; hic loci etiam laudantur emplastrum arsenicale, ac deinde ictus pugni.

Philiater. In *Blanckardo*, si bene memini, legi, materiam ganglii ex cadavere exemptam instar crystalli pellucidam apparuisse, & satis duram, eamque literas subjectas exhibuisse multo majores, quàm ipsæ erant re verâ, sic ut illud ganglion tum temporis inservierit pro microscopio.

Nona observatione omissa jam progrediar ad ultimam, quæ versatur circa affectum, qui nostratibus appellatur *de Waterkanker*. De hoc affectu nihil addam, sed ob similitudinem materiæ huic observationi adnectam aliquid de cancro alias corporis humani partes occupante, qui originem ducit a viscoso humore & acido-corrosivo, atque hoc corrosivum nonnunquam per plures quàm viginti annos ita obvolvitur a viscositate, ut parum noceat, & sic cancer sub forma exigui tuberculi per longum temporis intervallum delitescere potest, & tandem inopinato prorumpere, cum scilicet illud acidum corrosivum a vinculis viscosi humoris, quibus antea alligabatur, liberatur.

Podalir. Haud rarò observavi in praxi, quod cancer mulieres tum temporis facile invaderet, cum menses ob ætatem provectiorem incipiebant subsistere.

Si cancer sit circa cervicem, collum, guttur, aut internam femoris partem, non temerè extirpetur ob vasa ingentia illic dispersa, sed si corripuerit mammam, caput, labium, vel membrum virile sæpe, fœliciter exscinditur.

Philiater. Sic est amice. Non ita pridem cancrum labii inferioris extirpari conspexi, forpice tollendo cancrum cum bona parte labii simul, ac uniendo labia vulneris, ut fieri consuevit in labio leporino, atque hoc pacto ægrotus intra octiduum sanatus est.

Imo *Fabritius Hildanus* totam mentulam cancro exulcerato laborantem fœliciter se sectione sustulisse perhibet.

Podalir. Unguentum Ægyptiacum in cancro exulcerato nunquam usurpandum est, quandoquidem non semel docuit experientia, illud in hoc affectu mirum in modum nocere; sed crystallum montanum tam internè, quàm externè usurpatum efficax remedium hic esse reperitur.

Philiater. Credo; nam temperat egregiè acidum, & forsan non minori virtute pollet, quàm omnes lapides pretiosi, qui apud Pharmacopolas haud vili pretio venduntur. Sed tempus monet, ut progrediamur ad tertiam Decadem, cujus primæ Observationi de tumore frontis connato nihil adjiciam, nisi quod ad maculas, & tubercula in utero matris contracta quidam commendent sequens:

℞. Aq. plantag. ℥j. *Calc. viv. & Cinerum clavell.* ana ʒj. *M. S. A.*

Hoc autem medicamentum cum penicillo applicatur; alii scarificant prius partem affectam, eamque postea tangunt penicillo butyro antimonii imbuto.

Sequitur ulcus cum carie ossis, quæ ferme idem est in osse, quod gangræna in carne; valet autem in hoc affectu tinctura euphorbii, oleum cariophyllorum, ut & antiscorbutica tam internè, quàm externè usurpata; ac ubi locus idoneus est, potest applicari ferrum candens, quod si autem os sternum cariosum sit, illud non utendum est, sed potius abradendum, quia cartilaginosum est. Si autem caries corripuerit manus, vel pedis digitum, pars ossis

affecta, si commodo instrumento abrumpatur, maturat egregie medelam; sicut illud ante aliquod tempus expertus sum.

Podalir. Sequitur jam vulnus cruris per sclopetum inflictum, ubi observandum est, quod vulnus a globulo prius masticato exortum sæpissime degeneret in ulcus curatu valde difficile; globulus autem helleboro prius infectus vulnus producit venenatum.

In vulnere per sclopetum inflicto semper adest contusio, ut author ipse confitetur, ideoque haud incongruum videtur, hìc aliquid dicere de vulnere a morsu equi, leonis, aliarumque bestiarum producto, quia pleraque mala symptomata in his vulneribus conspicua originem ducunt præcipue a magna carnis contusione, non autem a veneno quodam, sicut complures perperam opinantur; nam si prava symptomata in his vulneribus se exhibentia orirentur a veneno, vulnus parvum non minus periculosum foret, quàm magnum, velut videre datur in vulnere a morsu canis rabiosi profectò, quod tamen non fit in vulnere a morsu equi, similiumque animalium excitato.

Philiater. *Quamvis ego satis anxie perquisiverim* (ait author noster in hac tertia observatione) *tamen neminem adhuc invenire potui, qui per experientiam hujus rei veritatem in corpore suo me poterat docere*. Reperiuntur tamen nonnulli, qui hoc audent. Dabunt tibi sclopetum pulvere pyrio, & globulo oneratum plumbeo, permittentque tibi, ut eundem contra ipsorum corpus explodas, & quamvis in hac explosione strepitus solitus audiatur, nihilominus latet illic fallacia. Ipsi etenim, dum onerant sclopetum, valde parum pulveris tormentarii primo immittunt, sic ut ille minime sufficiat ad globulum valide impellendum, deinde injiciunt globulum, tertiò tantum pulveris pyrii inferunt, quantum satis est ad sonitum consuetum producendum, quamvis hìc pulvis ultimò immissus nihil valeat ad globuli propulsionem. Hoc autem hìc loci annectere placuit, ne author noster temere culpetur ab eo, cui talis casus forsan obtigerit.

Podalir. In quarta observatione haud incongrue aliquid dici posset de modo, quo tumores membrana propria inclusi tollantur, inciditur nempe cutis superposita ad formam crucis, & labiis a tumore separatis cystis eximitur tota cum materia intus contenta, quæ interdum pinguedinis, mellis, pultis, interdum lapidis, calcis, vel etiam ceræ similitudinem habet, sicut non ita pridem conspexi.

Philiater. Et quod si nonnihil illius membranæ remanserit, feliciter tollitur penicillo spiritu salis communis imbuto.

Podalir. Admiror summopere amice, te nempe hìc laudare spiritum adeo acidum, qui acida tanquam noxia corpori nostro cum authore nostro prius rejecisti.

Philiater. Sed res hìc longe aliter se habet. Dixit supra author noster, acidum inimicum esse plerisque corporis humani partibus, illisque ruinam minitari, & in hoc, ut lubens fateor, omnino cum illo convenio. Sed hæc omnia pro me militant; hic loci namque animus mihi est destruere penitus illam membranam, ideoque hunc spiritum acidum commendo.

Nonnunquam etiam sub lingua reperitur tumor propria membrana vestitus, qui ranula plerunque nuncupatur. Hic tumor ab utraque parte linguæ aperiri debet, quandoquidem in medio sæpe divisus est, & præterea ligamentum linguæ situm suum habet in medio, quod alias facillime sauciari posset; membrana autem relicta ope salivæ progressu temporis consumitur.

Podalir. Modò locutus sum de cruciformi cutis incisione, sed hæc in parvo tumore tantùm locum habet, nam si tumor sit magnus, præstat cutim pari-

pariter cum tumore tollere, nam alioquin cutis tantopere extensa vix unquam reducitur, & corrugatur ad pristinum statum, sed tum temporis de die in diem debet resecari non sine summo cruciatu.

Philiater. In sequenti observatione author loquitur de felici curatione ingentis tumoris colli, quod in memoriam mihi reducit virginem nobilem, quæ non ita pridem a simili tumore eodem modo sanata fuit contra spem plurimorum Medicorum & Chirurgorum, quamvis hæc patiens illum tumorem per longam annorum seriem gestasset.

Podalir. Haud rarò exoriuntur in collo tumores duri, qui strumæ, vel scrophulæ appellantur; hæ strumæ feliciter interdum sanantur eàdem methodo, qua Medici utuntur in sananda lue venerea; sic sequens emplastrum laudatur:

℞. Empl. de ranis cum quadruplici Mercur. ℥j. *Vitrioli alb.* ʒj. *M. S. A.*

Præterea commendant cataplasma ex cucumere asinino contuso, phlegma vitrioli, ut & limaces rubros coctos in vino gallico. Reperiuntur etiam aliqui, qui radicem jalappæ, & bryoniæ addunt cataplasmati imponendo.

Philiater. Nec sine ratione domine, quoniam hoc pacto in humore peccante excitatur quædam fermentatio; laudatur etiam emplastrum de cicuta, aliaque.

Veterinarii arteriam abscindunt, quæ fertur ad strumosos tumores equorum, & sic tumores evanescunt; atque hæc methodus forsan non sine fructu revocari posset in usum circa homines.

Tandem hanc observationem finiam cum *Helmontio*, qui asseverat verrucas, nattas, & meliccerides evanescere, si collecto in conum lumine lunari per vitrum illi tumores superradientur, donec frigus sentiatur, sed vix credibile mihi videtur ullum fructum inde posse proficisci.

Sexta observatio mentionem facit igniveri illius in his regionibus notissimi; atque illius actiones revera satis mirabiles videntur, quanquam quidam ex amicis meis mihi pro certo affirmaverit, lotionem solam esse cum tinctura croci in aqua extracta, quæ in partibus nostri corporis vim ignis eludat, sicut id ipsum, ut ait, sæpius in proprio corpore expertus est.

Podalir. In observatione, quæ sequitur, author agit de lapillo in meatu urinario contento, & suctione sublato; nonnunquam vero, cæteris irritis, exscindendus est.

Philiater. In Praxi Medica etiam diligenter annotandum est, quod cum nephritide non rarò conjungatur colica.

Nephritis autem facile cognoscitur ex urina, sed illa in quartum usque diem quiescere debet, & tunc per microscopium multas angulosas, & acutas inæqualitates in compluribus arenulis conspicere poteris, sicut ego multoties observavi.

Mirandum est, quod refert *Fabritius Hildanus*, globulum nempe plumbeum per ictum sclopeti in fundum vesicæ immissum per multos annos illic loci delituisse, ac progressu temporis eundem circundatum esse tanta copia materiæ calculosæ, ut ovi gallinacei magnitudinem adæquaret.

Podalir. Non minus stupendum videtur, tale ulcus (ut exempla testantur) in totum posse sanari, quod in fundo vesicæ situm penetret usque in collum uteri, sic ut urina, calculique collum uteri ingressi per pudendum involuntarie egerantur.

Ad nephitidem autem laudatur semen dauci, violarum, nymphææ albæ, oleum amygdalarum dulcium, aliaque innumera.

Philiater. Succus betulæ hic etiam egregie commendatur ab *Helmontio*, quod

quod confirmat clarissimus *Boyle*, seque hoc in proprio corpore expertum esse affirmat. Ego autem nonnullos novi meorum familiarium antea haud parum a nephritide cruciatos, qui nullum incommodum inde amplius persenserunt, postquam potum Chaphe quotidie satis magnâ copiâ assumpsere.

Sed ut tandem ad finem hujus tertiæ Decadis properemus, octavâ, nonâque observatione silentio præteritâ, nos conferemus ad ultimam, ubi scorbuti historia, ac curatio exponitur.

Author noster hunc affectum deducit ab acido, nec sine ratione; nam urina scorbuticorum instar aquæ fortis, vel spiritus salis corrodit lintea; imo *Doringius* refert, se in quodam scorbutico hæmorrhagiâ narium nonnunquam laborante vidisse lintea, quibus sanguis promanans excipiebatur, ab eodem prorsus esse corrosa.

Præterea, quod acredo scorbuti non sit salina, sed acida, patet ex eo, quod sanguis in venis & corde scorbuticorum cadaverum crebro inventus sit coagulatus.

Si absque febre, aut Ictero urina rubeat intense, indubitatum scorbuti indicium esse perhibetur.

Sic scorbutum per contagium nonnunquam productum esse aliqui attestantur.

Præterea muri recenter calce obducti scorbuticis nocere dicuntur.

Acta philosophica Anglicana emeticum in scorbuto valde proficuum esse perhibent, & clarissimus Dominus *Sydenham* equitationem frequentem, ut & vectionem in curru commendat non parum in scorbuto, nec non in aliis plerisque morbis chronicis.

Sudor spontaneus noctu scorbuticos plerunque infestat, quia in glandulis subcutaneis delitescit acidum fermentum, quod a calore lecti in motum celeriorem adauctum, efficit, ut glandulæ modò nominatæ sæpissime contrahantur, atque ita sudorem viscosiorem foras per poros cutis propellant.

A scorbuto tantum in eo differt Arthritis vaga scorbutica, quod hæc oriatur ab acido volatiliori, ut vagus dolor indicat, ac acriori simul, sicut atrocior cruciatus testis est.

Valent hic eadem propemodum, quæ in scorbuto; laudantur millepedes, lumbrici terrestres, nec non tinctura vermium majalium; sed hi sine præparatione debita assumi non debent, quoniam tum temporis ingentem dolorem, & sanguinis mictum non mediocrem producunt.

Westphali, quibus hic morbus valde familiaris est, decocto glycypicri cum radice pro potu quotidiano utuntur cum successu in hoc morbo.

Plures atrocissime hoc morbo afflictos brevi, ac feliciter ad pristinam sanitatem reduxi eâdem methodo, qua lues venerea curatur, sudore scilicet in stupha elicito cum prunis, ac spiritu vini accenso, cujus vapor dolorem mox mitigare consuevit.

Antequam huic Decadi finem imponam, aliquid adhuc dicere lubet de arthritide fixa, quam etiam ex acido suam trahere originem valde verosimile mihi videtur, partim quia urina podagricorum sæpe gustatur acida, partim quia testacea, aliaque acidum infringentia hìc mirè conveniunt.

Potus calidus Chaphe & The multum prodest in hoc dolorifico affectu, quod vel ex eo patet, quia Chinenses potu calido herbæ The utentes arthritide fixa nullo unquam tempore laborant.

Thomas Sydenham, expertus valde Medicus, qui ipse per triginta annos podagrâ ægrotavit miserrimè, extollit magnis laudibus pulticulam ex pane similagineo in lacte cocto cum croco, & pauculo olei rosarum.

Moxæ

Moxæ pauculum parti dolenti impositum si incendatur, dolor è vestigio tollitur, pro tempore saltem. Dominus *Leeuwenboek* existimat cotonem, ut & lanuginem interiorem castanearum iisdem cum moxa viribus pollere, quia hæc omnia post ustionem relinquunt oleum simile, ut docent microscopia exquisita.

Hippocrates autem suo tempore partem affectam urebat lino crudo, in quo similes moxæ vires delitescere arbitratur Dominus *Sydenham*.

Perventum jam est usque ad Decadem quartam, ubi author ad dealbandos dentes utitur pulvere porcellanæ, sed complures hodiernarum puellarum ad nitorem dentibus conciliandum fricant eosdem pulvere Coffæ tostæ; *Scioppius* autem vult in tractatu suo de butyro, ut dentes quotidie semel inungantur butyro.

In dolore dentium laudatur moxa in temporibus accensa; os autem brachii bufonis primo statim contactu dolorem dentium sanare dicitur *Helmontio*, quanquam illud vix credibile videatur.

Nonnunquam dentes valde excavati sunt, & tunc non sine fructu implentur mastiche emollita ope therebinthinæ.

Ad dentitionem difficilem infantum cum successu adhibetur baculum liquiritiæ.

Frustum a dente indecore prominente abscindere non oportet, quia postea summum & ferme continuum dentium dolorem causatur hæc operatio.

Ad ambusta, quæ tractantur in secunda observatione, laudatur etiam creta, ut & spiritus vini camphoratus impositus cum arcta ligatura.

Grana pulveris tormentarii relicta in facie quidam ope acus chalybeæ eruere conantur, sed supervacaneum est, quandoquidem fibrillas per emollientia in tantum flexiles reddere possumus, ut grana sponte prolabantur.

Ante aliquot annos memini me vidisse mulierculam septuaginta circiter annorum, quæ semi-ebria in ignem prolapsa fuerat, ac dimidiam capitis partem ita combusserat, ut, quicquid etiam ageretur, nullum pus sequeretur; nec ullæ etiam vesiculæ antea excitatæ fuerant. Sed ecce temporis progressu cutis cum panniculo carnoso, & pericranio in unam escharam coacta separabatur, nec hoc solum, sed dimidia ferme cranii portio ingentem, ac valde crassam laminam de se mittebat, quâ ablatâ, ulcus tandem, licet tardissimè, coaluit, subinde tamen parvis ulcusculis hic atque illic redeuntibus.

In tertia observatione author noster loquitur de hernia adeò pertinaci, ut intestinum per novem dies commoratum sit in scroto, quod tamen adhuc repositum est feliciter incisione facta usque ad productionem peritonæi, quæ intestinum strangulabat; sed paucis abhinc diebus affui adolescenti, cujus intestinum per tredecim dies in scroto permansit, & tamen sine sectione solis idoneis medicamentis feliciter restitutum fuit.

Peritonæum non tantum relaxatur in inguine, scroto, & umbilico, verum etiam in aliis partibus, ut in ventre, & dorso, ubi hernia quoque nonnunquam exoritur.

Podalir. Hernia umbilicalis aliquando provenit ab omento inhærente, & in magnam molem adaucto, ac tum temporis semper adest tumor, indolens fere, & sine murmure, qui in alvo laxanda nullum apportat impedimentum.

Philiater. Hernia carnosa in scroto cum aqua intus contenta aperitur aliquando, & per pus promoventia feliciter sanatur.

In quarta observatione author pus albicans in abscessu contentum deducit a succi nutritii, ac acidi fermenti commixtione, & bene ratiocinatur; nam hæc sententia etiam confirmatur sequenti experimento, si nimirum aqua

fortis

fortis misceatur cum sero sanguinis humani, mutatur hæc mixtura in substantiam albicantem crassiorem.

Podalir. Author hunc abscessum mammillæ suppuratum, & apertum sine turunda sanavit, & bene; hinc tamen concludendum non est, turundas è Praxi Chirurgica omnino eliminandas esse, si namque in abscessu aperto adhuc relinquatur quædam durities, immitti debet turunda, ut pus hoc pacto aliquandiu in tumore retineatur, quandoquidem illud duritiem & citius, & melius tollit, quàm optima medicamenta; & præterea in aliis abscessibus duritiei expertibus turundæ usus etiam per biduum continuari potest, ut ita foramen fiat rotundum, magisque patulum.

In abscessuum apertione etiam vix opus est tam anxiè, quàm olim fecerunt, servare ductum fibrarum, quia sola cutis inciditur, non musculi; sed in dilatatione ulcerum, aliisque operantibus res longe aliter se habet.

Si lac in mammillis deficit, ad illius generationem laudatur oleum lumbricorum externe, interne vero pulvis lumbricorum assumptus quotidie ad scrupulos duos cum aqua fœniculi.

Philiater. Ad mammillas puellarum, quam par est, graciliores, proficuum est oleum nucis myristicæ externe usurpatum, unde mammillæ brevi temporis spatio jucunde sororiari incipiunt.

Ad nimiam vero mammarum intumescentiam laudatur lixivium calcis vivæ cum spongia impositum.

Cum legi quintam observationem de duro mammillæ tumore dissoluto, in memoriam mihi rediit virgo quædam Rotterodamensis triginta propemodum annos habens, cujus mamma, ni fallor, dextra scirrhosa, & compluribus foraminibus perforata in tantam molem excreverat, ut pro conjectura mea ad minimum haberet pondus septendecim, vel octodecim librarum, ac brachium ejusdem lateris crassitie corpus mediocris hominis adæquabat; hæcque mala jam per duodecim annos perseveraverant, ægramque tam pertinaciter lecto affixerant, ut eundem tantum quater in anno mutaret. An vivat adhuc, an ad plures abierit, ignotum est mihi, qui jam per longum temporis intervallum absui a Rotterodamo.

Podalir. Huic observationi aliquid adjicere de cancro mammillæ haud incongruum mihi videtur; nam cancer hic loci aliquando exoritur a lacte in grumos concreto, & ex consequente inde inflammatione, unde tuberculum parvum primo relinquitur, quod per quadraginta annos delitescere potest absque dolore alicujus momenti, & sine ullo alio incommodo, & tunc nonnunquam inexspectato totam mammam occupat cancer cum summo doloris cruciatu aliisque consuetis, & miserandis symptomatibus.

Observandum autem, cancrum mammæ nunquam secandum esse, ubi partibus subjectis firmiter adhærescit.

In cancrosis ulceribus acria medicamenta applicare non oportet, sed mitiora tantummodo, qualia sunt decocta veronicæ, scabiosæ, geranii, scrophulariæ, fumariæ, &c. mista cum tutia præparata, cornu cervi præparato, plumbo usto, cerussa, melle, aliisque.

Incipientem verò cancrum cæpa sub cineribus cocta aliquoties sanasse perhibetur.

Tandem mea me conscientia constringit, ut mulierculas fideliter admoneam, quæ cancro mammillæ affliguntur, ne lactent proprios infantes, si sanitas eorundem ipsis aliquatenus curæ sit..

In sexta observatione summus abdominis cruciatus tollitur fonticulo per scalpellum inflicto, & per aliquot septimanas aperto servato; causticum

autem

autem est ejusdem efficaciæ non tantum in dolore fixo abdominis, sed etiam alibi.

In septima observatione agitur de papillarum morbis, quæ subinde quoque aphthis affliguntur; hæ autem curantur mucilagine seminis cydoniorum cum tutia præparata, & saccharo saturni.

Philiater. Si succus raparum cum successu applicetur ad aphthas in ore conspicuas, sicut certum est, absque dubio etiam proderit in aphthis papillas infestantibus.

Octava observatio medetur summo auris cruciatui, per causticum impositum; sed si dolor fiat ab alia causa, quàm a pure intus contento, laudatur cæpa sub cinere assata, tinctura opii, aliaque.

Podalir. Quod si verò dolor auris prodeat a verme auriculari, imponitur dimidium pomum excavatum, & vermis mox ex aure properat in cavitatem pomi.

Globulus auri altius inhærens epilepsiam excitavit ante aliquod tempus, quæ, extracto globulo, è vestigio iterum evanuit.

In purulentis auribus laudatur frustum spongiæ impositum, nam imbibit pus, ac arcet aërem ambientem.

Nonnunquam fungus enascitur ex aure scirrhosus, qui tollitur idoneis instrumentis, ligaturâ, vel caustico.

Philiater. Antequam finiam, adjiciam nonnihil de gravi auditu. *Felix Platerus* experientiâ se comperisse affirmat, si fistulam, dum inflatur, æger dentibus mordeat, aut manubrium, vel collum testudinis pulsatæ; & si audiat tum temporis sonum inde excitatum, id bonum esse signum in gravi auditu, sin minus, malum.

Datur via a meatu auditorio intra tympanum ad palatum cum valvula spectante ad aurem, unde colligere licet, masticatoria prodesse in gravi auditu.

Potus copiosus Chaphe per aliquod tempus continuatus gravitatem auditus sanare potis est, sicut id ipsum non ita pridem expertus sum.

Nonæ observationi nihil addere decrevi, sed rectè pergam ad ultimam, quæ gonorrhææ historiam, & curationem repræsentat.

Podalir. Lubens auscultabo amice, si quid narres mihi de hoc morbo, qui, ut & morbus gallicus, nostro tempore prorsus ignotus erat.

Philiater. Annectam quædam de gonorrhæa, ubi prius nova quædam recentiorum inventa in medium protulerim, quæ satis curiosa sunt.

A pene humano igitur initium capiam, cujus substantia similis est illi, quæ reperitur in pulmonibus; penis autem osseus non est in homine, sed talis reperitur in cane, vulpe, glire, lupo, & vespertilione, galli autem gallinacei duplici pene prædití sunt.

Caruncula, quæ naturaliter claudit locum, ubi vasa seminaria terminantur ad urethram, ab ignaris cathetere deprehensa cum renisu, habetur pro carnositate morbosa, & causticis erosa perpetuam, & immedicabilem producit gonorrhæam.

Corpus glandosum in homine habet magnitudinem nucis juglandis.

Unus testis hominis naturaliter altero major est nonnunquam; sic in scroti fundo aliquando multum pinguedinis accrescit sine incommodo, atque ad talia bene attendendum est in praxi, ne habeantur pro morbis.

Homo habet vesiculas seminarias, quibus carent canes, qui beneficio alicujus excrescentiæ carnosæ circum penis ossiculum tempore coitus intumefactæ in coitu detinentur, donec sufficiens seminis quantitas per vasa

deferentia a testibus affluat, quod in homine non requiritur ob vesiculas seminarias, in quibus semen asservatur.

In semine virili dicuntur esse bestiolæ duorum generum, ex quarum aliis viri, aliis fœminæ generentur, tunc scilicet, cum talis bestiola se forte applicat arteriolæ uteri, ex qua humorem fugit ad incrementum, & sic instar bombycis, vel ranæ exteriorem corticem deponens mutatur in hominem; verumenimverò de hujus opinionis veritate valde dubito.

In lithotomia necesse est, ut semper una ex vesiculis seminariis lædatur, sed altera vesicula illæsa manens patientes præservat a sterilitate.

Quoad uterum muliebrem, illius prolapsus nonnunquam contingere potest; imo si historiis credere fas sit, pater filiæ ob salacitatem uterum exscidit, non aliter, ac in porcis fieri solet; & filia nihilominus supervixit, omni pristina libidine prorsus extincta.

Clitoris muliebris est instar uvulæ non relaxatæ.

Præterea in fœminis reperiuntur ductus quidam circa urethram, vicem supplentes prostatarum, in quibus humor viscosus continetur, qui in somno aliquando cum voluptate expellitur, & sic fœminæ habent pollutionem nocturnam; imo idem liquor in fœminis salacioribus nonnunquam copiose habetur.

Coitus continuatione vulvæ partes laxantur, sed illa laxitas compensatur majori nympharum protuberantia, ut conjugiale vinculum permaneat tanto potentius.

Ut tandem perveniam ad ipsam gonorrhœam, notandum est, eandem, ubi viros invasit, plerunque stabulari in corpore glandoso, nonnunquam etiam in testibus, ut docet horum intumescentia post intempestivam astrictionem gonorrhϾ; aliquando hic morbus utrobique simul situs est, in testibus scilicet, & in corpore glandoso. Sedes autem gonorrhϾ muliebris aliquando in testibus, plerunque autem in ductibus illis circa urethram, ut testatur exulceratio illorum ductuum post mortem inventa in mulieribus, gonorrhæâ, dum vivebant, laborantibus.

In gonorrhœa autem valet balsamum sulphuris therebintinatum, oleum Copaivæ, oleum therebinthinæ, balsamum peruvianum, tinctura vermium majalium, gummi guajaci, aliaque.

Sed ne nimis prolixus sim, huic Decadi finem imponam, postquam dixero in summitate glandis nonnunquam exoriri verrucam, quæ ex coitu facile in cancrum degenerat, tantæ molis, ut caput infantis adæquet, nec possit nisi sectione mentulæ auferri.

Podalir. Jucunda hæc inventa recentiorum non sine delectatione audivi, & si quid ego iterum habeam, quod faciat ad observationem primam quintæ Decadis, ad quam jam perventum est, non dubito, quin illud libenter communicaturus sim hic loci.

Philiater. Pergratum mihi feceris, amice integerrime, nam de vulneribus capitis vix satis dici potest, quandoquidem adeo periculosa sunt, & ab imperitis tam male tractantur sæpenumerò.

Podalir. Patiens igitur primò in parte sana capitis decumbere debet ob metum inflammationis, sed ubi præteriit tempus, quo inflammatio ut plurimum apparere solet, quiescat in parte vulnerata, si dolor permittat, nam hoc pacto pus in vulnere contentum longè majori cum faciliate profluere poterit. Author noster hic mentionem facit de vulnere capitis feliciter sanato, ubi portio ipsius cerebri avulsa fuit; tale quid autem, & me conspexisse memini, simulque non sine delectatione, & admiratione oculos pavi, ubi quo-

quotidie spectabam, quod in cerebri amissi loco propullularent tubercula quædam carnosa, lentium magnitudinem propemodum adæquantia, quæ se invicem jungendo cavitatem prædictam tandem adimplebant.

In hac observatione etiam mentio fit de fungo cerebri, sed non adjungitur ejusdem medela. Annotandum igitur in hoc casu excisionem minime convenire, nec magis ligaturam strictam, aut acria medicamenta, ut vitriolum, alumen ustum, aliaque, sed inspergendus potius est pulvis ex aristolochia rotunda, calamo aromatico, caryophyllis, aliisque compositus.

Hic loci etiam invenio vulnus inflictum superciliis, sic ut cavitas subjecta pateat, quæ in osse frontis reperitur. In hoc autem vulnere aër tam impetuose provolare potest, (sicut hujus phœnomeni ocularis testis sum) ut candelam ceream extinguat; atque hoc vulnus non rarò degenerat in ulcus mali moris, quoniam in illa cavitate sæpius colligitur liquor valde acris, qui progressu temporis os corrumpit, tandemque efficit subinde, ut totus oculus ex orbita sua propellatur extrorsum.

Philiater. Dum te super hoc casu differentem attente ausculto, me temperare vix possum, quin sermonem tuum interrumpam, & narrem tibi, quid referat Dominus *a Solingen* in tractatu suo supralaudato, nimirum se novisse fœminam, cui tale vulnus inflictum fuit ante aliquod tempus, quod adhuc apertum permanet, ac per quod haustus spiritus vini ab aliis nonnunquam ipsa consentiente infunditur, atque sic ab eâdem ore excipitur, & deglutitur.

Podalir. Mirandum sane est, quod narras, amice, ac prorsus inauditum.

Philiater. Quandoquidem tibi non displicuit, quod modo narravi, unum aut alterum adhuc promam, quod forsan haud minore te afficiet admiratione Podaliri.

Podalir. Cum desiderio exspectabo, quid in medium proferas.

Philiater. Dominus *a Grimbuysen*, vir satis notus in Geldria, septies & vigesies trepani perforationem passus est, ab *Henrico Chadborn* habitante Noviomagi, Chirurgo dexterrimo, ac intimo patris mei amico, cum quo ego, & Pater meus sæpissime familiariter collocuti sumus. Fuit ipse vir ingenio, ac praxi felicissimus, sed infelicissimus morbo, quo ferme continuo miserrime affligebatur, summo nimirum lumborum cruciatu, cujus causam in ipsius cadavere invenimus; tres nempe magni calculi, asperi satis, & inæquales in renibus hujus viri delitescebant, quorum delineationem atramento rubro in charta depictam adhuc in musæo meo custodio, & quidem præcipue hac de causa, quod, dum viveret, nobis sæpius prædixerit, hunc cruciatum non aliunde procedere, quàm ex calculis majoribus in renibus contentis. Habeas me excusatum, vir clarissime, quod aliquatenus a via aberraverim, dum mentionem facerem de hoc familiarissimo mihi Chirurgo, fuit namque vir in arte sua incomparabilis simul atque ingeniosissimus.

Disputant adhuc hodierno tempore, an in suturis trepanum ponere liceat, nec ne; ad quam quæstionem cum hac distinctione responderi potest; in sutura sagittali trepanum minime ponendum est ob falcem cranium illic loci dividentem, & annexam huic suturæ; in aliis autem suturis trepanum tutò, & securè collocari potest, quandoquidem illis non annectitur dura mater.

Podalir. Quicquid refers, egregie mihi arridet. Quod si autem contingat, ut dura mater vulneretur, imponendum est lac dulce cum vitello ovi,

& therebinthina permistum. Quòd si verò post cicatricem magni vulneris caput adhuc existat imbecille, nihil melius reperitur, quàm sacculus ex caryophyllis contusis impositus.

In commotione cerebri sine vulnere, quàm vomitus comitatur, ac effluxus sanguinis è naribus, & auribus, intellectu cum sensibus deficiente, ac amissâ loquelâ, extemplo imponatur capiti, capillis prius abrasis, cataplasma ex betonica, aliisque herbis vulgo dictis cephalicis.

In cranio puerili sæpius fit impressio, & quod si hæc non mature restituatur, exoritur aliquando stupiditas in pueris antea satis ingeniosis, quamobrem non sequamur consilium *Felicis Wurtsi*, qui, omnibus mediis neglectis, tales impressiones negotio naturæ prorsus relinquit.

Quod si igitur impressio fit in cranio puerorum expers malorum symptomatum, curatur cucurbitâ impositâ sine scarificatione, capillis prius abrasis, ac ore naribusque clausis; alii verò huic impressioni medentur emplastro glutinoso imposito, ac aliquoties iterum uno impetu sublato ope fili, quod in hoc casu annecti debet, sed tum temporis capillus non penitus abradendus est, quia alias emplastrum non satis tenaciter adhæreret.

Modum autem, quo cranium adultorum impressum, & malis symptomatibus comitatum elevetur, videre poteris apud *Fabritium Hildanum*.

Philiater. Vulnera faciei ante hac acubus conjungebantur, sed modus ille abolescit jam temporis ob fœdas cicatrices, quæ inde relinquuntur; atque tota curatio satis apte peragitur solo emplastro basilico, quo labia vulneris a se invicem dehiscentia uniuntur, & unita retinentur.

Antequam hanc observationem de vulnere capitis relinquam, reticere non possum, quod vulnusculo de industria inflicto hydrocephalus artificialis fieri possit; nimirum si in vertice quædam per scalpellum fiat apertio, per quàm caput singulis diebus cum fistula infletur, donec in stupendam molem excrescat, & tunc foramen cera, & emplastro obstruatur.

In secunda observatione de vulnere pectoris penetrante author noster loquitur de paracenthesi inter quintam, & sextam costam (numerando ab infernis) instituenda; verum recentiores jam temporis eandem faciunt inter secundam, & tertiam costam sinistri, ac inter tertiam, & quartam dextri lateris; atque ut fascia post vulnus factum melius retineatur, affigunt eidem linteum aliud in medio ita divisum, ut caput petientis illud pertranseat.

Hic loci nihil amplius dicendum habeo, nisi quod non ita pridem notabilis ductus inventus sit in glandula thymo humore limpido plenus, sed quem usum habeat in œconomia animali nondum compertum est mihi.

In tertia observatione Author noster tam fusè locutus est de vulneribus abdominis, ut jam temporis, quid addam, non meminerim.

Podalir. Nec ego, nisi forsitan in animo haberem hic adnectere signa, quorum ope cognoscamus, quænam pars in cavitate abdominis vulnerata sit, an ventriculus, intestinum, renes, aut alia pars, sed illa apud omnes fermè Chirurgiæ Scriptores tam obvia sunt, ut supervacaneum prorsus videatur, eadem hic loci velle repetere.

Philiater. In quarta observatione proponitur cura arteriæ in brachio vulneratæ; Ephemerides Gallicæ multum gloriantur de essentia quadam styptica, quasi de infallibili remedio ad sistendum sanguinis profluxum ex arteria vulnerata.

Arteria vulnerata, ubi sanatur, non coalescit per carnem, ut veteres sibi

bi falsò persuaserunt, verum illa corrugatur, atque hæ rugæ ope fibrillarum intermediarum sibi invicem junguntur, & hoc pacto occluditur arteria, sicut id observatum est in cane aperto, qui paulò ante a vulnere arteriæ reconvaluerat; ut autem arteria abscissa citius, & melius corrugetur, commodo instrumento retrotrudi potest.

Sanguinem ex arteria cum impetu provolantem nonnulli sistunt impositione digiti per octiduum continuata, uno homine intereà temporis sæpius in locum alterius succedente.

Hic loci commendatur etiam crepitus lupi compressus, pili Leporis, sed non minutim conscissi, ut veteres voluere, ut & lanugo florum cardui.

Author noster in hac observatione loquitur de transfusione sanguinis, non aliter ac si illa ante paucos annos inventa foret, cum tamen *Libavius* anno millesimo sexcentesimo decimo quinto eandem satis clarè, ac distinctè descripserit, sicut apud citatum Authorem latius videre tibi licebit.

Hac in observatione etiam mentio fit de aneurismate, ubi adnotandum venit, quod in magno aneurismate rarò sentiatur pulsatio, sed auditur ibi strepitus quidam instar aquæ bullientis.

Quintam observationem de fractura cum vulnere silentio præteribimus, & de dislocatione cum vulnere, quæ sequitur in sexta observatione, nihil dicemus, nisi quod patiens ille, qui (ut Author mihi narravit) est faber lignarius, nunc omnino sanatus sit, & nihil incommodi sentiat, quàm quod articulus antea dislocatus immobilis sit, quod aliter esse non poterat.

Podalir. Septimâ & octavâ observatione omissâ, nonæ paucula quædam adnectam; nimirum quod plerumque habeatur pro signo lethali in angina, ubi spuma conspicitur circa os ægroti; sic etiam a quibusdam observatum est; quod angina crine rubris familiarior esse reperiatur, quàm aliis hominibus.

Philiater. Atque ut ego tandem huic toti libello finem imponam, ultimæ quintæ Decadis observationi nihil adjungam, nisi quod consultum videatur, ut infans labio Leporino laborans per aliquot horas ante operationem non dormiat, quia sic postea melius & diutius quiescit, ac a fletu temperat.

Pervolvimus jam hunc tractatum Podaliri, ut cernis, sed quoniam adhuc libenter per aliquot horas fruerer tuâ præsentiâ, invito te ad cœnam; ac interea temporis, dum illa præparatur, ibimus unà in nosocomium, ubi forsitan adhuc suppeditabitur occasio de hoc, aut illo ægroto loquendi.

Podalir. Per me licet, quoniam mihi haud injucundus fuisti congerro; sed quo morbo ille, quem hic conspicio, laborat?

Philiater. Quartanâ pertinacissimâ, quæ circa autumnum ipsum invasit, ac eundem fortasse non derelinquet ante futurum ver, quo tempore aër calidus & serenus humores austeros & viscidos humani corporis, ex quibus provenit quartana, temperat & attenuat, sicut idem ille aër fructus maturat, ac eorumdem ingratam austeritatem tollit.

Podalir. Haud displicet hoc ratiocinium. Sed quid mali tolerat hic, qui decumbit in altero lecto?

Philiater. Ille ante biduum correptus est cholerâ atrocissimâ convulsionibus valde dolorificis utriusque cruris stipata, ac ab interna causa exortâ, quàm brevissime ac felicissime sanavi solo potu calido Chaphe copiosè assumpto, qui retinebatur in ventriculo, tincturâ opii, aquâ menthæ,

thæ, fero lactis, cerevisia, vino, aliisque per vomitum rursus ejectis, ac frustra usurpatis.

Podalir. Sed qualis est hic potus, de quo loqueris?

Philiater. Crastinâ luce hoc tibi aperiam, cum eundem tibi propinabo degustandum.

Podalir. Sed quid monstri hìc video, hunc infantem puto? caput nempe justo majus existit, faciesque carnosior respectu aliarum partium; ac circa articulos, præsertim in carpis & talis protuberantiæ quædam extant, sic ut valde irregularis hìc conspiciatur partium proportio.

Philiater. Est novus morbus primum in Anglia detectus, qui Rachitis appellatur; non reperitur autem hoc malum in adultis, sed tantum in puerulis, ejusque causa creditur esse obstructio spinalis medullæ.

In apertis cadaveribus eorum, qui ab hoc morbo mortui sunt, arteriæ carotides ac venæ jugulares majores inveniuntur, quam par est, reliqua vero vasa sanguifera minora.

Podalir. Atque hic, ut cerno, laborat Ictero; unde originem suam trahit hoc malum?

Philiater. Non a bile nimium volatili, ut quidam recentiorum arbitrati sunt, nam in vesicula fellis cadaverum ictericorum plerumque invenitur humor serosus, pallidiusculus, minime amarescens, sed fere insipidus, dulcique sapori proximus.

Oritur autem ab acido; & si sanguini recenter extracto immisceas oleum vitrioli, vel aquam fortem, exurgit inde color luteus, qualis in Ictero.

Podalir. Sed interim tamen Icterus nonnunquam oritur a morsu viperæ.

Philiater. Sic est; verum hoc confirmat adhuc magis sententiam meam, quandoquidem sanguis corporum a morsu viperæ mortuorum coagulatus esse reperitur, sine dubio non aliunde, quàm ab acido viperæ veneno.

Sed ut verum fatear, Domine, latrat mihi stomachus, ideoque, si placet, festinabimus domum.

Podalir. Eamus igitur, sed inter ambulandum reticere non possum, quod primum in has regiones perveniens in uno, & eodem lecto cum aliquo decubuerim, qui scabiem mihi affricuit; unde exoritur hoc malum?

Philiater. Etiam ab acido.

Podalir. Verumenimverò illud impossibile mihi videtur, nam solo sulphure tam internè, quam externè usurpato sanatus sum, cum tamen sulphur in se contineat spiritum valde acidum, sicut id melius novisti, quàm ego.

Philiater. Explicabo, si tibi molestum non sit parumper attendere. Sulphur sanat scabiem, non propter adjunctum spiritum acidum, nam ille solus nequicquam hìc adhiberetur, sed ob reliquam sulphuris substantiam, quæ saturata non est tanta acidi quantitate, quin ei facilè possit longè plus adhærere humoris acidi in scabie peccantis. Sic Mercurius præcipitatus albus mistus cum pinguedine, & externè illitus sanat scabiem, non ob acidum adjunctum, quod solum non juvaret, sed ob substantiam Mercurii, cui longè major acidi copia adhærere potest, quàm illi in præcipitato albo adjunctum est, præsertim si illud præcipitatum lavetur, priusquam adhibeatur, sicut plerumque fieri consuevit. Quod autem hæc res cum argento vivo ita se habeat, manifestum fit ex eo, quod solus Mercurius,

rius, magnus ille acidi magnes, sine acido adjuncto hunc morbum infallibiliter tollat, ut unicuique notissimum est.

Verumenimverò mirum tibi videri non debet, quod acidum solum tantam producere queat morborum varietatem. Videmus unum eundemque Solem indurare lutum, ceram liquefacere, denigrare hominum facies, dealbare lintea, &c.; eodem modo fieri potest, ut acidum aliter agat in hac parte, quàm in illa, aliter in osse, quàm in carne.

Et quod acidum summopere noceat in corpore humano, jamdudum novit *Hippocrates*, inquiens, humorem acidum reliquis præcellentem omnium esse incommodissimum.

Podalir. Omninò mihi satisfactum esse profiteor, ideoque hac vespera nullam tibi molestiam amplius creabo novis quæstionibus, sed inter cœnandum confabulabimur unà & jocabimur, seriis rebus aliquandiu sepositis.

F I N I S.

ABRAHAMI CYPRIANI

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS,

Anatomiæ & Chirurgiæ in Academia Franequerana nuper Professoris,

EPISTOLA

HISTORIAM EXHIBENS

Fœtus humani post XXI. menses ex uteri tuba, matre salva ac superstite, excisi.

INSIGNISSIMO VIRO

D. D. THOMÆ

MILLINGTON

Equiti Aurato, Medico Regio Ordinario, & Collegii Medicorum Londinensium Præsidi,

ABRAHAMUS CYPRIANUS

PH. M. D.

S. P. D.

CUM tuo rogatu accersituque (Vir Clarissime) calculum è vesica tua feliciter excidissem currente anno ætatis sexagesimo octavo, Tibique post miram peractam operationem fere quotidie assiderem, ut fit, inter nos sermo incidit de rarioribus quibusdam casibus, qui inter medendum occurrerant, quique ad Chirurgiam in primis spectabant; itaque dum inter alia Tibi narrarem de Fœtu ex Tuba Uterina exsecto, matre etiam nunc salva ac superstite, tuque a me continuò quæreres quid sit? cur hanc historiam adeo memorabilem scriptis nondum mandaverim, hoc in primis repsondebam, me, tum ob adversam, qua duos abhinc annos usus sum, valetudinem, tum ob varias peregrinationes vix tantum otii nactum fuisse, ut quæ jamdudum in adversaria retuleram, in ordinem quendam redigerem. Statueram enim solum hunc casum merito inter rariores numerandum, sed & alias quamplurimas observationes & curationes Chirurgicas minus obvias publici juris facere. Verum cum amici quidam doctissimi a me impensius efflagitent, Tuque potissimum Vir Celeb. auctor fueris, ut hanc Historiam sigillatim typis mandarem, Tuo in primis desiderio morem gesturus eam commentariolo illustratam Amplissimo tuo nomini inscriptam voveo, utque qua soles humanitate æqui bonique consulas enixe rogo.

Atque verò hic interim dolendum est, Chirurgos plerosque etiam celebres & magni nominis periculosas & difficiles operationes omni studio vitare, haud dubie verentes, si res minus feliciter, & pro ægroti voto successerit, ne quid detrimenti fama & existimatio apud vulgus ceperint. Hinc fit, ut morbis quotidie occurrentibus medentes & contenti ire quà itur, lucrum ex iis quærant, unde minus est invidiæ & periculi, difficiliora verò omnia recusent, nimium forsan illius memores, quod in scholis inculcatur: *Incurabiles non attingendi, ne ars diffametur*. At si quæ difficiliora sunt animosius ag-

grederentur, profectò multos a faucibus orci ereptos, vitæ valetudinique optatæ restituerent, quos absque omni spe & solatio deserunt, & insanabiles satis temerè aliquando pronunciant. Horum, uti plurimis saltem videbatur, insanabilium, tum in Patriâ tum hic Londini a me feliciter, Deo annuente, restitutorum, exempla non pauca, Tibi Vir Excellentissime; haud ignota sunt. Quod non ideo hìc memoro, ut inanem gloriam aucupari videar, sed potius ut aliis calcar & stimulum addam. Et profectò quantum inter revera incurabiles morbos, & tantùm putatitios intersit, vel unicus hic casus palam omnibus faciet.

Uti verò corporis humani fabrica jam perfecta & numeris omnibus absoluta meritò omnes naturæ scrutatores in sui admirationem rapit, sic eadem dum in fieri est, hoc est hominis generatio, summi videlicet Protoplastæ opus summum, mortali intellectui imperscrutabile multo magis & attentionem, & admirationem nostram meretur; in primis si devium extraordinarium & anomalum ejusdem modum, eumque sæpius vel matri, vel fœtui, vel utrique simul funestum spectemus. Quamobrem & si quas in materia adeo obscura & difficili conjecturas offeram censoribus quibusdam malevolis minus probatas iri non dubitem, spero tamen me apud æquos rerum æstimatores veniam facile impetraturum. Cum enim de accretione fœtus historia adhuc manca sit, & a nuperis etiam Anatomicis pene intacta relinquatur, nec non in iis, quæ ad tumorum theoriam, & ad ossificationem spectant coactus sum *Avia peragrare loca vix ullius ante pedibus trita;* Ecquis in re tam arduâ demonstrationes a me exigat? Si probabiles rationes, & verisimiles conjecturas proponam, si denique, quod dubitanter tantùm adduco, Tibi, & reliquis cordatioribus viris, quibus

De meliori luto finxit præcordia Titan,

non displicuisse sciam, erit, quod mihi multum gratulor.

Die 17. Decembris anno 1694. vocabar Franequera Leovardiam invisurus uxorem Henrici Lewis sub signo Capitanei Peterson militis Prætoriani *Hermentie ten Boom* vocabulo nostro belgico appellatam. Hæc annos circiter 32. nata, & cessantibus menstruis jam tertium imprægnata ad nonum usque mensem se experta est quoad omnia ingravidationis signa in eodem statu, ac dum alias utero gereret, hoc uno excepto, quod toto illo tempore nihil lactis in mammis appareret. Molestior etiam ipsi videbatur & insolita gestatio, in primis cum fœtus vivacis motum fortiorem & auctum persentiret: Crevitque maximè molestia gestationis cum loco non consueto, sed paulò altiori situm esse fœtum deprehenderet, ubi verò instaret parturiendi tempus tum magnos dolores sensit, tum etiam motus in fœtu vehementiores, adeo ut jam partus appropinquare videretur: verum omnia irrito prorsus successu. Nam præter crebras & magnas insueto in loco motiones nullus fœtum egrediendi conatus adfuit; neque ulla aqua Amnii effluxit. Exinde omnis spes partus legitimi evanescebat, & cessante tunc omnis fœtus motu, ac paulatim melius sese habente ægrâ, fœtum in hoc instanti fato cessisse, non est, quod dubitemus.

Elapso mense decimo fluxerunt de novo menstrua per totam gestationem suppressa, neque jam amplius motus aliquis in fœtu deprehensus, sed pondus tantum iners & incommodum. Hæc in dies augebatur molestia, sed præcipuè circa mensem decimum octavum ea fuit symptomatum ingravescentia, ut lecto decumbere Muliercula cogeretur. Paulò post de dolore acuto circa umbilicum partesque vicinas conqueri cœpit, Huncque dolorem duabus septimanis ante fœtus extractionem ulcus fungosum in regione umbilici subseque-

sequebatur. In consilium vocatis Medicis, ac Chirurgis in varias item est sententias. Aliqui fœtum in utero latere putabant repugnantibus aliis; quidam de Hydrope, quidam de excrescentia interna loquebantur.

Mensis erat a prima conceptione vigesimus primus cum ego advocabar Leovardiam comitante Cl. Collega *P. Latané* Medicinæ practicæ Professore, necnon quibusdam Academiæ Franequeranæ studiosis, qui unà cum Celsiss. Principis Nassoviæ Medico primario ac Chirurgis, & *N. Simonide* Chirurgo ægræ clinico operationis insolitæ, ac præsertim eventus felicissimi testes fuerunt.

Ego cum primum ægram conspexissem, & tam præteriti, quàm præsentis ejus status circumstantias omnes ad examen revocassem, eam fœtum mortuum gestare asserere non dubitavi; neque defuerunt signa assertionis meæ veritatem demonstrantia. Dum enim attentius omnia rimarer; deprehendi ventris intumescentiam inferius paulò in acumen desinentem, & corpus gravidum minus tamen tensum æmulantem. Insuper compresso fortiter utrinque ambabus manibus abdomine magnam sensi duritiem, quæ ad peritonæum usque pertingebat. Hæc autem durities evidenter magis observabatur circa ulcus inferius, quod fungosum existens stylum facile admisit, quo durum quid attingere mihi videbar. Hinc dilatato tantisper orificio digiti minoris apicem immisi, eoque fœtus os parietale me contingere mihi indubitanter suadebam. Ex iis audacior factus, & de situ etiam securus fœtum in tuba dextra uteri latere nullâ morâ pronunciavi, ægramque admonui, si sectionem admittere vellet, spem adhuc aliquam salutis superesse, cum cæteroquin mors miseranda eam præstolaretur. Ipsa interim jam sese movere non poterat, aut alimenta capere, verbo morti vicina: itaque admonitioni meæ faciles præbuit aures, atque constanti animo se quodlibet passuram dixit, ut quamprimum fœtus eximeretur. Omnibus igitur ad excisionem paratis ægram cum lectulo in mediam cubiculi partem deferri jussi, ut non solum utrinque famulis auxiliatrices manus porrigentibus locus foret, sed etiam ut eo facilius omnibus copia fieret novi hujus spectaculi. Et ut obiter hoc notem, cum ego non incurvatus aut sedens, sed pedibus stans atque erectus operationes Chirurgicas majoris momenti peragere consueverim, utpotè quod convenientissimum in similibus casibus multoties expertus sim, lectum, in quo ægra decumbebat, ita elevari jussi, ut pedibus insistendo sectionem commode instituerem. Deinde hoc modo procedebam.

Introducto per ulcus stylo abdomen a latere dextro aperui, ac indicem digitum immisi: ubi vero me intra tubæ fallopianæ cavitatem pervenisse deprehendi juxta rectitudinem lineæ albæ, forpice supra digitum posito deorsum versus scissuram feci, quantam una vice poteram. Tunc fœtus illico in conspectum venit, isque justæ magnitudinis. Hunc ut facilius absque ulla vi eximerem, aperturam utrinque produxi ad pedalem usque longitudinem, manuque sinistrâ leviter premendo intestina, aliàs operationem turbatura, si motu diaphragmatis extruderentur, in cavitate detinui, ac fœtum absque multo negotio integrum extraxi. Quin etiam in majorem cautelam, ne intestina delaberentur, ægram ita collocaveram, ut superiores corporis partes aliquantulum essent depressæ; imo in eodem hoc fere situ permansit Muliercula, donec prorsus convalesceret ad vitandam scilicet Herniam ventralem.

Factâ vero incisione caput fœtus primo sese ostendebat pedibus versus Diaphragma extensis. Mediante placentula tenui admodum & maxime ex parte consumpta, funiculus umbilicalis tubæ fallopianæ etiamnum adhærebat,

bat, uti mihi ulterius apparuit cum eam a tuba digitis decorticatam egisſem. Hujus autem cavitas undique mucagine quadam obducebatur, materiam purulentam æmulante. Verum illa propius examinata non pus, ſed reſiduum aquæ Amnii fuiſſe deprehendebam; utpotè parte nullâ interiori exulceratâ, ac materiâ nullo pacto fœtidâ exiſtente.

Vacua jam infantis cella nobis ſe in conſpectum dedit peramplâ cavitate magni inſtar marſupii, late patens. Hinc operæ pretium duxi ſpectatoribus demonſtrare eam partem, unde fœtum extraxeram, peritonæo adnatam ita fuiſſe, ut una quaſi videretur membrana. Deinde partem hujus ſacci inferiorem dextro lateri Uteri circa fundum affixam fuiſſe; qui tubæ locus cum ſit, neque ulla alia reperiretur, manifeſtum fuit in tuba dextra fœtum hæſiſſe. Data etiam copia uterum ipſum inſpiciendi ac contrectandi, illum in ſtatu naturali conſtitutum cum ovario, ac ſiniſtra tuba prorſus illæſis jucundum fuit omnibus oſtendere. Hiſque conſpectis non vano augurio, prout eventus docuit, pronunciavi, ſi modo ægra ſanaretur, eam denuò impregnari poſſe.

Sed ut hiſtoriæ finem faciam; madefactam aquâ tepidâ ſpongiam in cavitatem immiſi, eâque mucaginem omnem abſterſi. Tum probe mundatum vulnus acu curvâ quatuor in locis æquidiſtantibus conſui, comprehenſo, præter integumenta & muſculos, ipſo peritonæo. Duplici autem utebar filo cerâ illito; imo, ut firmior eſſet ſutura, laminam ligneam linteo obductam, qua ſecurius ora vulneris occluderentur toti inciſioni ab utroque latere applicavi, ac fila ſupra laminas, ſed non arctè ligavi. Ab ea ligatura majorem, quam a tota operatione dolorem paſſam ſe fuiſſe dicebat ægra, quæ alioquin vix de acuto dolore conqueſta eſt. Cæterum juxta inferiorem partem vulneris aperturam reliqui, eique turundam ingeſſi, ut materiæ omni ſecernendæ exitus pateret.

His feliciter abſolutis diætam tenuem, ac convenientem præſcripſi ex liquidis euchymis, &c. & poſtquam inter me & *N. Simonidem* Chirurgum ægræ clinicum de methodo ægram tractandi conveniſſet, reliquum curationis ipſi commiſi. Paruit omnibus ægra, & ſeſe obſequentiſſimam præbuit, ſummopere gaviſa eo uſque perductam eſſe operationem. Exinde ſenſim in dies melius ſe habuit, vires etiam acquirens. Præter Chirurgos quotidie eam inviſit *D. Portzius*, Sereniſs. Principis Naſſoviæ Medicus; quin & liberalitate Celſiſſ. Principiſſæ ex ejus culina ægræ alimenta ſubminiſtrabantur. Ego ſæpius & pro rei neceſſitate ad eam acceſſi, & expertus ſum vulnus illud ordinario prorſus modo ſanatum, nempe ſeparatione parietis interioris tubæ fallopianæ. Quodcunque excernebatur non tantum per orificium inferius effluxit, ſed etiam per interſtitia ſuturarum. Separatio autem facta fuit non tubæ totius, ſed membranæ ſolummodo interioris. Exterior paulatim ſeſe contraxit; & loco inciſionis peritonæo coaluit, ac duritie ſua cartilaginem æmulabatur; id quod vulnere nondum clauſo digito perſentire facile poteram.

Sic poſt ſectionem quodammodo Cæſaream convaluit hæc mulier, & tertio ab operatione menſe, decimo ſeptimo nempe Martii 1695. domo exivit. Exinde bene ſe habuit, & huc uſque hilariter & pancraticè vivit.

Poſtremo ne quidquam deſit caſui huic extraordinario, poſtridie Kalendas Januarii 1696 filiam feliciter peperit, iterumque ſubſequente anno 1697. gemellos filium & filiam enixa eſt, maximo indicio, ſicut antea monui, tubam ſiniſtram integram prorſus, & abſque inflammatione remanſiſſe. Quo pacto autem inflammatio poſt difficilem partum excitari, ac tubæ

orifi-

orificium occludi possit, ex subsequentibus palam fiet.

Ad majorem rei fidem, atque certitudinem fœtum ipsum nunc ante quinquennium exsectum, quem in liquore balsamico etiamnum integrum servo, curiosis omnibus & novitatum studiosis ostendere paratus sum. Fœmella autem fuit, eaque ut antea dixi justæ magnitudinis. Mirum est profectò per duodecim menses absque putredine cadaver illud in tubâ latere potuisse; excepto enim capitis latere sinistro, ejusdemque lateris humero, quæ partes cum è regione ulceris sitæ essent jam a materia purulenta corrodi cœperant, reliquum corpus adhuc integrum conspicitur.

Cum Epistola hæc de materia non adeo communi, sed rariore, & vere extraordinaria tractet; non abs re fore arbitratus sum, partes ejusdem aliquas, quæ majoris esse momenti videntur, ad examen revocare, symptomatum quorundam rationem subjicere & nonnullis hujus Epistolæ articulis, commentarioli in modum, ulterius immorari.

EXEMPLI GRATIA.

Quod toto gestationis tempore nihil lactis in mammis perciperit.

Plurima non tantum ipsi vulgò, sed & aliis Medico-Philosophis præconceptâ opinione laborantibus, videntur esse absurda; eaque imprimis quæ ad statum gravidarum & puerperarum pertinent: quæ tamen si accuratius examinentur, revera non absurda, sed potius verisimilia, & rationi consentanea videbuntur.

Sic in præsenti casu vulgò incredibile esse videtur, fœminam fœtum vitalem utero continere, & tamen lacte semper carere: fovente hanc opinionem eorum hypothesi erroneâ, qui lac è mammis ad uterum pro fœtu nutriendo confluere statuunt, vel qui ex sanguine menstruo retento lac generari credunt in mammis, adstipulanteque quodammodo huic dictæ opinioni falso, vel non satis intellecto Aphorismo *Hippocratis* Sect. v. 39. ubi inquit: *si mulier, quæ neque gravida est, neque peperit, lac habet, ei menstrua defecerunt*, item alio Aphorismo Sect. v. 37. ubi inquit *Cous senex: si mulieri uterum gerenti mammæ gracilescant, abortit*. Quia (inquit *Entius* statuens lac è mammis ad uterum ejusque membranam *Amnion* fluere. Apolog. Digress. 5.) nihil alimenti fœtui suppeditari potest, qui hac de causa tunc moritur & per abortum ejicitur. Sic vulgus menstruorum suppressionem in corruptis, signum ingravidationis esse putat: Si motus infantis non percipiatur, ejusdem mortem significari: partus octimestres non vitales esse pronunciat, & multa alia, quæ tamen ratio & experientia clarè satis refutant. Rationibus adducendis & excutiendis inhærere nimis prolixum esset, eæ enim suo loco apud Authores videri possunt: quid ab experientia nobis constet, satis patebit, si saltem Virorum & Virginum lactiferarum exempla consulamus: Ex his enim Aphorismum adductum Sect. v. 39. apertè deprehendetur non esse utrobique verum, Aphorismum autem posteriorem citatum ex Sect. v. 37. non semper experientiæ respondere, inter alios casus, historia ex relatione Viri cujusdam curiosi, & fide digni mihi communicatâ palam facit. Noverat (inquit is) nobilem puellam, quæ deflorata & etiam ingravidata a suo amasio per omnis generis remedia sibi a vetulis suppeditata, Catharthica, inquam, imo & venæ sectionem profusissimam abortum facere conabatur, mense gestationis fere quinto: donec tandem eo res devenerit, ut motus infantis non amplius perciperetur, & pubi moles incumberet iners

plumbei

plumbei ponderis; instar mammæ conciderent, lac disppareret. Hinc fœmina suspenso jam atque anxio animo, & de fœtu, uti putabat, mortuo excludendo solicita consilium, auxiliumque Medici expetebat, apertè scilicet atque ingenuè confessa suos conatus, quibus usa est ad fœtum enecandum. Ego itaque (pergit ille) jussi ut cibis euchymis & spirituosis reficiatur, porrò ut quieti indulgeat, & denique abstineat ab omnibus Catharticis & evacuantibus: quo facto infans denuò se movere cœpit, & decimo mense feliciter in lucem prodiit. Ex hoc casu edoctus sum (inquit) & mammarum concidentiam, & lactis absentiam, & motum infantis abolitum non usque vera esse abortus (juxta Aphorismum citatum) vel fœtus mortui signa, atque ex iis nihilo plus certo argui aut indicari, quàm fœtus languorem & imbecillitatem.

Ut vel hinc pateat falsam esse veterum opinionem, quæ decrevit ex sanguine menstruo retento lac generari, fœtum lacte nutriri, nec non lactis defectum abortus esse causam, atque etiam lactis in mammis præsentiam, menstruorum absentiam necessariò arguere. Experientiâ enim constat, fœminas præ terrore, vel alia quacunque causâ subitaneâ abortum passas, lacte non privari; Et quamvis mulieres, quæ præ solâ debilitate abortiunt, lac non percipiant generari in mammis, inde adeo hoc fit, quod eadem sit causa debilitatis, ac consequentis abortus, quæ simul lactis generationem impedit, nempe ariditas quædam, & inopia succorum omnibus corporis partibus necessariorum.

Quæ ratio autem in præsenti casu sit, quod fœmina toto ingravidationis, seu gestationis tempore nullum in mammis lac senserit, id videtur ad connexionem quandam intimam, & sympathiam uteri cum mammis referendum. Nam ante hac bis puerpera cum in utero ipso fœtum gereret, lac ipsi non defuit, quo nunc dum fœtus in tuba hæreret prorsus caruit. Itaque mihi videtur ad lactis generationem, ejusque incrementum, & copiam hoc multum contribuere, quod uterus, imprimis circa finem gestationis, in tantam molem extendatur, ut vasa ad inferiora tendentia magis solito inde comprimantur, iisque compressis sanguinis fluxus versus superiora uberior ascendit: sanguine autem copiosius affluente major etiam secretio in mammarum cellulis adiposis pinguedinem, & in aliis *glandulis lympham separantibus* oritur, eaque ipsa secretio vasa magis aperta, & ad separationem magis prona reddit, accedente suctione, frictione, & imaginatione matris lactantis circa mammas defixâ, quibus concurrentibus semel aperta, & dilatata vasa in statu solito conservantur, etiam utero jam concidente, & vasis non amplius compressis. Hoc, inquam, asserto facile apparet ex qua causa in præsenti casu lactis defectus oriretur; nimirum quod fœtus in tuba hærens, & consequenter a latere situs, vasa sanguinea, versus inferiora tendentia more solito non compresserit sanguinisque fluxum versus superiora solito majorem non effecerit. Et vero quemadmodum secretio lactis a compressione arteriarum, sic in gravidis intumescentia pedum a venis simul compressis oritur, unde major sanguinis remora circa glandulas, & major secretio, præcipue in cellulis adiposis, ubi ille tardior sanguinis motus superiora versus in causa est, quod loco pinguedinis, in istis cellulis, lympha secernatur, sicuti tardior motus sanguinis generalis, causa est secretionis lymphæ in cellulis adiposis per totum corpus, uti patet in Anasarcâ.

Dari quidem lac in mammis extra statum ingravidationis, & potest, & solet; hinc dantur non solum Virgines, & Vetulæ lactiferæ, sed & Viri lactiferi. Notabilis in hanc rem historia est, quam recenset *Cl. Diemerbroeck* lib. 2.

lib. 2. cap. 2. Anatom. *Illud ipsum (inquit) liquet Vianæ (quæ est oppidum nobis propinquum) ubi ante annos triginta, præterpropter in diversorio ante portam sito, cui caput porcinum pro insigni est, mulier caupona, non diu post obitum mariti peperit, atque statim post puerperium extincta est superstitem relinquens infantem suum sanum: cumque illi res angustissima domi superesset, ejus mater nominata Johanna Willtuyt, etsi & ipsa egena præ paupertate nutricem conducere non posset, tamen infantis filiæ suæ miserta, eundem enutriendum suscepit, ætatis suæ anno sexagesimo sexto; cum, inquam, eum vagientem, summâ cum commiseratione, mammis suis aliquoties apposuisset, eique papillam sugendam obtulisset, per fortem illam imaginationem, continuatam etiam suctionem, & contrectationem, mammæ lac dare cœperunt, idque paucis diebus tantâ copiâ, quæ nutriendo infanti abunde sufficeret, ita ut vix aliis alimentis indigeret: atque sic cum omnium admiratione infans lacte hujus vetulæ (cujus mammæ a plurimis annis omnino exaruerant, & conciderant, jamque rursus, tanquam juvenculæ de novo intumuerant) optime nutritus fuerit. Causæ prædictæ veritatem etiam non semel confirmarunt aliquæ virgines, quæ interdum virginitate illæsâ lactiferæ evaserunt, quales indubitatæ pudicitiæ lactiferas virgines mihi bis videre contigit.* Hæc prædictus *Cl. Diemerbroeck* loc. cit. Nam facili negotio, accidisse demonstratur: cum nonnullæ earum, quæ infantulorum, aut fratrum, aut nepotum commiseratione ductæ, vel ob solertiam, vel ob necessitatem egenorum propriam, vel tandem ob eorumdemmet matris absentiam ploratum teneré emittentium, viribus destitutorum, morti jam propinquorum, ut dicebam, commiseratione ductæ, mammas suas virgines magnâ charitate ipsis præbuerunt lactandi cogitationibus intentæ (quæ mammæ tunc sæpè contrectatæ, atque cum titillloso pruritu ore Infantis fricatæ, ac per assiduam suctionem lac abundanter dedere) interdum virginitate permanente, ac utroque pleno ubere parvulis lac præbuerunt, veluti matres ipsæ. Viri autem lactiferi hodie adhuc mihi noti, apud nostrates suppetit exemplum. Hic, inquam, alioquin satis obesus, & pinguis (in macilentis idem contingere vix possibile est propter humorum defectum) continua illa pressione mammarum ita easdem partes assuefecit, ut lac funderent quoties voluerit, sæpe cum adstantium mulierculárum risu, & admiratione. Est in omnibus his una eademque generationis lactis ratio, & partes ad generationem lactis necessariæ ubique eædem, nempe cellulæ adiposæ pinguedinem per structuram suam glandulosam a sanguine separantes, & glandulæ lympham ab eodem secernentes (statuimus enim lac nihil aliud esse, quàm mixturam pinguedinis cum lympha) ubi solummodo requiritur tanta istorum duorum humorum secretio, ut omnis quantitas, quæ separatur eodem tempore in sanguinem iterum non possit reduci, & cogatur per papillarum tubulos, dum abundat, foras effluere, aut saltem si tanta copia non adsit, ut multo facilius exprimi possit.

Hæc interim omnia non obstant, quin simul vasorum sanguiferorum uteri compressio supra allegata sit vera, & sufficiens causa ad lactis generationem tempore gestationis. Possunt enim & solent sæpius dari plures causæ homogeneæ, subalternæ, coadjuvantes & ad unum eundemque finem tendentes, neque sibi mutuo contrariantes.

Fœtum in tuba repertum iri.

Postquam magna illa Analogia observata fuit inter partes generationi inservientes ipsius hominis, & aliorum oviparorum, fœtusque in tubis hærentes

rentes apertis cadaveribus sæpius reperti sunt (quod & in hoc casu in muliere viva licuit videre); nullus est, qui amplius dubitat tubas uteri esse ductus, per quos fœtus ab ovario ad uterum transit; sed quæ sit causa cur fœtus jam in tubam illapsus non semper ad uteri cavitatem usque protrudatur, sed aliquando in tuba hæreat, & quidem ibi debito incremento augeatur, id quidem examinare operæ precium duxi. Hujus itaque rei duplicem statuimus causam naturalem nempe, & accidentalem. *Naturalem* illam nomino, ubi tuba vitio connato malæ conformationis non sit pervia circa uteri introitum, & sæpe adeo angusta, ut ne quidem flatus circa extremitatem fimbriatam immissi penetrare, & ad uteri cavitatem procedere queant. *Accidentalis* illa est, ubi a casu aliquo ex. gr. post partum difficilem, vel alia quacunque de causa, tuba inflammatione correpta est, unde ejus insertio coaluit, transitusque ad uterum interceptus fuerit. Omnes enim partes, & præcipue canales atque ductus corporis nostri, ubi privantur humore, eos naturaliter humectante coalescunt. Sic etiam tuba Fallopiana constans tunica interna glandulis referta, eum in finem ut è glandulis hisce continuo exudante liquore conglutinatio præcaveatur, & ductus suus lubricus reddatur, atque sic ovis in eandem devolutis facilis in uteri cavitatem pateat transitus: si, inquam, in tuba dicta casu aliquo, & violentiâ externâ inflammatio oriatur, per inflammationem hanc secretio glandularum debita impeditur, & sic coalescentia oritur. Casus autem similis ex violentia externa sæpe numero accidit illorum culpâ, qui manus auxiliares parturientibus præbent, præcipue ubi placentam magis solito adhærentem per funiculum umbilicalem avellere conantur, ignari interim quis verus sit, & maxime idoneus separandi modus. Hinc fit, ut totum uteri fundum violenter interdum trahant, & consequenter tubis simulque aliis annexis partibus vim inferant; unde necessario sequitur inflammatio. Inflammationis autem effectum esse coalescentiam, observarunt haud dubiè illi, quibus licuit plurima cadavera aperire; sic semper videmus post pleuritidem pulmones eo loci pleuræ adnatos, ubi pleura inflammatione correpta fuit, sic post frequentia tormina ventris intestina sibi invicem, & cum peritonæo sæpius coalescunt. Ratio ubique eadem est; nam sicuti pleuræ, ita etiam peritonæi facies interior multis gaudet glandulis, quæ continuo partes irrorant, hinc dum vel pleura, vel peritonæum inflammatione corripiuntur, nihil hujus humoris necessarii debite constituti a sanguine separatur, & consequenter partes, ob defectum irrorationis, atque lubricationis debitæ, mediæ collabuntur, & coalescunt. Idem est de omnibus cavitatibus nostri corporis judicium.

Tubas autem Fallopianas non solum circa uteri introitum claudi, & cohærescere observamus, sed etiam circa extremitatem earundem fimbriatam, & magis apertam: Id quod licuit mihi observare in fœmina quadam, quæ cum quarta jam vice pareret, ex difficili partu, sed multo etiam magis, quod ab Imperita obstetrice, dum placentam paulò arctius utero adhærentem extraheret, violentissime tractaretur, in tantos dolores infimi ventris, ac præcipue circa lumbos incidit, ut totos 15. dies jaceret moribunda, & pro deploratâ haberetur, verum ipsa satis robusta cum esset, & doloribus ferendis par, adhibitis opportunis remediis, præter spem, & expectationem omnium feliciter evasit, & decem post annos superfuit: circa lumbos autem insignem debilitatem semper sentiebat, & exinde sterilis permansit. Ejusdem hujus fœminæ, tandem mortuæ, cadaver cum mihi forte fortuna liceret aperire, ut subitaneæ mortis causam inquirerem; hanc interim notatu dignam sterilitatis causam inveni nempe coalitionem extremitatis fimbriatæ tubarum,

ortam

ortam ab inflammatione, qua partes utero contiguæ correptæ sunt post partum ultimum laboriosum, & male administratum.

Ex hoc & similibus casibus abunde liquet, quàm exitiosum sit in partu difficili obstetricibus uti imperitis, aut etiam Medicis, vel Chirurgis non satis exercitatis: cum patientes, & si forte superstites maneant, hujusmodi accidentia, & quandoque etiam pejora ad mortem usque comitari soleant. Porrò ab hac malè administrata operatione alia adhuc tubis imbecillitas accidit, quæ applicationem partis fimbriatæ ad ovarium impedit, & propter quam ova nequeunt ad uterum usque protrudere; paralysis nempe fibrarum motricium exterius tubam amplectentium, earumque motui peristaltico inservientium. Hæc, inquam, ab enarrata jam causa facillimè oboritur, nempe ubi nervi in parte inflammatione correptâ concrescunt, & inutiles redduntur.

Perspectis jam causis, quarum ratione quandoque fœtus in tuba hæreat, neque ad uterum progrediatur: reliquum est, ut paulisper expendamus quomodo fœtus interiori tubarum tunicæ sua cum placenta affigatur, ibique æque ac in utero suum acquirat incrementum.

Id quod ut facilius intelligatur, primo opinionem meam quomodo idipsum in utero contingat tradam, ac tandem analogiam inter uterum & tubas demonstrabo: ubi satis clarè elucescet modus incrementi fœtus in tuba. Postquam ergo tot Viri illustres circa enodandam generationem hominis in ovo laborarunt & illam satis clarè demonstrarunt, nullus videtur dubitandi locus amplius restare, cum manifestum sit, fœtum in ovo omnibus suis partibus absolutum & quidem membranis cum placenta munitum, (quoad primam idæam & delineationem in germine hæc intelligo) ab ovario per tubam fallopianam ad uteri cavitatem protrudi, ibi remanere & incrementum suum habere. Hoc autem incrementum ovo accedere ab ipso loco, cui adhæret, seu uteri ipsius, seu tubæ, inde sequitur, quia illud ovum non tantum substantiæ in se continet, quanta requiritur ad nutritionem increscentis fœtus, cujus contrarium quidem observare est quotidie in ipsis proprie oviparis, quorum ova tantum spatii continent, quantum toti materiæ sufficit, quæ incrementum pulli in cicatricula hærentis converti debet. Ut ergo fœtus ab utero recipiat humores ad sui incrementum necessarios, debet illi quasi affigi, & ut ita dicam quodammodo inclavari, adeo ut deinceps efformentur tubuli, aut continui ductus ex utero in fœtum quibus mediantibus humores imo ipse sanguis tandem communicentur.

Qua autem ratione illud fiat demonstrare *hoc opus hic labor est*. Et certe dolendum est a cadaverum apertione populum usque adeo abhorrere, ut non liceat satis frequenter inspicere, ac perscrutari corpora mortuorum imprimis vero gravidarum. Neque enim dubito quin multò plura circa generationem possent detegi, si frequentias prægnantium cadavera liceret examinare, & præcipue quidem abortientium, vel alio quocunq; morbo ad uterum gravidum spectante extinctarum. Plerunque enim partium structuram melius observamus in corporum statu præternaturali, ac morboso, quàm sano: cujus exempla hic plura possent adduci, sed ad rem. Itaque videtur esse explicatu admodum difficile, quomodo antedicta illa insitio, sive inclavatio placentæ in utero fiat. Sententiam autem meam super hac re breviter in sequentibus explicabo. Atque imprimis experientia teste videmus, postquam ova aliquot dies nondum utero alligata, sed libera, ac mobilia fuerint, eorum superficiem externam, præcipuè loco placentæ, villosam fieri, ipsisque filamenta quædam fluctuantia, levissimi musci ad instar, adnasci; quæ

quidem filamenta, intra superficiem antea compacta, ubi ovum ad majus spatium, uteri nempe cavitatem pervenerit, humiditate ibi contenta lubricantur & quasi evolvuntur, ac extricantur. Eadem hæc filamenta pro tubulis esse habenda arbitror ad humorem percipiundum apta, instar tenuissimarum fibrarum in radicibus humores nutritios è terra ad corpus plantæ vel arboris deferentium: illos autem tubulos recipiendis humoribus necessariò inservire, qui in superficie internâ uteri glandulosâ naturaliter secernuntur: Tunc præcipuè ubi ovum motu intrinseco humorum in se contentorum in tantam magnitudinem excrevit, ut latera vicina uteri premat, utpotè quorum interna cavitas fabæ majusculæ dimensionem ordinariò non excedit. Ex hoc mutuo attactu, non fine aliqua compressione, fit ut superficies externa ovi, quasi detracta pelle, præcipuè loco placentæ, superficiei internæ uteri agglutinetur, & tubulorum in ovo hærentium pars aliqua (nempe quæ ad hanc rem satis fit) cum poris secretioribus glandularum in interna facie uteri consitarum uniatur, tandemque continui ductus fiant: eodem planè modo quo videmus coalescentiam aliarum partium contingere: ex. gr. malarum cum gingivis ubi earum alterutra est ulcerata vel excoriata, (id quod semper accidet hoc in casu nisi frequenti lotione impediatur continuus ille contactus) sed hisce diutius immorari supervacuum est, cum ex pluribus in Chirurgia hujus generis exemplis idem elucescat. Hæc verò filamenta vel tubulos, venas placentæ ad venam umbilicalem tendentes subintrare supponimus eodem modo quo vasa lymphatica per poros obliquos foras intro transeuntes, in venas ingrediuntur, iisque omnes humores in cavitatibus corporis nostri existentes inferunt. Certum enim est ferè omnes humores ad certos usus secretos in massam sanguineam iterum reverti: sic lympham ex superficie internâ peritonæi glandulosâ perpetuò stillicidio depluens ad faciliorem partium contentarum motum, & earum concretionem impediendam in venas ubique per cavitatem infimi ventris & superficiem membranarum sparsas redit: eosque meatus obstructos pro ordinaria causa Ascitis habemus; eodem prorsus modo lympha in membranis glandulosis cerebri secreta & in ventriculis, & interstitiis ejusdem contenta in sanguinem iterum regreditur; quo regressu impedito in infantibus, quibus propter interstitia membranacea cranium potest dilatari, Hydrocephalos oritur: in adultis autem ubi cranium extendi non potest, hujusce liquoris circulatio impedita apoplexiam insanabilem & mortiferam infert, cerebro a nimia ejus quantitate compresso. Denique eadem ratione multorum morborum causa & origo ex hoc fonte derivari potest.

Suppositis itaque hisce omnibus, quæ superius recensita sunt, nempe succum in superficie uteri interna naturaliter secretum, venas placentæ subintrare, eumque ad fœtus incrementum, & aquæ in amnio contentæ generationem inservire, sequitur corpus uteri magis magisque debere extendi, & ipsius substantiam extricari, & evolvi, vasaque etiam eidem inhærentia prius clausa, & sanguinem nondum admittentia tum demum aperiri, atque eo pacto circulationem per majorem peripheriam fieri. Omnes enim partes totius nostri corporis ex vasis sunt conflatæ, quorum plurima semper humores vehunt, uti majores arteriæ, venæ, nervi; &c. aliqua autem tantum in statu morboso, ut in inflammationibus partium molliorum & in exostosi ipsorum ossium; ubi non solum vasa membranarum sanguinea, quæ prius quam in ossa mutarentur erant aperta, formatis autem ossibus clausa, & indurata, iterum aperiuntur; sed & ipsi nervi in substantia ossea obliterati rursus spirituum influxum admittunt ossibusque sensum eundem reddunt, quo antea sub forma membranarum ante ossificationem gaudebant; Alia tandem sunt vasa, quæ

non

non nisi certis temporibus dilatantur: sic videmus in fœtu nascendo, & recens nato sanguinem implere vasa minima cuticulæ, in eaque circulari, & totam rubore perfundere, quæ vasa tamen nato fœtu, pauco post tempore elapso, ab aëre ambiente, eademque comprimente ita clauduntur, ut rubor penitus evanescat. Exterior enim hic aër sua compressione sanguinem cogit versus interiora, ita ut ille postea in minori peripheria circuletur, hinc motus cordis, & arteriarum sanguinem ulterius protrudere non valet, quod quidem poterat in utero matris adhuc fœtu hærente, & nulla aëre ambiente, unde vasa capillaria comprimerentur. Hic loci etiam observare est, vasa uteri, quæ extra statum gravidationis membranam ferè exanguem componunt; eadem tempore graviditatis evolutis uteri tunicis aperiri, & sanguinem uberiorem vehere, eumque tantâ copiâ, ubi menstrua statis temporibus non fluunt, versus fœtum dirigere propter vasa jam magis patentia, ut major jam oriatur pressura in glandulas uteri, usque adeo, ut quæ in principio lympham tantum fœtui communicarant, ab influente sanguine dilatentur, & tandem ipse per eos fluat, perque ductus jam descriptos ad venas umbilicales deferatur, tanta quantitate, quanta ad fœtus incrementum, liquorisque in amnio secretionem est necessaria. Ejusmodi sanguinis transitus per poros secretorios in pluribus partibus corporis nostri, quandocunque est in statu aliquo morboso, observatur, experientia, & praxi quotidiana testante; v. g. in renibus, si forte exhibeatur nimia diureticorum acrium (uti cantharidum, &c.) quantitas. Neque enim est quod credamus tunc extremitates vasorum sanguiferorum (quas non admittimus), uti volunt, aperire, sed tantummodo ipsius medicamenti acrimonia poros vasorum glandulas componentium, quasi tot terebris ita dilatari, ut non solum humor secernendus, sed & ipse sanguis transeat. Idem mihi licuit videre in fœmina, cui a lochiis retentis sanguis tantâ violentiâ, & tanta quantitate superiora versus ruebat, ut per vasa oculorum secretoria loco lymphæ lacrimæ sanguineæ magna copia effluerent: Idem observabatur in ejusdem fœminæ glandulis ad os pertinentibus, & præcipuè quidem ad gingivas, quæ instar spongiæ compressæ, undique sanguinem emittebant; sic sanguis loco sudoris excernitur, ubi præ nimia anxietate major sanguinis determinatio est versus corporis peripheriam, quorum omnium eadem est ratio.

Hoc tantum differentiæ inter allata exempla, & casum hunc nostrum intercedere jam videtur, quod iste certò quidem sit naturalis, exempla autem de statu morboso agant, ubi non tam facilè remedia adhibita operantur, inde adeo quod etsi jam causa sit ablata, pori tamen non facilè claudantur, & ad pristinum statum reducantur; nulla, inquam, talis difficultas est in puerperis, ubi excluso fœtu & secundinis, brevi tempore uterus rursum ita coarctatur, ut vasa illa omnia, quæ dilatato utero aperta fuerant, iterum occludantur, eorumque tubuli, & canales ad sanguinem recipiendum inepti reddantur. Plura hìc possem addere de menstruorum & lochiorum fluxu; sed cum hæc non sint hujus loci, pergam ad examen tubarum, ut pateat, quæ sit analogia earum cum utero, & quomodo in iisdem fœtus etiam suum habere potest incrementum. Diximus uteri faciem internam esse glandulosam, talemque structuram requiri ad inclavationem placentæ, eadem autem ipsissima conformatio reperitur in tuba: diximus exiguitatem cavitatis in utero multum contribuere & necessariam esse, accedente mutuo illo, & continuo contactu, ut fiat coalescentia, atque eadem cavitas pauló minor est in tuba, ita ut facilius huic placenta possit accrescere: diximus vasa dari in substantia uteri, quæ pro ratione dilatationis uteri aperiuntur, & sanguinem reci-

recipiunt, eadem ipsissima reperiuntur in tuba, quamvis non æquè magna, sed interim satis patentia, uti docet experientia in præsenti casu.

Hæc verò vasa tam uteri, quàm tubæ, sunt innumera, quorum paucissima pars in statu non gravido sanguinem admittit, reliquisque tunc non patentibus & visum fugientibus, quæ tamen ex impregnatione dilatantur, ac per appositionem particularum nutritiarum sanguinis ampliora, & firmiora fiunt, unde in tantam molem, in quam hæc tuba excreverat, potuerint extendi; cum enim nunquam vasa in corpore nostro formentur de novo, non possimus sine admiratione observare ex quàm ingenti vasorum imperceptibilium copiâ singulæ partes corporis sint conflatæ, sicut in hac tuba naturaliter exiguâ, sed in hoc statu in immensum extensâ, conspicuum est: verum non semper, uti in hoc casu accidit, ut vasa integra maneant, & absque disruptione extendantur: dantur enim exempla, teste *Vesalio* apud Dn. *de Graaf*, ubi tubam (pro alia matrice habitam) ruptam fuisse post mortem apparuit, procul omni dubio a nimio impetu sanguinis affluentis in vasa ad subitaneam illam dilatationem a natura non destinata; Eadem de causa fœtus in abdominis cavitate repertos subinde fuisse credo; ruptâ enim tubâ, placenta, *quamvis adnata*, pondus fœtus non potest ferre; nam & in ipso utero si fœtus ab aqua Amnio contenta, cui innatat non undique sustineretur, continuo ferè fœminæ abortum paterentur. Hoc incrementum tubæ, (id quod magis admirandum est) interdum contingere etiam ubi fœtus in eadem reperitur disruptis licet vasis, & destructis partibus ferè omnibus, ex quibus componitur, non paucis exemplis posset probari, unum tantum instar omnium, hic operæ pretium duxi inferendum exemplum (ubi tuba conspiciebatur cum utero satis insolitæ figuræ, vasisque spermaticis non ordinario modo dispositis, & duplicatis etiam ureteribus) cujus casus historiam, ad rem nostram facientem, breviter subjungo.

Filia civis cujusdam mediocris sortis & conditionis, matrimonium inierat cum viro Nobili, sed propter inæqualitatem status ab omnibus mariti consanguineis contemptui habita, tandemque ab ipso marito deserta fuit, adeo ut per aliquot annos Amstelodami sub parvo lare pauper & mœrore confecta viveret; tandem post aliquod temporis intervallum redit maritus, sæpius invisit fortunæ prioris restitutionem pollicitus: inter has blanditias ex iterato concubitu gravidam se esse mulier credidit, suspicione hac in dies auctâ ex ventris tumore & menstruorum absentiâ (etsi ex hac mensium suppressione nihil certi colligere potuerit; jam enim longè ante a regulari periodo defecerant.) Consanguinei hac de re interim certiores facti, maritum aggrediuntur, immutant animum, & eousque iterum alienant a conjuge, ut nec promissis staret, nec miseram unquam amplius mulierem inviseret. Atque postrema hæc mariti aversatio priore longè gravior tanto mœrore uxorem afflixit, ut ipsa toto graviditatis suæ (sic quidem putabat) tempore tristis semper & melancholica videretur, diesque summo cum tædio tereret; elapsis tandem novem mensibus nullum successit puerperium; at obstetrix eam invisens gravidam esse credebat, quamvis nullum infantis motum percepisset unquam, opinionis suæ rationem istam afferens, nempè quod fœtus unà cum matre langueret, & præ debilitate se movere non posset. Cum verò elapso tempore non pareret, Hydrope laborare putabatur, & quod sequutum est totum biennium, continuo remedia varia contra hydropem incassum tentabat. Cumque jam monstri instar in lecto jaceret, & propter ventris incredibilem molem atque tumorem, vix omnino corporis partes tam superiores; quam inferiores conspici possent, advocabar ego ad paracentesin instituendam; simul autem

ac

ac ægram in hoc statu viderem, manus ab operatione consultò equidem abstinui (utpote qui summa pro temeritate semper habuerim In Ascite firmato Paracentesin attentare. Sed de his alibi) Fœminæ hujus cadaver, cum paucos post dies fatis cessisset, aperui, & vel minimam quantitatem aquæ in ipsa cavitate abdominis nullam reperi, sed totum illum tumorem monstrosum nihil aliud fuisse, quàm tubam uteri in immensam molem extensam, atque in se continentem præter propter 150. libras aquæ, quas inde exhausimus: sed quo melius omnia, & accuratius examinare possem, tubam hanc cum utero annexo domum, data venia, mecum retuli, & ad vivum delineari curavi, poteståque ipsa pictura apud me videri; ubi conspicitur utraque tuba fallopiana, aquâ repleta una, altera vero ejusdem expers omnino, &c. Substantia verò tubæ membranacea exhaustâ aquâ ultra triginta libras pendebat; cui aderat lympha in gelatinæ formam mutata, & procul dubio in glandulis tubæ secreta: ubi etiam diversi generis substantia ipsa erat, ac in eadem quoque conspiciebantur tumores nonnulli carcinomatosi a materiâ intra glandulas tubæ contentâ exorti. Nam inter schirrosum, cancrosum, seu carcinomatosum, & alium quemvis tumorem in abscessum degenerantem, nullam prorsus differentiam agnoscimus, quàm quòd materia cancrum efficiens sit liquor secretus adhuc in corpore glandulæ contentus, & cum nullo alio humore mixtus, obstructo vase secretorio, qui liquor ibi continuo crescens, & propter firmitatem membranæ glandulam complectentis non erumpens, nullamque aliam viam in sanguinem redeundi inveniens, non potest resolvi, ibique crassescit, & glandulas induratas, nullique amplius emollitioni, aut discussioni contentorum auscultantes efficit. Hinc in pus converti non potest; ad puris enim confectionem requiritur mixtura diversorum humorum, ut postea suo loco videbitur. Tumores autem in glandulosis partibus suppurationem subire apti, fiunt ab humoribus jam per vasa secretoria extra glandulas productis, ibique extravasatis, & cum diversæ naturæ humoribus commixtis, de quibus alibi ex professo.

Antequam autem hanc historiam deseram, libet insuper quid sentiam de hujus tubæ in tantam molem intumescentis causa in medium proferre, & non dubito, quin in principio gravida fuerit illa fœmina, & fœtus hæserit in tuba, ibique non magnum ceperit incrementum, sed brevi post conceptionem extinctus sit, quem tamen propter exiguitatem, & substantiæ tubæ perturbatum chaos in dissectione videre non licuit. Mortuo jam fœtu propter inclinationem majorem sanguinis jam factam ad illam partem, & vasis jam aliquomodo magis dilatatis, tantus sanguinis fuit impetus in glandulas internam tubæ tunicam construentes, ut continua ibi facta fuerit secretio lymphæ, quæ tandem hunc Tubæ hydropem peperit; nimirum quod lympha illa nullas in sanguinem redeundi vias invenire poterat, & tubæ insertio in uterum erat occlusa: ut patet ex alia figura apud me detenta.

Placentam exsiccatam & in membranaceam substantiam mutatam vidimus.

Id quod necessariò debebat sequi: nam post elapsos novem menses mortuo jam fœtu nulla amplius sanguinis circulatio continuari potuit; Et quamvis placenta conatu fœtus exitum incassum quærentis non esset separata a tuba, ut ab utero fieri solet in partu naturali, sanguis tamen in ea circulari non potuit, nec ex parte matris, quia sanguis maternus ad venas placentæ perveniens, atque ibi sanguini fœtus jam stagnanti occurrens motum proprium

prium amittere debet: quia quamvis satis magna pressione in ductus communicationis jam descriptos influere conetur, sanguinem tamen fœtus in motum ciere non valebat, sed jam extra peripheriam circulationis tubæ in ductus communicationis derivatus ibique hærens, & regredi nescius in membranaceam substantiam facessit; eadem prorsus ratione qua videmus, infante jam nato, simile quid fieri in vasis umbilicalibus: ubi nempe sanguis ab ipso umbilico (jam scilicet ligato) usque ad arterias crurales stagnans, cum contra motum proprium per arterias umbilicales regurgitare nequeat, tandem exsiccatur atque in membranaceam substantiam, & ligamentum mutatur. Hujusmodi mutatio sanguinis pedetentim, & gradatim facta in vitulis (præ aliis animalibus) quotidie potest observari. Est porro quiddam (hic obiter notandum) quod ex prædictis quàm clarissime patet, nempe sanguinem rite mixtum, & particularum ipsum componentium debita proportione constantem, quamvis etiam stagnaverit, non solum non mutari in pus, sed etiam non putrescere; de quibus alibi. Hæc placenta maxima ex parte exanguis facta, & in membranam mutata, ac cum tubæ substantia quasi una effecta, non potuit alias, quàm ex parte, a tuba in operatione per me instituta separari uti eam delineatam apud me videtur. Denique hæc placentæ, & tubæ concretio, atque in unam eandemque membranam mutatio, non obscure demonstrat vasorum in iis continuitatem: si enim partes istæ tantum essent contiguæ (uti multi volunt) & simplici solum suctione placenta aliquid ab utero, vel tuba recipere, procul dubio perfecta hujusmodi in unam membranam mutatio, uti in hoc casu videmus, non oriretur, sed partes istæ potius mortuo infante sponte secederent, atque etiam in hac operatione facilius ab invicem separari potuissent.

Molestior ipsi videbatur gestatio.

Hanc molestiam a loci angustia, & sublato corporis æquilibrio deducimus; tuba enim in quibusdam diversam plane ab utero habet structuram, & vasa ipsius non sunt a natura disposita ad facilem illam evolutionem, quæ reperitur in utero. Hic enim lintei complicati, & in parvum globum compressi ad instar facile in planum latius extenditur. Hinc vel minimus infantis in tuba hærentis motus insolitam molestiam inferre debuit. Præterea corporis æquilibrium ablatum non parum molestiæ necessariò creavit; scimus enim quàm molestum sit onus aliquod inæqualiter a quacunque corporis parte externa libratum: quâ de re experientiâ quotidie docemur a bajulis, qui incredibile pondus dorso, & capiti impositum commode satis portant absque magno molestiæ, & defatigationis sensu, dummodo illud ipsis ad æquilibrium imponatur, quod si secus fiat impossibile est ipsis, vel momento temporis sustinere. Hinc ergo non est quod dubitemus, corpus infantis non in centro abdominis sed a latere positum maxime ægræ onerosum fuisse magnamque molestiam ipsi attulisse.

Non est quod dubitemus fœtum tunc mortuum fuisse.

Quæritur hic: quare infans iste cui nulla exeundi patebat via, cui nihil nutrimenti deerat, nihilque aquæ effluxerat, uno verbo, cui nihil demptum erat, non diutius vixit, sed præcise elapsis novem mensibus mortuus est, cum tamen de partubus decimestribus, & undecimestribus, &c. satis fide dignæ historiæ extent. Respondeo, ubi partus tempus ultra nonum mensem pro-

protrahitur, certum est fœtum esse debilem, ejusque partium incrementum lentius solito fuisse factum, & hoc ipsum quidem foraminis ovalis tardiorem in corde diminutionem atque conniventiam arguit. Hujus enim foraminis minorationem pro maximâ maximeque genuinâ causâ motus exitum parantis, seu calcitrantis fœtus, & dilacerationis membranarum habemus. Ubi nimirum hoc foramen ovale fit minus, tunc & sanguinis fluxus in pulmones necessariò debet esse major, hæcque major sanguinis quantitas non potest transire, nisi vasa pulmonis ab aëre inspirato comprimantur, sicque in illis acceleretur sanguinis motus, & circulatio. Quod si secus contingat, cordis motus perturbatur, & functiones necessariæ irregulariter procedunt, tandemque moritur infans, quæ omnia etiam fœtui intra tubam concluso necessariò accidebant.

Mense decimo iterum fluxerunt menstrua.

Cum jam mortuo infante nihil amplius sanguinis ipsi suppeditaretur, ille solitas vias iterum petiit, & sese per vasa secretoria more solito menstrualim nempe exoneravit. Quæ autem sit proprie hujus menstrui fluxus causa in fœminis, variæ apud auctores sententiæ proponuntur. Juxta alios, inquam, causa hæc assignatur, quod enim in uteri substantia interiore *admodum paucæ sint venæ*, per quas copiæ tantæ sanguinis, arteriarum beneficio affluentis (supponitur interim uterus plurimas habere arterias) circulatio commode fieri possit, & orificia tubulorum uteri sint laxa, & mollia, hinc fit, quod redundans sanguis, qui ob copiam satis citò circulari nequit, per dehiscentia, & aperta tubulorum orificia, nec non per fines vasorum in collo uteri hærentium, ut supervacuus, & Naturæ suâ copiâ molestus, foras effluat. *Alii fermentum certum uterinum* pro causa assignant, & statuunt materiam quandam fermentariam in liene, hepate, pancreate, glandulis, aliisque partibus progigni, quæ unà cum sanguine per arterias, aut per vasa lymphatica ad uterum delata, atque ibi partitè deposita, & pauiatim coacervata (semper enim in dissectis viscosus, seu mucosus quidam humor invenitur) a specificâ quadam uteri proprietate peculiarem quandam qualitatem nanciscitur, sicut eadem in ventriculo aliam peculiarem qualitatem adipiscitur, qua chylus ex alimentis educitur. Itaque hæc qualitas a calore loci excitata humorem istum, cui, ut subjecto inhæret, in sanis mensis spatio ad tantam volatilitatem perducit, ut sponte sua, effervescat, specificam quandam fermentationem sanguini introducat, qua totum mulieris corpus, imprimis partes utero vicinæ (in aliis magis, in aliis minus) conturbantur, & sanguis superfluus turgescentiâ suâ vasorum orificia dilatans, foras proturbatur: qualitate autem illâ, aut dicti humoris fermentarii justâ volatilitate deficiente (uti fit in gravidis, in refrigeratis, aut longo morbo confectis, &c. item in brutis) simul deficit ista menstrua evacuatio.

Alii Lunæ influxui menstruorum periodos, Lunæ, inquam, humorum dominæ assignant, unde tritum illud emanavit:

Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat.

Sed missis his, & aliis opinionibus, ubi quisque suo abundat sensu; sententiam meam paucis subnecto, & judico idem hic fieri, quod alias tempore gestationis fieri solet, dum fœtus in utero sanguine matris nutritur. Sicuti enim utero gerentibus per glandulas uteri sanguis loco illius humoris viscidi ibi continuo secerni soliti profluere solet, itaque eodem prorsus modo in non gravidis fieri putandum est menstruis fluentibus, ubi portio sanguinis abun-

dans exitum quærit, præcipue circa illas glandulas, quæ naturaliter ita sunt dispositæ, ut earum pori facile ab impetu sanguinis aucto dilatentur, & sanguinis motu iterum diminuto etiam facile contrahantur, ita ut tantummodo mucoso humori secernendo transitum præbeant. Sanguinem, inquam, menstruum hoc modo profluere arbitror, non autem per extremitates vasorum apertas. (uti voluerunt veteres) Ea enim vasa semel aperta difficillime iterum clauderentur: a posteriori vero satis clare probatur sanguinem hunc menstruum effluere per poros vasorum glandulas componentium, nempe ubi examinamus statum partium, v.gr. in fluore albo, qui est humor in istis glandulis ordinario modo secretus, sed majori, quàm par est, quantitate: Dum enim humores more solito augentur, & aliqua pars eorundem debet evacuari, & motus sanguinis est tardior in corporibus istis fluore albo laborantibus, ipse sanguis per poros secretorios non prorumpit ob deficientem, aut nimis languidum ipsius motum, sed humor ille ibidem secerni solitus majori quantitate labitur, atque in plurimis ægris non solum certis temporibus, sed continuò foras effluit, propter nimis flaccidos, & apertos poros, a continuo illo humore acri transfluente, & contractionem pororum (quæ naturaliter post fluxum menstruorum contingere solet) impediente, ita ut continuâ evacuatione, fœminæ fluxu albo laborantes præter modum enerventur, & tantum non ad tabem perducantur. Hæc cum ita sint, satis clare patet, quàm difficile sit dictum fluxum album curare, porosque illos debito vigori restituere, ut sese iterum more solito contrahere possint, cui nemo practicorum non facile assentietur. Porro ad hujus sententiæ elucidationem multa possent adferri Phænomena, quæ observantur sæpe numero in gonorrhæa virulenta fœminarum, sed de his aliâ occasione. Fermentationem in sanguine, aliasque causas ab antiquis recensitas pro vera fluxus menstrui causâ non admittimus, sed solummodo sanguinis bene constituti nimis magnam copiam exitum quærentis, ubi nempe is ad certam quantitatem naturæ molestam pervenit, & per illas vias, quæ huic exonerationi idoneæ, & destinatæ sunt, evacuari conatur, quales sunt ipsæ glandulæ uteri, & vaginæ. Hæc exoneratio in fœminis non gravidis est necessaria; nam præter externa quædam conformationis discrimina inter virilis, & fœminei corporis constitutionem ea maxime naturalis est differentia, quod in fœminis, iis præcipue, quæ ad pubertatem pervenerunt, sanguificatio sit copiosior, quàm quæ ad nutritionem proprii corporis requiratur, adeo ut tempore graviditatis fœtum suo sanguine ad hunc finem redundante possint nutrire, in non gravidis autem illa nimia sanguinis quantitas, dicto modo debeat evacuari. Si enim hæc facultas plus sanguinis conficiendi, tantummodo ubi ingravidantur, in fœminis vigeret eademque mox a partu iterum cessaret, quomodo quæso id fieri posset absque magna, & insolita naturæ fœmineæ mutatione? Verum illa sanguinis superfluentis copia, atque ubertas sicuti circa pubertatem primo oritur, ita ingravescente ætate in fœminis senioribus tandem occidit, ubi natura jam non sufficit ad pleniorem illam sanguificationem. Dicimus porro menses bono, & laudabili sanguine constare, & menstruali illâ evacuatione humores corpori suâ qualitate noxios uti volebant veteres non excerni, sed verum, & incorruptum sanguinem, qui sola quantitate molestus sit. Si enim qualitate etiam peccaret in gravidis, ubi nulla evacuatio fit, gravissima, ob retentos istos humores (ex hoc supposito) symptomata, orirentur aut saltem cogeremur statuere fœtum impuro nutriri sanguine: cujus contrarium tamen verisimile esse docet experientia.

Justæ

Justæ magnitudinis absque ulla putredine.

Cum jam semel fœtus mediante placenta sua tubæ interiori tunicæ esset affixus, & modo jam dicto sanguinem a matre reciperet, ipsaque aqua Amnii debitâ quantitate secerneretur, ut tuba necessario inde deberet, vel sufficienter extendi, vel rumpi, nihil erat, quod ostaret, quin fœtus in debitam magnitudinem excresceret. Angustia loci incrementum fœtus impedire nullo modo poterat, cum non corpus fœtus succrescens, sed aqua Amnii pro ratione augmenti sui, tam quantitate, quàm humiditate tubam extendat, impediatque quominus ille a tuba comprimatur. Quod enim partes membranaceæ inprimis a contento in se humido facilius extendantur, quàm dum eædem siccæ, duræ & sibi relictæ sunt, quotidie observatur, v. gr. in hydrocephalo facile, & absque ullo fere dolore dilatantur membranæ cranii, & ossificatio impeditur; quia contentum illud humidum vasa membranas illas componentia, laxiora efficit, & influxum sanguinis promovet id, quod ossificationis impedimentum est. Contrarium videmus in eo casu, ubi membranæ dilatantur a corpore duro, ex. gr. a calculo in uretere hærente, a quo non solum difficulter extenditur, sed intensissimos simul patitur dolores. Quemadmodum autem aqua Amnii incremento, & extensioni partium favet, ita fœtum non ea sed sanguine matris nutriri, & ipsius vasa, quæ corpus ejus componunt per appositionem particularum humoris, quem vehunt, ampliari, atque sic incrementum corpori accedere omnino credimus, cum satis sanguinis, uti jam vidimus, ad fœtum fluat, & sanguis humoresque ab eo secreti ad omnium partium nutritionem sufficiant. Atque hinc aquæ Amnii alium usum, & necessitatem assignamus, nempe illam inservire uteri, vel loci, ubi fœtus hæret extensioni, ut partes absque impedimento incrementum capiant fœtusque facilius sese movere possit, & a lateribus uteri, vel Tubæ non comprimatur, tum præterea quod suos quoque habeat usus tempore partus, lubricando vias exitui fœtus destinatas. Aliquid hujus aquæ Amnii per os posse intrare non omnino negamus, nempe ad humectanda interius, & dilatanda intestina, ne illa nimis contraherentur, (contractio enim intestinorum ab inedia, vel aliâ quacunque causa nimis exsiccante, oriri potest, quorum quotidiana videmus exempla) vel pro attemperanda bile, succo pancreatico, humoreque, & fermento in tunicis ventriculi, atque intestinorum secreto. Qui humores cum a circulante, omnibusque suis particulis constante jam sanguine separentur, & nihil inveniunt, in quod agant, haud dubie majorem in dies acrimoniam concipiunt, & hinc opportune satis a prædicta aqua Amnii attemperantur. Ab istis etiam humoribus in intestinis fœtus secretis meconium, & non a residuo aquæ Amnii oriri statuimus.

At fortasse quidam hic quærent, cur fœtum humanum sanguine ipso nutriri statuam, & non alio potius humore sicuti pulli in ovo, qui nihil sanguinis, dum ova incubantur, suscipiunt; Porro objicient alii in brutis plerisque animalibus cotyledones ab utero separari nullo sanguine prorumpente, ideoque minus verisimile esse sanguinem ipsum ab utero in cotyledones deferri, sed humorem prorsus alium in uteri substantia secerni, ex quo in cotyledones translato, reliqua animantium genera nutriantur, atque incrementum suum habeant.

Ad hæc autem respondeo, analogiam in omnibus animalibus per omnia similem non dari, sed tantam potius differentiam, & tam multiplicem varietatem a summo Protoplasta in rebus creatis esse constitutam, ut eo ma-

jore admiratione afficeremur, & agnoſceremus ipſius opera eſſe ſine fine. Et quid quæſo tandem obſtat, quo minus etiam ovum in ovario humano poſſet tantam materiæ quantitatem a matre accipere, qua totus fœtus poſſet increſcere, & nutriri, ac poſtea per ductum tubæ majorem ad uterum delabi, & abſque adhæſione, ibi quaſi incubari, & ſuo tempore excludi? Nihil præterea impedit quin fœminæ omnino ovi paræ eſſe poſſent. Ideoque hoc unum ad prædicta reſpondere poſſumus, nimirum Deo placuiſſe, ut imperſcrutabile generationis opus, in diverſis animalibus hoc modo varietur. Quocirca etſi verum eſſe concedatur beſtias non ſanguine, ſed ſolo humore a ſanguine in ſubſtantia uteri ſecreto nutriri, hinc tamen non ſequitur idem contingere in homine. Cæteris enim animalibus, nec lochia poſt partum, nec menſtrua extra tempus ingravidationis fluere ſolent; at vero in genere humano ſeparata placenta ante fœtus excluſionem tanta ſanguinis profuſio ex uteri ſubſtantia fieri ſolet, ut brevi moriatur mater ab illa, quam tunc patitur hæmorrhagiâ, & ſimul fœtus quaſi ſubmergatur, niſi ab aliquo ſatis perito ſtatim auferatur infans, & in lucem producatur. Hoc autem facto, uterus exoneratur, dataque copia ſeſe contrahendi ſenſim concidit atque conſtringitur, denique vaſa ejus maxima ex parte clauduntur, & hæmorrhagia diminuitur. Atqui vero ſi nullus ſanguinis ipſius tranſitus daretur ab utero ad placentam, unde hæc tanta hæmorrhagia poſſet oriri, & quare ſeparata placenta, humor ille alter ſecretus non ſolus profluit? Sed puto hinc abſque ulla difficultate poſſe concludi, fœtum humanum ipſo ſanguine materno nutriri, atque ab eo nutrimentum ſuum habere. Quomodo itaque fœtus in præſenti caſu ad juſtam pervenire, & ſuccreſcere magnitudinem potuerit in tuba æque, ac in utero jam vidimus: ſed quomodo incorruptus, & integer abſque putredine ad tot menſes durare poſſet multi mirabantur, in primis illi qui ante operationem factam ullum hic omnino fœtum fuiſſe negaverant, ea potiſſimum ratione perſuaſi, quod fœtus tanto temporis ſpatio in corpore materno delitefcens neceſſario corrumpi ſoleat, ac debeat. Et quidem fatendum eſt hoc plerumque aut etiam ſemper accidere, ubi fœtus in utero ipſo continetur, ibique moriens non excluditur, nec data occaſione extrabitur: idque propter aëris introitum ſeſe per uteri orificium internum inſinuantis: cujus plurima exempla paſſim exſtant. Atqui vero huic fœtui in tuba hærenti, idem non contigit ob præcluſum omnem aëris introitum, qui ſi in tubam uſque penetrare poſſet fœtus corruptionem haud dubie acceleraſſet. Hujus autem rei veritas quotidianâ fere Chirurgorum obſervatione comprobatur; nempe partes quaſcunque præternaturaliter affectas, & in cavitate aliqua corporis incluſas corrumpi atque ſuppurari, ubi aër externus illas attingere poteſt, ſicuti contrarium evenire ſolet, ubi aër non poteſt intrare. Utriuſque habemus exemplum in præſenti caſu, ubi fœtus incorruptus intra tubam uſque latuit, donec ulcus ab interiori Tubæ membrana exortum ad exteriorem uſque ipſius cutis ſuperficiem ſerperet, cujus per fungoſam, & laxam ſubſtantiam particulæ aëreæ ſeſe inſinuantes primam putredinis labem intulerunt, nempe partibus ulceri vicinis atque ſubſtratis. Hoc enim ulcus ſi non exitiſſet, procul dubio fœtus integer atque ab omni putredine immunis permanſiſſet. Sæpenumero enim reperti ſunt fœtus in Tubis abſque ulla putredine omnino exſiccati, qui a plurimis annis ibi hæſerunt, atque in globum omnis externæ figuræ expertem mutati, pro mola vel fruſto carnis informi habiti ſunt: cum tamen in ipſis hujuſmodi molis, ſi benè examinentur & extricentur, omnes partes fœtus plerunque apparere ſolent, & quidem debita proportione formatæ. Quæ partes ſuis membranis involutæ poſt mortem fœtus a contractione tubæ ſæpe

ita

ita comprimuntur, ut figuram tantum irregularem, & superficiem inæqualem præ se ferant: id quod frequenter licet observare in vaccis propter sterilitatem saginatis, & mactatis. Idem certe accidisset, & in præsenti nostro casu, si unius lateris os parietale ab inæquali pressione tubæ idem os alterius lateris non transcendisset, & suo margine serræ ad instar, peritonæum vulnerasset, eaque ratione ulcus fungosum, & aëri ad cavitatem tubæ transmittendo idoneum, procreasset.

Nihil aquæ Amnii repertum fuit, sed materia quædam mucosa.

Omnes liquores naturaliter in cavitatibus nostri corporis contentos in membranis glandulosis, quibus continentur a sanguine secerni, & pro ratione qua secernuntur etiam iterum in sanguinem modò supra dicto reduci, nullus dubitandi amplius restat locus. *Sic aquam pericardii* in interna pericardii superficie glandulosa a sanguine secerni, & in venas reintrare credimus, eamque sic continuâ quadam vicissitudine quasi renovari; quæ si eadem semper remaneret ex stagnatione procul dubio in deterius mutata usui, ad quem a natura destinabatur, minus apta redderetur, parte scilicet ejusdem subtiliore continuò per poros æque subtiles avolante. Hinc enim crassior evaderet & cordi ad se facilius & liberius movendum non tam adjumento, quàm impedimento esset. *Similiter humorem aqueum* in oculo generari, & circulationis legibus, more aliorum succorum, subjici experientia docet, utpote qui interdum regenerari soleat, si quando forte casu aliquo effluat, & effundatur. Pari ratione etiam aquam in Amnio contentam toto gestationis tempore non semper eandem esse numero statuimus, eamque (præterquamquod aliquod per os intrat) ope venarum, quæ reperiuntur in membranis in sanguinem fœtus reduci, & ab humore ex eodem sanguine in superficie placentæ interna, ac glandulosâ secreto denuò instaurari, ut utrobique verum sit tam in microcosmo, quàm in macrocosmo, quod Poëta canit:

Ut vitium capiant ni moveantur aquæ.

Exemplum hujus rei evidentissimum in hoc nostro casu suppetit, ubi aqua Amnii mortuo jam fœtu non amplius circulans partem suam subtiliorem per insensibilem transpirationem amisit, & quod reliquum erat, gelatinæ instar in tuba concrevit; fœtumque amplius a compressione satis tueri non potuit. Porrò observamus etiam aquas præternaturaliter in plerisque aliis cavitatibus corporis collectas & stagnantes, colore mutato turbidas, & concretas conspici. Retulit mihi Dn. D. *Sylvester* Med. Doct. Londinensis se hydropicum quendam apertum vidisse, cujus abdomen gelatina quadam repletum esse observabatur; quin etiam ipse Amstelodami, dum curationem palliativam cuidam hydrocele laboranti adhiberem, scrotumque ipsius acu Barbettiana perforarem, ut aquam ibi contentam emitterem, nihil extraxi, præter aquam tenacem, quæ non sponte effluxit, sed manuum ope & pressu quasi emulcta exstillabat, adeo ut eam solâ punctione, quod tamen in aliquoties antea in eodem ægro cum successu tentaveram, evacuare amplius non possem. Quamobrem ipsi curationem eradicativam proposui, quam etsi æger antea recusasset, cum videret tamen se more solito sublevari non posse jam facile admisit. Ubi ergo toti scroti cavitatem aperirem, ut separationem membranæ istius humorem continuò exstillantis expedirem, & recidivam impedirem, inveni aquam diversi coloris, turbidam, eamque tenacem: procul dubio, quia pars subtilior ejusdem transpirasset ob continuos fotus, quibus prædictus æger tunc usus fuerat per menses aliquot, ex consilio Medici sui: quod quidem

cum

cum antea non fecerit aqua etiam antehac magis fluida reperta est. Quocirca hinc jam satis clarè patet unde in nostro casu illa materia mucosa fœtum ambiens, totamque faciem tubæ interiorem contegens ortum traxerit, quodque eadem materia mucosa aquæ in Amnio secretæ pars crassior fuerit, quæ per insensibilem transpirationem avolare non potuit, non autem materia purulenta, prouti prima quidem fronte a nonnullis adstantium esse credebatur. Sic enim sæpenumero falluntur illi, qui materiam similem mucosam in cadaveribus repertam pro materia purulenta habent. Sic memini me aperuisse abdomen cujusdam hydropici, in quo paracenthesis antea fuerat instituta ad evacuandas aquas, sed pessimo (uti solet) cum successu. Inveniebatur, inquam, ibidem similis materia omnia intestina, & reliquas infimi ventris partes tegens; adeo ut ex adstantibus aliqui statim omnia intestina, & reliquas partes ulceratas pronunciarent, atque hinc mali successus causam deducerent; ubi verò hæc materia spongiis, & aqua tepida fuit ablata, nihil in abdomine ulcerosi apparuit, omnisque partium in eodem contentarum superficies intacta conspiciebatur: quod si nobiscum paulò attentius reputemus quid propriè, & necessariò requiratur ad puris confectionem non tam facile decipiemur: qua in re paucis opinionem meam exponere non gravabor. Statuimus itaque nullos humores corporis nostri, quamvis extravasatos, esse mutabiles in pus, quamdiu illi seorsim absque commixtione aliorum humorum sinceri permanent. Ideoque sanguinem extravasatum, & eadem textura præditum, qua in vasis fluit, inque interstitiis partium sine mixtione commorantem, non mutari in pus omnino affirmamus; id quod experientia quotidiana nos docet in Chirurgia. Sæpius enim observatur sanguinem extravasatum imprimis in vertice capitis post casum aliquot septimanas incorruptum reperiri, & prorsus immutatum extrahi; ubi nempe fotibus aliisque ad resolutionem topicis frustra applicatis, tumores tandem aperiuntur. Omnis mutatio, quam solet, & potest in tali casu sanguis subire, est, quod is quodammodo coagulatus interdum apparet, præcipuè ubi continuo fotuum usu pars ipsius subtilior avolavit per insensibilem transpirationem: Memini tamen me decimo nono post casum die extraxisse sanguinem floridum, & fluidum in vertice cujusdam nautæ extravasatum, qui cum esset ebrius ex summo navis per operculum apertum, in ejusdem cavitatem vacuam ceciderat. Ille enim quamvis emplastrum de cumino continuò parti applicatum fuisset, tamen quia capilli non fuerant abrasi, sed forcipe tantummodo abscissi, cutemque haberet maximè induratam, inde adeo quod susque deque habita omni aëris inclementia capite aperto semper incedere assueverat, evaporatio partium subtiliorum sanguinis facta non est, eaque de causa sanguis fluidus repertus est. Aliud exemplum addam de sanguine coagulato incorrupto reperto & incluso in eadem membrana unà cum tumore carcinomatoso glandulæ parotidis, quem Amstelodami extirpavi anno 1680. Patre meo præsente; Iste æger postquam tumore carcinomatoso juxta aurem sinistram quatuor annos laborasset, qui magnitudine ovum gallinaceum exæquaret, ejusdem acerrimo dolore ex improviso correptus est, quem dolorem tumoris incrementum satis insolitum sequebatur, adeo ut intra sex septimanas ad pugnorum duorum magnitudinem increverit; quo tempore magnum is dolorem tensivum patiebatur, omnino distinctum a dolore lancinante, quem quandoque in tumore antea senserat. Cum jam per annum post incrementum illud subitaneum Chirurgi plurima emplastra, & cataplasmata maturantia nullo cum successu applicuissent, sperantes scilicet nec absque ratione, se tumorem ad suppurationem perducturos, propter subitaneum illud incrementum,

tum,

tum, extravasationem humorum indicans; tandem ubi humorem non satis fluctuantem & maturum sentirent, ideoque tumorem aperire non auderent, nihil præter extirpationem totius tumoris (si vellet sanari æger) superesse pronunciarunt. Tunc inter alios Chirurgos Pater meus quoque consulebatur, qui cum examinatis omnibus idem sentiret, nempe nihil præter extirpationem superesse; æger operationi, curæque patris mei se submisit. Cum itaque ego, præsente Patre meo, extirpationem aggrederer & circa basin, tumorem more solito separarem, tanta sanguinis grumosi copia prorupit, ut in media operatione sistere, partemque sanguine scatentem abluere coactus fuerim, quo mihi copia melius videndi fieret quid porrò agendum restaret: ablutâ itaq; parte tumorem reliquum ovum magnitudine æmulantem feliciter abstuli, ægerque brevi post sanatus est. Notandum hic quoque aliquid satis insolitum, nempe quod sanguis ille grumosus extravasatus, & in eadem membrana cum tumore carcinomatoso contentus, tam arctè conclusus, & tam crassis integumentis tectus, ut sua duritie atque inæqualitate ipse tumorem carcinomatosum referret, nihil in se tamen purulentæ materiæ continuerit. Plura hujus generis exempla satis insolita possem adducere, sed cum non dubitem quin allata abunde demonstrare possint, sanguinem extravasatum nulloque cum humore mixtum non mutari in pus, hisce supersedeo. Sic lympham etiam omnis generis non mutari in pus quotidie satis superque observatur in hydropicis, in hydrocele laborantibus, in hydrocephalis, &c. neque etiam lympham crassiorem in pus mutari observamus, uti lympha intra articulos reperta, ad faciliorem motum ossium, quæ si per accidens detineatur & in tumorem exsurgat, si sola & sincera maneat lymphæ specie aperto tumore effluet. Lympha albuminis ovi instar crassa Ganglion efficiens nunquam ad suppurationem perducitur, cum sit liquor secretus in superficie interna vaginarum tendines amplectentium ad faciliorem tendinum in iis motum procurandum; qui propter crassitiem istarum vaginarum non facile prorumpere potest, nec propter obstructionem pororum iterum in sanguinem redire. Ejusdem generis lympha tenax, & crassa reperitur in ranulâ, tumore sub lingua orto, quæ nunquam mutatur in materiam purulentam, etiamsi per annum & ultra ibi extravasata contineatur. Nec tantum in supra narratis, sed in aliis etiam corporis partibus similes quotidie occurrunt lymphæ extravasationes, absque subsequente suppuratione.

Pinguedo si extravasata hæreat, & stagnet, per se sola & absque aliorum humorum affluxu, nullam fere subit mutationem; præterquamquod aliquando durior, aut liquidior evadat; sed in pus nullo modo convertitur, uti observare licet in Atheromate, Steatomate, Meliceride, &c. qui tumores per annos quamplurimos durant innoxii nulla interim subsequente suppuratione. Denique idem de cæteris humoribus in corpore repertis esto judicium.

Ut igitur pus formetur requiritur, ut humores diversæ naturæ extravasati invicem misceantur, & simul fermentationem quandam subeant: Hinc pro varia miscelæ atque humorum diversitate, diversum quoque genus puris formatur. Si humores lymphatici diversæ naturæ colligantur extra vasa, & misceantur, simulque acescant, & fermententur, formatur pus ichorosum, si sanguis cum alio misceatur humore, dicitur pus saniosum, verùm, ut pus laudabile fiat, & bonum, requiritur mixtio lymphæ cum pinguedine, qui duo humores si extravasati certa proportione misceantur, abscessus ut plurimum efformantur; unde etiam observatur illas partes, quæ hisce humoribus abundant, magis abscessibus esse noxias, id quod quotidie conspicitur

tur in mammis mulierum. Hæ enim cum præ cæteris partibus, abundent duobus illis humoribus ad lactis generationem necessariis, frequenter etiam abscessibus infestantur: interstitia musculorum propter eandem rationem sedes ordinariæ abscessuum esse videntur. Quin etiam ipsa ossium medulla, in membrana glandulosa ossa interius investiente a sanguine secreta, & pinguedinis instar communis circulans in pus mutatur, quoties lympha per ossa porosa facta ad eam penetrat: id quod observare licet in illis, qui tophis laborant. Hoc enim in casu ossa dilatantur, molliora redduntur, (apertis iterum vasis eadem componentibus) transitumque præbent humoribus lymphaticis extravasatis, & ipsis incumbentibus: id quod sæpius mihi observare licuit. Hæc autem puris formatio, & eo loci collectio cum dolore præ cæteris acerbissimo fieri solet: cum enim dolor abscessum æquè dependeat a partis extensione, ac ab humoris contenti acrimonia, videmus partes illas, quæ difficilius extenduntur majori dolore affici: sic ubi semel pus in ossium cavitatibus formatur, & propter ossium nimiam resistentiam per membranam medullam cingentem non possit foras prorumpere, atque hinc per totam ossis longitudinem hæc membrana prematur, necessariò dolor intensissimus debet oriri, qui quidem nullis remediis cedit, nisi os ipsum in cavitatem usque perforetur, ut puri detur exitus. E contrà verò partes hisce humoribus, lympha nempe, & pinguedine non abundantes, abscessus non patiuntur, qualis est ipsum corpus musculi carnosum, quod nunquam abscessu infestatum vel pure repletum visum fuit, & si aliquando pus intra membranas scroti collectum observetur, a perinæo id ut plurimum originem suam habere solet, adeo ut si probe hanc rem examinemus, patebit pus propriè dictum solummodo ex lympha cum pinguedine mixta generari. Quod si remotis omnibus obstaculis spontè ex ulcere, aut vulnere profluere possit, sit pus laudabile, sive balsamum illud, quo natura in sanandis ulceribus ipsa utitur: adeo ut nostrum tantum sit medicamentis topicis, & instrumentis prospicere, ne aliquid hujus puris hæreat, ubi possit sua mora acescere, & consolidationem, quam natura molitur, impedire; quod quidem bestiæ continuò lambendo ex naturæ instinctu perficiunt, sed de his plura suo loco ubi de iis ex professo agemus, hæc tantum ad elucidationem casus præsentis adducta sunto, & ad demonstrandum materiam illam in Amnio repertam purulentam non fuisse.

Aperturam perduxi ad pedalem longitudinem.

Duplici de causa hanc aperturam tantæ longitudinis feci, primò, ut ablato fœtu omnes partes separandæ facilius possent foras sese protrudere. Si enim tota cavitas ad imum usque fundum non fuisset aperta, pars certe magna materiæ separandæ simulque pus ex oris vulneris continuo fluens, & propter ægræ situm ad cavitatem illam prolabens, in ipsius parte infima subsederant, unde a natura difficilius superiora versus rejici aut expelli poterant; donec putredinem ex mora concepissent, totoque hinc tandem sanguine infecto, certam mulieri mortem attulissent. Alia ratio fuit, ut fœtum commodius absque omni violentiâ per vulnus possim eximere; si enim angustior fuisset hæc apertura, adeo ut hinc coactus essem vi aliqua vulneri illata fœtum extrahere, multa sane & graviora symptomata ex vulneris contusione orta procul dubio partes vicinas tumefecerant febremque auxerant, quibus ægra resistere tandem amplius non posset, cum eadem febre continua ante operationem afflicta, jam summe debilis & morti proxima jaceret. Cæterum aperturas atque incisiones fere in omnibus operationibus Chirurgicis, quoties cor-

corpus aliquod magnum extrahendum est, prælargas fieri oportere nempe ad præcavenda symptomata graviora, quæ certo certius aperturas minores comitantur, exemplis bene multis & observationibus confirmare possem; Atqui unum tantummodo hic proferam, quod pro norma esse poterit in reliquis id genus operationibus.

Sclopetarius in urbe Franequerana degens & herniâ intestinali jam ab aliquot annis magnâ laborans, quam tamen pro lubitu reducere, & fere omnia intestina in abdominis cavitatem, ubi vellet, reponere posset, negligenter usque sine ullo subligari incessit; adeo ut intestina suo pondere peritonæum magis magisque in dies dilatarent. Hic cum die quodam extra urbem exivisset, frigoreque se correptum sensisset, domum rediens intestina non potuit amplius in suum locum reducere, propter inflammationem & tumorem circa annulum; quæ symptomata brevi ita increvere, ut excrementa non solum per intestina, quæ jam in scroto continebantur transire non possent, sed illa, quæ ad annulum usque pervenerant, sursum regurgitarent, & ab ægro evomerentur. Cum itaque in deplorato hoc statu versaretur, & spes vitæ vix ulla superesset, advocabar ego circa undecimam vespertinam, & ægrum agonizantem inveni. Parte affecta autem examinatâ maculas quasdam in scroto vidimus, gangrænæ imminentis signa infallibilia: Hæc autem omnia symptomata a strangulato intestino provenire discipulis meis aliisque adstantibus denunciabam, neque ullum jam remedium præter reductionem intestinorum, facta prius apertura, superesse. Cum fomentationes aliaque ejusmodi remedia incassum fuissent applicata: denique periculum esse in mora. Annuentibus itaque amicis ægroti, quamvis non magna spes boni successus jam tandem superesset, ad operationem me accingo, satius esse credens, anceps remedium adhiberi, quàm nullum, præsertim cum ægrum si forte aliis de causis, at contra tamen is ex operatione ipsa non moriturum satis mihi constaret experientia edocto operationem hanc in Bubonocele, si recte fiat, non esse lethalem. Paratis ergo omnibus in hanc rem necessariis ægrum cum lecto super tabulam eo in situ posui, ut pedibus stans, operationem possim perficere: Itaque a scroti & productionis peritonæi apertione incepi, ut intestina contenta detegerem; quibus detectis digitum, conductorem omnium optimum, & simul forcipem supra digitum introduxi, scrotumque & peritonæi productionem secundum totam longitudinem aperui: quo facto præter expectationem apparuere intestina crassa æque ac tenuia; intestinum enim cæcum cum magna parte coli, & majore adhuc ilii portione nudum illico in conspectum venit, colore omnium mutato, ob gravem, & diuturnam illam strangulationem. Hoc viso majorem solito aperturam esse instituendam statim dixi, ut facile & absque ulla vi aut pressione intestina in cavitatem abdominis reduci possint. Si enim apertura parva tantum fieret, & intestina (quæ jam plus debito antea, ubi reductionem tentabant, compressa fuerant) absque ulteriori compressione reduci non possent, procul dubio mortificatio (quæ jamjam imminebat) evitari non poterat. Aperto itaque scroto supra stilum cannulatum a latere intestinorum in cavitatem abdominis introductum, cultello annulum eo usque dilatavi ut indicem manus sinistræ facile supra stilum potuerim introducere; quo facto extraxi stilum, & supra digitum forcipe tantam aperturam feci per integumenta, & tendines musculorum infimi ventris (qui annulum, per quem peritonæum sese prolongando una cum intestinis in scrotum delabitur, componunt) atque etiam per ipsum peritonæum ipsis subjectum ut absque ullo impedimento intestina tam crassa, quàm tenuia reducerem. Verum in reducendis illis difficultas alia inexpectata mihi occurrit, coli nempe intestini

eum productione peritonæi in ipso annulo coalitio; quam cultro separare coactus sum, & quamvis operatio inde retardata multo difficilior redderetur, peregi tamen eo cum successu, ut reductis intestinis, & sutura in annulo facta, partibusque reliquis incisis, æger statim sublevari se sentiret, vomitusque cessarent, placideque illa ipsissima nocte dormiret, magna cum febris, quæ antea aderat, diminutione, meliusque in dies se haberet, & brevi, quamvis jam quinquagesimum ætatis superasset annum, sanaretur.

Ex hac historia non obscurè colligi poterit, quanta cum ægrorum utilitate in hujusmodi casibus incisiones amplæ & majores fiant, adeo ut ausim asserere plerumque ob nimiam hac in re Chirurgorum cautelam curationes ægrorum retardari, doloresque augeri, denique pauco dari casus ubi largius incidere non liceat, & profectò non prosit. Hoc interim lubens concedo in facie id esse evitandum propter deformitatem, in collo vesicæ idem prohiberi, propter urinæ incontinentiam, quæ frequenter nimis magnam incisionem eo loci factam consequi solet; ideoque in ani sphinctere (quantum possibile est) pari cautione procedendum. Quocirca singularem hunc casum eo tantum fine hic proposui, nempe ut satis clarè pateat, quàm necessarium sit quandoque largius incidere, & non tantum esse periculi ex incisione peritonæi, quantum sibi persuadent illi, qui pro metu hæmorragiæ cautè nimis, & parce incidendo symptomata interim alia auxere, non sine infelici operationis successu: Tantum abest, ut existimandum sit peritonæi vulnera esse lethalia. Non possum autem præterire quin hic addam, quod mihi observare licuit in hoc ægro post sanitatem ipsi restitutam. Nempe herniam de novo propullulasse a latere factæ incisionis; cujus tamen cicatrix tam firmiter ossi pubis loco incisionis adhærebat, ut nullus recidivæ metus superesse videretur. Huic tamen ut in posterum caveret subligaculo se munire coactus est, quod quidem ipse antea ferre non poterat propter intestini Coli cohæsionem cum ipso annulo. Cum, inquam, hoc intestinum nullo modo tunc temporis reduci posset, compressionem ejus immediatam tolerare non poterat. Notandum etiam in transitu, quàm inutilis sit operatio quæcumque in adultis, cum post incisionem licet annulus vel ligatura, vel cicatrice occludatur, plerumque tamen vel a latere nova formatur hernia inguinalis, vel a superiori parte hernia ventralis; eo nempe in loco, ubi tendines magis laxi reperiuntur. Causa enim herniæ ordinaria est tendinum ad musculos abdominis pertinentium *debilitas*, qui relaxari, fibrarum suarum separationem facilè admittunt: peritonæum enim, quia solum sua vi ponderi intestinorum sustinere, ipsisque incumbentibus resistere non potest, paulatim extenditur, & per interstitia fibrarum tendinosarum scrotum versus delabitur, atque una cum intestinis herniam facit. In infantibus minus adhuc admittenda est hæc operatio, quia hi ferè omnes dum adhuc crescunt, ubi robustiores fiunt simplici subligaculo sanantur, dummodo hernia a prolapsu tamdiu impediatur, ut fibris annulum componentibus detur tempus sese contrahendi. Sed hoc obiter notandum, nempe in Gallia, Italia, Hispania magnam partem hominum herniâ laborare ob usum olei continuum (olei enim apud ipsos idem usus est, qui apud nos butyri) & Franequeræ in Frisia tertiam fere partem incolarum herniæ esse obnoxiam ex continuo lactis ebutyrati usu. Itali quidem, & Hispani utuntur oleo, quia illo abundant, longe magis quàm butyro. Franequerenses autem dum volunt otio indulgere, malunt per desidiam tenui victu, & lacte ebutyrato vesci, quàm labore, & industria victum meliorem quærere, & mereri. Sicut autem oleum in Italis, Hispanis, & Gallis, ita lacticinia in Franequerensibus hernias frequentiores procreare possunt, corporis partes nimis humectando, lubricando, & relaxando.

Tubæ

Tubæ facies interior sub finem curæ cartilaginem æmulabantur.

Tubam fallopianam naturaliter constitutam, nunquam in os, vel cartilaginem mutari satis liquet. Ergo ut explicetur hoc phœnomenon, quomodo nempe in præsenti casu hæc mutatio accidit, vel potius necessariò fieri debuit; demonstrandum erit, quæ partis mutatio hic facta sit, & quid requiratur ad partium constitutionem, quæ in cartilagineam, aut osseam substantiam mutandæ sunt. Constat itaque, quo magis humidò abundant partes aliquæ, & quo major in illas humorum copia influit, eò tardius, & difficilius easdem concrescere in osseam soliditatem, è contra autem quo minus humiditatis in se continent, & quo rigidiores fiunt eò citius illas indurescere. Sic videmus omnes partes secretionibus inservientes, & per consequens magnum sanguinis affluxum, refluxum, humorique secreto transitum præbentes in ossa raro, aut vix unquam muta, è contra observare est membranas istas, quæ maxima ex parte ex tendinibus sunt conflatæ, & tantam solummodo humoris quantitatem admittunt quanta ad nutritionem, atque incrementum suum est necessaria semper fere in ossa mutari. Hæc autem (si ita loqui liceat) ossificatio quatenus vel citius, vel tardius fiat tam in ossium conformatione naturali, quàm in accidentali multum a situs, & figuræ differentia dependet. *Quoad situm* ossificatio retardatur, vel acceleratur prouti membranæ partibus magis, aut minus humiditate abundantibus sunt appositæ, vel impositæ, id quod clarè patebit, ubi de ossificatione a prima conformatione ad adultam usque ætatem posthac forte plenius tractabimus, sed id non est hujus fori. Hoc unicum pro exemplo addam nempe epiphyses cartilaginosas substantiam ossis molliorem tantum adipisci; propter humoris magnam quantitatem continuò ipsas ambientem, & eò delatam ad faciliorem motum; quæ tamen cartilagines, si casu forte aliquo humoris affluxus impediatur, statim in ossa mutantur: id quotidie observatur in ossium concretione, & motus abolitione propter illius humoris defectum. Propter humiditatem nimia quantitate peccantem, ossificationem in totum impediri in hydrocephalo jam supra diximus. Hinc jam deducimus partium siccitatem requiri ad ossificationem, & omnia quæ siccitatem illam quoquomodo imminuunt, ossificationem pariter impedire. Sic continuus olei usus homines agiliores reddit, & in ipsa senectute tardiorem tendinum ossificationem efficit, quia nempe vasa illa sanguinem oleosum vehentia difficilius occluduntur, & diutius mollia, atque recipiendo sanguini apta permanent.

Figuram ossificationi, vel celeriori, vel tardiori aliquid etiam contribuere, demonstrant totius corporis nostri ossa, quorum in prima conformatione ea pars citius in osseam duritiem concrescit, quæ maxime elevata est, atque gibbosa. Sic in cranio videmus indurationis initia eo loci primo apparere, ubi partes sunt magis prominentes, & elevatæ, non autem in centro, vel medio (uti olim voluerunt) cujus ratio est satis evidens ex prædictis: nam ubi circulatio pigrior, & difficilior est, ibi vasa facilius concidunt, atque occluduntur, & propter defectum humoris eò citius rigescunt, atque in duriorem ossis substantiam abeunt.

Jam itaque tandem examinabimus, quæ mutatio facta sit in hac nostra membrana tubam adeo dilatatam constituente, ut indurationis ejus ratio liquidius elucescat. Hujus igitur membranæ superficies interna olim glandulosa fuerat, quo melius secretioni inserviret, majoremque sanguinis copiam admitteret, at jam tandem, deficiente humore, mutata est in aridam, & exuccam, quæ sanguinem vix ullum recipiat.

Extracto siquidem fœtu omnis superficies interior glandulosa fuit separata, membranæ autem pars exterior, quæ superfuit vasis jam constrictis, & propemodum clausis in siccam, & fere exanguem pelliculam mutata sensim exaruit. Quæ quidem siccitas ex humoris defectu necessitate quadam huic parti duritiem adferre debuit: nempe qualis in plurimis etiam cicatricibus eandem ob causam observatur, quia ubicunque partes conglutinantur, ibi vasa simul occluduntur usque adeo, ut humoribus vix transitus præbeatur. Accedit & hoc, quod cutis instrumenta sudorem secernentia fuerint deleta, unde & minor humoris affluxus, & major penuria. Sed ut hæc nostra tubæ facies interior cartilaginis substantiam præ se ferret, requirebatur adhuc partis figura gibbosa: hanc autem magna ex parte, ab intestinis, aliisque partibus in infimo ventre contentis habuit. Quæ (quia tanta in hoc casu a fœtu crescente, ipsiusque humoribus resistentia non obstitit, quin sua mole pristinum locum facile occuparent) membranam tubæ ipsorum ponderi, & compressioni cedentem in partes contiguas ita impulerunt, ut figuram abdominis gibbosam tanquam a proplasmate acciperet. Hinc major difficultas transeunti sanguini oborta, majorque vasorum occlusio partis rigiditas facta est, quæ tandem cartilaginem hanc duritiem tubæ induxerunt.

Hæc interim tubæ indurata membrana cicatricem præmuniens, & per totam ejus circumferentiam ubique cum peritonæo coalescens tendinum in operatione transcissorum defectum utcunque supplevit. Hæc enim janua cartilaginea nisi a natura semper provida fuisset efformata, atque ante ostium illud collocata, profecto hæc fœmina ea facilitate fœtus in utero gestare non potuerat, præsertim gemellos, quos triennio post curationem hanc peractam peperit: Abscissis enim tendinibus, qui abdominis partes præcipuè continent, ac coërcent, vulneris ora sibi invicem ita appropinquare non potuerant, ut absque ulla intercapedine conglutinarentur, obstante partium suppuratarum exitu per ipsa futurarum interstitia: Ideoque eo loci a fœtus pondere, & incremento tanta extensio acciderat, ut vi expultrice omnino abolitâ, hernia ventralis inevitabilis, atque immensa succrevisset. Quippe tendinum fines abscissi, atque in hac parte induratâ concreti, nec satis validi fuerant, & actuosi ad fœtum excludendum, & prolapsui intestinorum insolito certo certius secuturo resistere non potuerant.

Plura adhuc restant, Vir ornatissime, quæ in hoc casu notatu digna commentarium plenius sanè & uberius postulent. Sed hæc hactenus. Nam & ego Epistolæ modum mihi videor excessisse, nec te diutius morari debeo gravioribus forte curis, & negotiis districtum. VALE.

F I N I S.

DE-

DEMONSTRATIO BREVIS

MEDICO-CHIRURGICA

DE

ΠΑΙΔΑΡΘΡΟΚΑ'ΚΗ,

VEL TUMORE

SPINA VENTOSA

Dicto ex *acido* & *alcali* tanquam principiis novis eruta, causis ex illis inventis, ut & modo agendi deprompta, ac experientiâ multiplici anatomicâ comprobata,

A JOHANNE DAVIDE PORTZIO

Philosophiæ & Medicinæ Doctore Principis Nassovii Gubernatoris Frisiæ Hæreditarii Archiatro.

Ut ex operibus suis:

OMnes morbi non æqualiter manifesti sunt, & omnibus personis indifferenter innotescere possunt, eò quod morbi quidam sint rariores, & minus frequenter, nec cui libet oculo obvii, quidam magis intricati, impliciti, aliisque morbis illaqueati; ideoque non tam facile de illis statui potest, quia interdum larvam induunt aliorum complicatorum affectum semejotice sibi affinium. Scripsere pauciores ut alibi diximus de tumoribus varia, eadem haud methodo eaque obscura: *De Spina Ventosa* præter excellentem ac nobilissimum *Marchettis* gymnasii Patavini patrii Professorem Anatomiæ ac Chirurgiæ hactenus quasi nullus: rem ultimo articulo tangunt insignis *Scultetus* & eximius p. m. *van Horne* ante laudatus Præceptor meus, uterque prior causam in veterum humoribus (non quòd novis scateamus) ponens, sed ne ὕστερον πρότερον immemores etymologiæ ponamus, Græcis affectus hìc dictus est παιδαρθροκάκη ἀπὸ τοῦ παιδὸς ἄρθρῳ & κακῆς, id est *malum puerorum plerumque articulis affligens*, vel ut *Severinus* ossis circa articulum inflammatio, & abscessus puerorum proprius: num verò omnis articulus per græcam vocem ἄρθρον intelligatur, disquiritur? hunc tumorem articulos infestare certo certius est,

pedis

pedis præsertim, & bracchli circa ἀποφύσεις, & hæc græca ejus origo, latinis *Spina Ventosa* audit, aliis *Spinæ Ventositas* falso dicta; *Spina* nuncupatur a modo doloris, quem infert, nam spinæ instar perterebrando quasi dolorem incutit, ventosa, ratione tumoris & inflationis, prout Arabibus ventositas est loco œdematis; ast num Veteribus hoc morbi genus innotuerit, valde dubito, nisi forsan etiam cum aliis tumoribus, aut abscessibus confusum tractaverint, ut evidenter liquet, quando sermo fiet de variolis, ex quibus suppressis, vel retrocessis tumores scilicet fiunt, quos *Spinæ Ventosæ* nomine male insigniunt; hic arbitrum adduco antedictum *Severinum*, qui fusius originem pertractando litem dirimit: affinitatem quandam habere cum variolis παιδαρθροκάκην affirmat cum illo *Schaefferus* Medicus olim Reipublicæ Francofurtensis in disputationibus suis; *Spinam Ventosam* porrò *Nicolaus Florentinus*, *Johannes de Vigo*, *Langius*, *Munardus*, *Ballonius*, *Marchettis*, *Scultetus*, *&c.* nuncuparunt Arabum secuti elogium. *Avicennæ* tumorem hunc *Spinæ Ventosæ* nomine venisse lib. 4. fen. 4. tract. 4. cap. 7. voluit doctissimus p. m. *van Horne* in μικροτέχνῃ sua. Protinus aliena videtur illa, quam nobilissimus *Marchettis* in appendice observationum Medico Chyrurgicarum enodat, cum tamen omnes ratione cariei in uno conveniant, quod *Spina Ventosa* sit affectus cum carie infestans peculiari tamen modo, quòd caries utplurimum externè ossa rodat, hæc è contra (ut postea in caussis indigitabimus:) internè ossa rodendo perforet, eandem tamen cum teredine Belgis *Beenbretter* dicto non esse putem, cum rarissimus hic sit affectus in Regionibus præprimis septentrionalibus. Ossa tumorem hunc *Spinam Ventosam* scilicet ab interiori parte a medulla ossis inchoando rosione infestare, & perforare, ab αὐτοψίᾳ convictus fui. In nosocomio Patavino Divi Francisci observare licuit tumorem *Spinam Ventosam* in viri quadragenarii metacarpo manus sinistræ, ubi humor, vel potius ichor ille acerrimus non sola metacarpi ossicula, verum etiam ulnæ, & radii capita ita rodendo infestaverat, ut ossa illa duo a se invicem separata musculos cum integumentis pertunderent, ibique ad tres digitos prominerent, adeò ut manus esset pendula, quam Chirurgus sequenti die ligatura probe instituta detruncavit, cauterio actuali inusto, hæmorrhagia sublata convenientibus remediis locum affectum deligavit, patiens nihilominus paucis ab hinc diebus fatis cessit, cujus primò metacarpum, postea ulnam, & radium privatim curiosa sectione præsentibus Doctissimis Dominis *Sattlero*, ac *van der Beecke* Medicinæ Doctoribus indagavimus, & examinavimus, quæ omnia quoad interiorem faciem plane erosa, ac corrupta, quoad externam superficiem aliquantulum cariosa deprehendimus, & insuper, in quantum ossa carie erosa conspicere licuit, in tantum medulla ipsorum ossium sphacelata quasi, ac corrupta erat: quod idem in puerulo duorum circiter annorum observare licuit, qui, dum lue gallica infectæ nutricis ubera adhuc dum sugeret, detestabili ac dolorosa *Spina Ventosa* excruciabatur circa metacarpum manus sinistræ ejusque brachii, ut & dextri cubiti miserrime puerulum affligente, adeò ut jam plura ex metacarpo sinistræ manus, & dextri cubili officula carie erosa abscesserint, quæ statim examini curioso subjecta eodem ut supra monitum corrupta, ac erosa fuere visa modo musculis, & integumentis communibus ex parte longiori temporis tractu exesis, unde satis liquet subjectum funesti tumoris hujus esse ossa, & primariò eorundem articulos, scilicet carpum, & metacarpum, tarsum & metatarsum, cubitos, genua, &c. quamvis non negaverim alias etiam corporis partes huic affectui itidem esse subjectas, uti puellam in utroque carpo, utroque tarso, & circa vertebras lumbares *Spina Ventosa* laborantem

rantem

rantem cernere licuit: locus itaque affectus semper sunt articuli, nunquam autem internodia primariò, quæ si aliquando corrumpantur, id fit ratione sympathiæ, & vicinitatis partium, ut non male sæpe laudatus *Marchettis* in observatione duplici modo ossa lædi posse externe videlicet, ac interne strenue defendunt *Marianus*, & *S. Barolitanus* in compendio Chirurgico de emendatione ossis corrupti: *Spina Ventosa* interne primò, postea externe ossa infestat, utplurimum circa articulos, quia ibi ossa sunt magis porosa, adeò ut *aciditas* ibi loci stagnans cartilagines quasi menstruum aliquod dissolvere, & ossa perforare queat, quod itidem ob tenellam ossium, & quasi cartilagineam adhuc dum dispositionem frequentius in prima ætate, infantia ac pueritia potius, quàm adulta, licet in adultis, & jam ipse observarim, accidit. Anatomicus & Chyrurgus insignis *Marchettis* ad vigesimum quintum usque annum utrumque sexum vidit obnoxium huic morbo, non provectiorem ætatem, nisi eodem antea tentati nec dùm curati fuerint. Dicto nomine locoque affecto demonstrato ingenium, & symptomata ex ipsis causis eruenda essent, quæ partim ex allegatis supra historiis, & observatis, partim ex definitione modoque agendi patet, quidam plura conjungunt symptomata, quæ omnia locum equidem habere possunt, rarius attamen observantur: ossa carie infestantur salvo periostio, quod postmodum cum musculosa carne discerpitur, ac quasi perterebratur, hinc tumor apparet cum dolore intenso, livor quidam adest, circa ora ulceris rubedo, ac quasi inflammatio quædam conspicitur, ulcus postea fistulosum apparet paucâ sanie repletum, quippe paucam effundit saniem, potius ichorem acerrimum, quandoque cum, quandoque sine febri concomitante, nullam ego observavi, quandoquidem talem huic affectui adesse posse cum Doctissimo Medicorum *Cicerone* non negaverim; notabilis ac evidens cum humorum præcedat motus, & propter contrarietatem eorundem effervescentia, quam nonnulli tumoribus causas adsignantes male fermentationem dicunt, ut paulò inferius, antequam epilogum hujus brevibus formemus: Humorum in genere oriundorum generales abusus propalabimus. Diversæ & raræ ab authoribus diversis tumor *Spinæ Ventosæ* tribuuntur causæ, Senex *Marchettis* Vir alias incomparabilis dexteritatis, ac peritiæ, de quo sane præter alias, præprimis artis Chirurgicæ eruditionem, ac notitiam effari licebit, quod olim *Aristoteles* ad *Platonem* rescripserat: *Nulla ferent talem secla futura virum*, materiam ac causam pituitam immediate accusat, quæ nutritioni articulorum dicata putrescens, aut aliquo modo acrior facta ossa primò corrumpit, ast nullo adhuc dum cum dolore, quibus corruptis & erosis, periostium aggreditur, ubi dolor incipit acutus, pungitivus, rodens, lancinans, adeò ut se spina pungi credat æger, dolore sic in dies ingravescente, & periostio quodammodo eroso, ac perforato nullus jam apparet tumor, qui postea humore peccante intra musculos permeante, & ibidem sese insinuante articulum affectum attollente conspicitur primò mollis & laxus, doloris expers, cuti concolor, postea affluente humorum copia, quorum tenuior pars exhalat crassiori superstite, durior evadit; materiam vel si mavis ichorem eructat serosum, acrem, ubi tandem os corruptum prodit. *Scultetus* ad humorem recurrit occulta, & infensa sua qualitate ossa primùm citra omnem periostii læsionem dolorisque seosum corrodentem, unde œdema fieri indolens, partemque exactis aliquot mensibus exulcerari autumat: tumorem *Spinam* scilicet *Ventosam* œdemati haud absimilem esse non negaverim quoad externam faciem, quoad modum autem agendi, & causas maxime dissimilem. *Acidum* jam & *austerum* contemplemur utpote immediatam mali hujus causam, quod omnes probant effectus

item,

itemque ætas, &c. Lac, chylum, sanguinem succumque nervosum materiam peccantem declarabimus; infantes lacte nutricum gallica, vel venerea lue infectarum nutriti facillime in hunc incidunt tumorem, partem quod ipsimet infantes multis jam scateant humoribus *acidis*, quod ex scabie, pustulis, &c. in illis affatim, & copiose erumpentibus satis patet; partim quod ipsum lac facillime in corpore acescat, sicque effervescentiam pariat, quippe lac in chylum post sanguinem conversum effervescentiam propter *aciditatem* cum reperto *alcali* in sanguine excitans humorem separat *acriorem*, qui ad articulos ipsamque ossium medullam cum sanguine defertur, ubi stagnans *acidissimus* fit ipsam medullam corrumpens, postea rosione ossa penetrans nexu, ac situ solvit eademque protrudit, musculos tandem, ac cutem perforat, & exulcerat, carnem tandem, ubi *aciditas* prævalet, exedit, ut gangrænatur, ac in sphacelum desinat: callosa inducit ulcera, & quasi fistulosa, quatenus ibidem latens *alcali* cum *acriori acido* coagulatur, unde callositas oboritur, quam itidem in lue Venerea observare licet, ubi non leve dominatur *acidum*, quod apprime *Sylvius* noster in tractatu suo de lue Venerea conscripto exponit dubiam quæstionem formans, in quo natura contagii venerei consistat, quàm primariò humorem *acrem acidum*, secundario pituitam viscidam dicit, quod ex symtomatibus deducit, conjunctâ gonorrhæâ videlicet, pustulis vel scabie squammosa ab *acido* ita coagulata, tuberculis, nodis, gummatibus (ut Itali vocant) sub periostio oriundis proque diversitate materiæ magis minusve dolentibus; maculis rubris, lividis, flavis, &c. pro varietate *acidi* tingentis: bubonibus, ficubus, condylomatibus, & similibus omnibus ab *acido* procreatis, quæ fusius Scriptor jam jam laudatus judicio & gravis, & judiciosus deducit, Lac ab *acido* in acriores serositates præcipitari, quid manifestius? chylum, sanguinem, succumque nervosum ab illo itidem affici posse, quis negat? a semine Parentum ex lue Venerea corrupto acerrimum hoc malum, quandoque trans & implantari proli credibile est, adeo ut tunc hæreditarium liceat dicere effectum, quamvis male, quippe parentes lue gallica laborantes (quorum massa sanguinea infecta, ac corrupta, infectum itidem semen, ex quo generandus postea fœtus, infectum lac, ex quo nutrirur jam natus infans) non statim, nec omnes *Spina Ventosa* affliguntur, quâ si afflicti essent, sicque per traducem malum illud propagaretur in progeniem, tunc verè hæreditarii nomen mereretur, qui longè deterior adventitio, utpotè qui *profundissimam* habet maculam. Dubium hic oritur, ossa ab interiori parte primo carie infestari, ac corrodi, imò ipsam medullam ossibus adhuc integris corrosis jam degeneratam, ac corruptam deprehendi, ut mihi ipsi in investigandis causis, apertisque ossibus conspicere licuit, an potius sanguis, an verò succus nervosus in censum veniat tanquam immediatum medullæ, & ossium nutrimentum, quod ab *acido* postea p. n. infectum, tumorem *Spinam Ventosam* inducat. Plures & quidem veteres, inter quos *Hippocrates*, & *Galenus* sanguinem nutrimentum corporis universale, sive materiam, ex qua ipsa partium substantia in dies deperdita, in dies etiam redintegratur, ac restauratur, perfractè defendunt nescii forsan ad plures corporis partes sanguinem non deferri, quæ nihilominus æquè, ac aliæ suo gaudent nutrimento, sanguis autem vicina partium illarum loca alluit, ut singulæ partes a spiritu vitali, quem secum fert foveantur; imò si ipsa ossa, eorundemque medullam perspexeris, nullam quasi cum ipso sanguine similitudinem, & affinitatem habere deprehendes, adeo ut ossa a sanguine tam multis discrepare affirmet *Charletbon*, ut eadem sanguine constare nemini facile in mentem venerit, multo minus quod medulla ex eo resultet, eodemque nutriatur, necesse

necesse quippe est, ut succus nutritius prius a sanguine separetur, quàm partibus adferatur, apponaturque. Ossa ab ipsa medulla nutriri contendunt alii, quod *Veslingius* cum *Spigelio* negant, & sanguini nutritionis negotium committunt, medullam potius excrementum, seu secrementum cum insigni *Glissonio* statuentes. Diversissimæ utpotè illius cum sanguine substantiæ, &c. sed illam pòtius lubricationi, ac humectationi inservire, quod experimento confirmant iidem, quia plura dantur ossa medullâ carentia, imò in juniorum ossibus paucissima medullæ quantitas reperitur, quæ non minus in dies augentur, & quàm maximè nutriuntur, sanguini effectum hunc adscribentes, quamvis hic non malè per accidens nutrire dici possit; plura tamen pro succo nutritio per nervos ad partes nutriendas delato pugnant argumenta, quod egregiè variis phænomenis, iisque doctis demonstrat supra laudatus *Charletbon*, primum ab atrophia partium paralysi affectarum, alterum a glutine ex ossium fracturis extillante, quod nec arteriæ, nec venæ suppeditant; sed quid in his moramur, ubi in supra observatis ipsam medullam in ossibus *Spinâ Ventosâ* extinctis omnimodè corruptam, ac putridam quasi deprehendimus, causam ipsi *acido* p. n. adsignantes; fatetur equidem *Mercurialis* sanguinem circa osse facillime putrescere, quò autem pactò putredo oboriatur, non explicat, in quo *Cartesium* melius satis fecisse autumo, qui illam fieri censet, quando particulæ inter se, vel motu fermentationis solvuntur, adeò, ut particulæ spirituosæ solvantur, solutæ exspirent, ita ut situs partium naturalis mutetur. Nonnulli serum acrius, vel potius *acidius* per periostium percolari, ibique ossa rodendo, salvo periostio, infestare credunt, quod in *Spina Ventosa* non accidit, siquidem ossa ab interiori parte, in qua medulla recondita est, primo exeduntur, & corruduntur. Veram itaque ex supra allegatis, & enodatis causam *Spinæ Ventosæ* adsignare possumus, quæ ratione corrosionis, doloris, cariei, &c. *acidiori fixo*, corrosivo ratione tumoris, & inflationis, *alcali mediæ consistentiæ* originem suam debet medullam tali modo afficiens, & corrosivam reddens, ut ipsa ossa etiam perforet, quod clarius porrò ex juvantibus, & nocentibus deduci poterit.

Difficulter rarior hic affectus in principio dignoscitur, quod & sufficienter inculcat *Severinus* in τυρωνχνίᾳ χειρουργικῇ lib.11.par.1.cap.110.de osse corrupto in hæc prorumpens verba; latet interdum os vitiatum sub carnoso artuum ulcere, sic, ut imprudentes facile fallat, verumenimvero, qui oculatior est, multa subtiliter dispicit, primùm loci naturam, sub quo subest os, deinde colorem alienum, qui nullo, vel etiam præstanti medicamento permutatur; dein quod longo tempore vix sanescat; quod si illud accidat, brevi recurrit ulcus, ad hæc quòd sanies perpetuò tenuis, ac ichorosa sit, itemque copiâ effluat; præterea, quod caro semper hebes, ac mollis glifcit, medicamine autem remota, talis rursus increscit: postremùm signum fit exploratione specilli, quod mollitiem, æqualitatem, aut asperitatem ossis docet, ubi autem periostium adhuc integrum osse subter corrosò deprehensum fuerit, specillum fallit, nisi externa ulceris, & tumoris facies nobis jam cognita sit, ac familiaris. Circa articulos utplurimum observare licet spinæ instar dolorem pungitivum, tumorem laxum, mollem, qui post apertus ichorem, & aliquando sanie permixtum effundit, adeo ut hinc facili opera colligere liceat difficilioris affectum hunc esse curæ propter profundam cariem, copiosum ichoris confluxum, loci affecti situm, & naturam, quod itemque ab inveterata, ac pertinacissima causa oboriatur, quapropter præter manum Chirurgicam, & Medicus requiritur labor, ut vitiosa, ac peccans humorum *aciditas* corrigatur, evacuetur alterantibus, purgantibus, primum autem sibi

vendicant locum Salia volatilia, Cornu Cervi, Salis armoniaci, Succini, Tartari, &c. *acidum* præcipitando, quo lixiviosa referri debent non neglectis decoctis lignorum Guajaci, Chinæ, Salsæ, Sassafras, Buxi, Juniperi, Quercini, &c. *acidum* temperantibus perque poros educentibus, quibus diuretica vel radices aperientes addi poterunt ex Apio, Asparago, baccis Juniperi, &c. Salivationem hoc in affectu multum præstare posse mihi persuadeo, corrigendo humores *acres acidos*, eosque per os evacuando. Specialiorem tumor hic postulat curationem, adeò ut *Celsi* monitum locum inveniat, quos Medicina non sanat, ferrum sanat, quos ferrum non sanat, ignis sanat, quos nec hæc duo curant, insanabilia existunt; heic vulgare illud, cura, seca, in censum venit.

Ante omnia itaque, quàm primum patiens de dolore intensiori, ac pungitivo circa articulos conqueratur, è vestigio nullo etiam apparente tumore, sectio loci affecti erit tentanda, os carie infectum quærendum, abradendum; sin verò propter loci profunditatem rosaria non possint immitti, vulnus, aliquando ulcus quôvis modo dilatandum, quia utplurimum augustioris orificii, & fistulosum, quod radice gentianæ, spongia, vel sambuci medulla peragitur, sin verò nullum adhuc pateat orificium, arte, id est ferro, cautè attamen parandum, ossis cariosi statim ratio habenda, quod aut ferramento candenti, inurendum, vel instrumentis abrasoriis radendum, & quandoque os corrosum eximendum: quod si contigat totum internodium manus, vel pedis corruptum esse, trepanum subtilius commendat *Marchettis*, quò media officuli pars perforata forficulis hunc in usum affabre paratis internodii latera secanda, sicque sensim volsella extrahenda, quò in casu, ut inustione, abrasione, terebratione, sectione tendinis utrobique vitandi, ne malum in pejus ruat, sicque afflicto major addatur afflictio. Ulcus postea mundificandum, ac cicatrice obducendum, & consolidandum. *Scultetus* in observat. suis Chirurgicis Spinam Ventosam cum *Spigelio* malum incurabile exclamat, adeò ut cum illo partis affectæ extirpationem suadeat. Sex res non naturales tandem in censum veniunt, quatenus aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigiliæ, itemque animi pathemata talem possunt inducere effervescentiam vel gignendo, adaugendo, exasperando *acido*, ut facilius quispiam, aut huic affectui obnoxius fiat, vel patiens *jam in deterius malum ruere possit*; quapropter ut, & in reliquis affectibus conveniens, & exacta observanda diæta, quæ tanquam coindicata *alcalicæ* videlicet curæ respondeat, necesse est.

F I N I S.

YVONIS GAUKES

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS

PRAXIS MEDICO-CHIRURGICA RATIONALIS,

SEU

Obſervationes Medico-Chirurgicæ Ratiociniis Philoſophicis illuſtratæ.

Continentes affectus è fæcibus alvinis, pituitâ inteſtinali, ac ſanguine malè conſtitutis oriundos.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

EX ingenti adminiculorum acervo, quibus Ars Medica ad perfectionem altiorem evehi, adque certitudinem, quoad fieri potest, Mathematicam perduci queat, *Observationes Medicas chartulis mandare, ac easdem postea juris publici facere*, facilè præ reliquis eminet. Nam hoc veneranda Antiquitas nescivit, quippe quæ sanationes tabulis votivis inscriptas in sanctis templis suspendere consuevit, non tantum ut ex iis laborantes cognoscerent, per quæ præsidia morbos suos oppugnarent; verùm etiam, ut sic paulatim, illis postea publicatis, Arti Medicæ perfectio major adderetur. Præterea Medicationes nobis filum tendent, quod tenendo, dum ratiocinamur, minus a vero aberrabimus, quàm si, experientiâ neglectâ, cerebri dumtaxat nostri figmenta sequamur. Hinc *Cartesius* acutissimus totam Mundi fabricam ex materia, & motu, juxta naturæ leges constructurus, phœnomena ejus generalia collegit, antequam opus illud magnum aggredi auderet. Curationes ergo sive experientia non parvifaciendæ sunt, & reliquis Medicinæ partibus præferendæ. Nam *Anatomia* quidem nos partium continentium; & *OEconomia animalis* contentarum, id est, succorum, atque functionum ex iis utrisque resultantium, cognitione imbuit: *Chymia*, è quibus particulis corpus nostrum, medicamenta, & aliæ res naturales plurimæ constent, nobis ostendit; & una cum *Pharmacia* pharmaca patientibus salutaria offert, &c. Sed quid, quæso, hæc omnia prosunt? quid juvant? nisi ad praxin ipsam transferantur; nisi medicationes affectuum ipsæ, quò ea omnia collimant, accedant. Igitur operæ pretium duxi, præcipuas earum, tum in Praxi Medica, tum Chirurgica mihi oblatas, remediis non celatis, operationibus cum instrumentorum delineatione, loco suo insertis, imo ne erroribus, ut quos deinceps evitarem, omissis, ad memoriam notare, utique, ut mihi ipsi in posterum usui essent, quin proximis, si forte in publicum darentur, aliquando

pro-

prodeſſent. Quoniam verò jam tandem longo ſpatio bonum earum numerum collegi, non peſſimè facturum me judicavi, ſi easdem horis ſuccisivis elaboratas per τὴν εἰκαδὴν, id eſt, numeros vicenarios emitterem; magis, quum mihi in iis diſcere contigerint, quæ aut ab aliis non fuerunt obſervata, aut certè literis, prout mihi notum eſt, nondum tradita. Verumenimverò, quia ſolæ & puræ ſunt, æquè ac corpora humana veſtibus, ac ornamentis orbata, eaſdem ratiociniis philoſophicis circumveſtire atque exornare, nec inutile, nec injucundum fore putavi: apprimè, cum quicquid in iis oculo philoſophico, quo conſpiciatur, indiget, id ab authore ipſo feliciùs, quàm ab alio quoquam cerni poſſit. Porrò, quandoquidem etiam haud indecorum arbitrabar, aliquem in illis conſcribendis ordinem tenere, primò *morborum internorum*, id eſt, è ſuccis malè conſtitutis ortorum; & deinde *externorum*, id eſt, corporibus extrinſecus accedentibus originem debentium, curas proponemus. Ut & in illis proferendis partium corporis noſtri contentarum ductum ſequemur, ita ut primùm *vitia ſuccorum ſanguinem præcedentium*; deinde *ſanguinis ipſius*; & tum *ſuccorum è ſanguine glandularum ope ſecretorum*, ſimus poſituri. Quum *externos* ita ſimus perſecuturi, ut a materia primi elementi, globulis cœleſtibus, & aëre ab ore aſſumpto, ac reliqua corpora corpus noſtrum quocunq; modo malè afficientia, deſcenſuri ſimus. Denique, ſi quid, Lector benevole, in hiſce meis obſervationibus animadverſione dignum, aut a virorum hujus ævi clariſſimorum ſententiis diſtare invenias, id benignè interpreteris, precor: ſin mea dente Theonino rodere mavelis, me non niſi leviſſimè lædes, quum jam pridem convitia pati didicerim, & aſſueta mens noſtra vix ſentiat. Sit ergo hæc εἰκὰς πρωτὰ tanquam rude ſpecimen, candore ac amore depoſitum, quo ſi vel mediocriter delecteris, id genus plures adjicere, ſicque opuſculum inceptum paulatim, ſi Deus volet, abſolvere non gravabor. Vale.

PRÆ-

PRÆFATIUNCULA.

HIc *sisto tibi, Lector Benevole* εἰκαδῆν τῆν πρωτῆν *Observationum mearum ratiociniis Philosophicis illustratarum præsentem; è quibus* illæ, *ne cætera referam*, Tincturæ Saturni, *a* Johanne Michaele *inter Germanos Medico, dum viveret, celeberrimo*, antiphthisicæ *dictæ descriptionem ac usum habent. Hac verò intra paucas horas vel dies sanguinis, sive è pulmonibus, sive è ventriculo, aut alvo, aut utero, &c. quantumvis rapidè promanantis cursum felicissimè sistere consuevi, ita ut nonnullos per eam, adjuvante Deo, ex orci faucibus eripuerim. In iis quoque præstantissimorum hujus ætatis* Aquarum, *ac* Liquorum stypticorum *compositionem dedimus: neque & nostrum, qui nulli secundus vel gravissimas hæmorrhagias momentò temporis, (modò compressio undecunque petita accedat) supprimit, Chirurgos celare voluimus. Cæterum in* Ratiociniis *sententiam nostram de viscerum litigiosi lienis usu & induratione: item, mutationum, quæ corpori nostro ob animi passiones contingant, fundamentum, perturbatam sanguinis mixtionem, qua particulæ aliæ ex aliis extricatæ, alia producunt phœnomena, ponere ausi sumus. Demonstravimus etiam, quomodo vermes progignantur; opium, purgantia, &c. operentur: nec non, purgantia specifica dari nulla; sal commune sanguinem nostrum non incrassare; sanguinem deperditum regenerari; lac dulce haud noxium esse alimentum, &c. Obiter etiam manifestum fuit, & erit, si Deo placet, in*

posse-

posteram, non tot morbos; ut multi volunt, ex acido proficisci. Probavimus quoque aquam, qua aquam immodicè sumptam obesse; musculorum motum per nervorum tractionem fieri; aliaque plurima heic brevitatis ergo relicta. Quod si, Lector benevole in philosophicis paradoxa erronea offendisse te censeas, censoriâ non protinus virgâ me cædere velis, sed sequentia cum præcedentibus conferas, omnia probè discutias, recteque percipias antequam ad judicium ferendum accingaris. Quin potius cogites, unicuique liberum esse, modò ne contra sacras literas, nec omnibus non satisfiat phænomenis, suo philosophari modo: Vale.

PRAXIS MEDICO-CHIRURGICA RATIONALIS.

OBSERVATIO I.

De Tumore farciminali in sinistro Abdominis latere sito.

ANni MDCLXXXVI. Majo, *(a)* vetulæ cuidam in finistro abdominis latere erat *(b)* induratio, ex hypochondrio finistro in finistrum inguen usque *(c)* protensa, quæ initio ad instar farciminis exigua deprehendebatur, sed *(d)* paulatim accrescens, cum illam nunc viserem, brachii mediocris magnitudinem æquabat. Adhuc non extra *(e)* cutis superficiem eminens tactu dumtaxat dignosci poterat. Quem *tumorem* vocare *(f) farciminalem* quid vetat? Ut igitur mederer huic laboranti, *(g)* frigus quodvis, *(h)* viscida, *(i)* acida, *(k)* dulcia, *(l)* ciborum ingurcitationem, *(m)* nimiam corporis quietem, *(n)* tristitiam, &c. interdixi; atque injunxi è contrario *(o)* calorem quemcunque, moderatum ciborum usum corporisque motum, hilaritatem, &c. ac *(p)* oleosa tam fixa, quàm volatilia. Deinde hoc *(q) Linimento emolliente*:

℞. *Ung. alth. cum gumm. & ol. lilior. alb. ā. ℥j. ol. philosoph. ʒij. M. in fictile vase.*

calidè, indurationem, *(r)* calidè, *(s)* largiter, *(t)* calidè cum mediocri manus pressione, *(u)* per quartam horæ partem, bis die, *(w)* secundum lineam quamlibet, inungendam jussi; & superimponendum *Empl. de gummis*, cujus hæc compositio est:

℞. *Gumm. Ammon. Galban. & Bdell. (x) depur. ā. ℥ij. (y) Therebinth. q. s. Thur. & Myrrh. ā. ℥j. Ceræ flavæ, & Resin. ā. ℥jß. Ol. philosoph ℥ß. f. s. a. Empl.*

satis *(z)* crasse super alutam extensum. Quæ remedia, *(aa)* nullo internè alio dato, brevi tempore, hunc tumorem solverunt.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

NOs *hic inter initia supponemus, frigus quodvis, viscida, acida, dulcia, ciborum ingurcitationem, nimiam corporis quietem, tristitiam, &c. vel singula, vel plura, omniave simul sumpta, causam hujus morbi exstitisse: ut è sequentibus palam fiet. Nam chymus, adeoque fæces alvi crassiores (quas a te-*

a tenuioribus, quæ tunicæ glandulosæ, atque glandularum Peyerianarum *intestini plenioris ope è sanguine secernuntur, distinguo) inde viscidiores factæ, interiori coli, qua in sinistro ventris latere recumbit, superficiei adhærendo hoc tumoris genus produxerunt. Quin cum sanguis etiam inde viscidior factus sit, ideo fermentum ventriculi ex hoc sequestratum, iners exstitit, justoque minus alimenta dissolvit, unde chymus, facesque supradictæ adhuc viscidiores redditæ hoc malum non parum auxerunt.*

a Vetulæ. *Atque sanguis hujus vetulæ etiam viscidus fuit propter ejus senectutem, quâ succi corporis nostri minus intrinsecè agitati, non possunt non viscidi evadere.*

b Induratio. *In praxi mea quinque ventris indurationum genera observavi, ita ut unum inter musculos abdominis, & peritonæum resideret; alterum glandulas peritonæi omenti, ac mesenterii occuparet; tertium lienis esset; sequens hepar malè haberet; & ultimum in colo locum obtineret, quod genus hæc curatio ob oculos ponit. Hujus autem tumoris* durities *ex eo nascebatur, quod partes fæcum viscidarum colo adhærentium a fæcibus jugiter a tergo accedentibus* ita premebantur, ut nexu quieto sibi cohærentes prementi resisterent.

c Protensa. *Hæc autem induratio ex hypochondrio sinistro in sinistrum inguen usque protensa erat, quia hic coli ultimæ parti locus est, in qua fæces tantisper remorantur, dum quantitate, & acrimonia molestæ excernantur: quâ morâ iis, ubi viscidæ sunt, occasio adhærendi colo conceditur. Et quandoquidem etiam lien in hoc abdominis latere sedem habet, idcirco ferè, sed perperam, malum hoc huic visceri tribuitur.* Perperam, *inquam*, 1. *quoniam id nervis, adeoque succo nervoso scatet, qui ob magnam materiæ primi elementi copiam, quam transmittit, sanguinem attenuando, obstructionem illius* vesicularum *impedit*. 2. *Hæc eadem materia obstructionibus* glandularum *in vesiculis istis sitarum, (quarum succus subtilissimus etiam sanguini per basce vesiculas profluenti attenuando inservit) sine quibus sanguis in iis incrassari, & lieni induratio nasci vix potest, obstat*. 3. *Dictæ vesiculæ ob suam amplitudinem ægrè obstructiones admittunt. Tamen ubi considero, arterias sanguinem crassum* mechanicè, *ut in* Œconomia Animali *nostra demonstravimus; eundemque copiosum, quia illæ adsunt numerosæ, in lienem devehere, non possum quin largiar, illum quandoque etiam, præcipuè in iis, quibus sanguis supra modum crassus existit, indurationi esse obnoxium: id quod experientia quoque confirmat. Verum forsan est, hanc partem rarò malè affectam in mortalibus, qui ex morbis melancholicis mortui sunt, fuisse repertam: sed falsum itidem esse non puto, id genus cadavera eandem sæpè obstructam, ac induratam spectantibus obtulisse.*

d Paulatim accrescens. *Quum fæcibus viscidioribus colo adhærentibus aliæ a tergo jugiter accedentes paulatim agglutinarentur.*

e Superficiem eminens. *Nam quando colon fæcibus viscidioribus distentum in abdominis cavitate minus, quàm extrorsum resistentiæ offendebat, ideo hæc induratio non extra cutis superficiem prominens, plana apparebat.*

f Farciminalem. *Ob similitudinem, quam cum farcimine probè effarto habebat.*

g Frigus quodvis. *Sive id esset aëris; sive cibi, potusque; sive alterius cujuscunque rei, corpus ægrotæ contingentis. Nam cum res frigidæ secundum partes minimas minus motæ, vel quietæ, materiâ primi elementi quàm minimâ gaudeant, eamque cum laborantis corpore communicent parcissimè, illud etiam frigidum, adeoq; & fæces alvinas, sanguinemque viscidum faciunt.*

h Vi-

h Viscida. *Quæ sunt pisces inprimis elixi, carnes vitulinæ, partes animalium maximè ejangues, lac dulce diu coctum, avenæ alica, panis triticus recens, &c. quæ fæces alvinas, & sanguinem etiam viscidum reddunt.*

i Acida. *Cujusmodi sunt, acetum, fructus horarii, lac ebutyratum, cerevisia acida, &c. quorum particulæ acidæ ob suam soliditatem, materiam primi elementi reflectendo, motus intestini defectu, & fæcibus alvinis, sanguini visciditatem inducunt.*

k Dulcia. *Ut sunt* saccharina, *atque* mellita, *quippe quæ etiam multum acidi continent: id namque, ut varias rationes alias brevitatis ergo prætercam, ex iis destillationi subjectis prolicere licet.*

l Ciborum ingurgitationem. *Cibo namque non minutim masticato, & plus satis assumpto, fermentum ventriculi non sufficit dissolvendo, qui idcirco in chymum viscidiorem huic morbo causam præbendam transit.*

m Nimiam corporis quietem, *quo etiam* somnus diuturnior *spectat. Nam quia succus nervosus, quod insigne fermentum est, sub nimia corporis quiete copiâ perquam exiguâ in sanguinem regreditur, ideo is debito minus fermentescit, viscidusque evadit.*

n Tristitiam, &c. *Quomodò verò animi passiones magnam in corpore nostro mutationem efficiant iis, quæ explicatu in Physicis difficillima sunt, mihi adnumerandum videtur. Atque ego in intermediâ sanguinis mistione perturbatâ, quæ tamen brevior, aut minor quàm in febre fit, fieri puto. Nam cum in illis, ubi vehementes sunt, cor quoque nostrum more inconsueto afficiatur, sanguis ejus ventriculos transiens simul etiam præter consuetudinem ut afficiatur, oportet. Unde hujus particulæ acidæ (quibus sanguinem ex toto non carere, a priori pariter, ac a posteriori demonstrare licet) ex alcalinarum poris egressæ, & utræque è ramosis extricatæ, cum terreis, ac globulis sanguineis itidem liberatis, confusè in aquosis cum ramosis liquorem constituentibus fluctuant, ac moventur: in quo* perturbata sanguinis mixtura *consistit. Sanguis ita perturbatè mixtus, quia acidum libertati vindicatum ignem æthereum in magnam partem repellit, crassus & viscidus fiat necesse est, æque ac vinum & cerevisia, quæ pellucida & tenuvia sunt, oborto fulmine, perturbatè miscentur, acescunt, & opaca, crassaque fiunt. Atque ita manifestum est, qui ex tristitia, reliquisque animi pathematis vehementibus sanguis ægræ nostræ viscidus evadere potuerit.*

o Calorem quemcumque, moderatum ciborum usum, corporisque motum, hilaritatem, &c. *horum autem contraria ratio est ei, quam supra frigore quovis, ciborum ingurgitatione, nimia corporis quiete, ac tristitia, &c. ut paulò ante dedimus.*

p Oleosa tam fixa, quàm volatilia. *Illa sunt, oleum olivarum, butyrum, pinguedines animalium, &c. & pro* volatilibus *habemus macem, cinnamomum, anisum, omniaque aromata. Item vinum adustum simplex, & compositum, vinum Hispanicum, &c. Utrorumque particulæ ramosæ igne cœlesti, quem copiosum admittunt, agitatæ, & viscidis viscidarum fæcum colo agglutinatarum implicitæ, eas movebant, atque solvebant. Sed quoniam* oleosa fixa *etiam acido pollent, quippe quod ex iis retortæ inditis, subjecto igne, destillat; in* aromatis *alcali volatile delitescit, quando eorum olea stillatitia cum acido forti confligantur, & calorem excitant vehementem, &c.* vino adusto *acidum inhæret, quum lac blandè coagulet; cum alcali leviter effervescat; acidum vini, dum aduritur, ut ex aceto destillato patet, unà ascendat; vinum tenue plus spiritus, quàm pingue edat, &c. (licet in hoc spiritu, vel vino adusto*

oleum acido prædominetur: hinc per eum Chimici spiritus acidos reddunt dulces; vim vomendi sicut per acida, ex antimonii regulo non præliciunt. Quin immodicè sumptus appetitum prosternit, hæmorrhagias excitat, &c. ut experientiâ constat) quoniam, inquam, oleosa tam fixa, quàm volatilia particulas acres habent, ideo hæ igne cœlesti agitatæ cuspidibus suis supradictas faeces viscidas etiam dividebant, ac dissolvebant.

q Linimento. *Cum ergo oleosa tam fixa, quàm volatilia pro nutrimentorum condimentis assumpta huic tumori prodesse judicarem, id genus quoque remedia, sed externa tantum, ut quæ sola brevi curam absolverent, adhibui, & quidem sub forma* Linimenti, *ac* Emplastri, *quia hæc præ ceteris formulis huic loco respondebant*

r Calidè. *Quum calore pori corporis nostri aperiantur, (copiosiori nempe materiæ subtilissimæ transitu) & per poros apertos medicamentorum particulæ meliùs intrò penetrare queant, de isthoc linimento calidè, id est, ad ignem, vel admotis prunis, manuque calida, abdomen perungere oportebat.*

s Largiter. *Quia quo plus linimenti admovetur, hoc plures ejus particulæ intrare possunt, idcirco id non parcè, sed largiter adhibendum erat.*

t Cum mediocri manus pressione. *Quoniam manus, dum partem aliquam ex linimento perfricat, ejus particulas introrsum pellit, & pressio nimis vehemens dolorem excitat, ideo hoc linimentum cum mediocri manus pressione inungere conveniebat.*

u Per quartam horæ partem. *Nam quo injunctio diutius continuatur, (cum globulis cœlestibus inde depulsis materia primi elementi copiosior collecta calorem, ac attenuationem pariat) eo maturior causæ morbificæ dissolutio fiet.*

w Secundum lineam quamlibet. *Quando nulla ratio datur, quare potius linimenti inunctio secundum lineam rectam, quàm curvam, & vice versa, sit instituenda, anicularum, quæ nescio, quomodo id illitum volunt, experientiam ne flocci facere oportet*

x Depuratorum. *Variis modis gummi ferulacea depurare licet: nam vel in aqua, aut vino, vel in aceto igne lento solvi, per pannum rarum trajici, & ad humidi consumptionem evaporari; vel tempore hyberno dura, vel æstivo calore leni desiccata in pulverem redigi, & cribari possunt. Qui aquam, aut vinum ad ea solvenda adhibent, verentur fortè, ne sal eorum volatile ab aceto enervetur. At quoniam sub destillatione spiritum acidum, non sal volatile edunt, hunc metum dimittere oportet. Quin si sal volatile iis inesset, id, dum evaporando inspissantur, cum aqua, aut vino etiam avolaret. Porrò, quia acetum, dum evaporatur, exhalat, & spiritus eorum acidus evaporatione magis libertati vindicatur, (aceto siquidem repurgata odorem penetrantiorem spirant) idcirco depurandi modus per acetum non est contemnendus. Quamquam is, qui cribrando fit, quippe, quo eorum natura nihil planè immutatur, proximo non sit posponendus.*

y Terebinthina. *Videndum est, ne nimium terebinthinæ, in qua gummi igne leni solvenda sint, adjicias, nisi hoc emplastrum debito mollius desideres.*

z Crassè. *Sæpè hac in parte nonnullos nimis parcè emplastra supra corium extendendo deliquisse observavi.*

aa Nullo. *Prosunt hîc inprimis* Pill. visc. solu. & purg. *vide* Cur. 5. Observ. 17. &c.

OB-

OBSERVATIO II.

De Abſceſſu in Abdomine, qui apertus lumbricos reddebat.

ANno MDCXCVI. a me opem petiit mulier infimæ ſortis, & corporis externa facie ſani, quæ quatuor aut plures menſes (*a*) de dolore in ima abdominis parte conquerens, ibi (*b*) tumorem magnum & (*c*) durum nanciſcebatur. Hic autem tumor parum extra cutis ſuperficiem (*d*) eminens in ſui medio tangenti offerebat (*e*) mollitiem, cum (*f*) reſiſtentia & (*g*) dolore conjunctam. Ex quibus phænomenis de (*h*) abſceſſu certus, vulnus ei phlebotomo magno inflixi; & pure (*i*) blandè expreſſo, turundam *Unguento baſilico* oblitam, ac reliqua, ut artis erat, admovi. At quia tumoris durities magna erat, id egi, ut per *Cataplaſma, quod cæparum ſub cineribus aſſarum & contuſarum unam partem, & farinæ aveacæ tres partes, antea ex aqua decoctas*, (*k*) *habebat*, illam emollire conarer. Ubi malum hiſce medicamentis bis in die aliquamdiu tractaveram, linimento forte fortuna è plaga elapſo, ex ea neſcio quid prominere cœpit, quod mulier inteſtini portiunculam ſuſpicans, me attonita acceſſivit. Ego verò cum ad illam acceſſi, illud prominens volſella arreptum extraxi, & (*l*) lumbricum teretem, ac parum putridum eſſe deprehendi. Perrexi tamen illam eodem, quo cœpi, modo curare, niſi quod nunc ſingulis deligationibus aliquot guttas (*m*) *Balſami ſulphuris terebinthinati* ſyringâ ulceri leniter injiciebam, & turundam in eodem tinctam in vulnus demittebam. Poſthæc puris quantitas (*n*) adaucta eſt, ſed nunquam fæcibus alvinis (*o*) conſpurcata. Septimanam poſt denuò lumbricus è plaga vivus prorepſit. Quum inde conſtaret, (*p*) non unum lumbricum hunc excitaſſe abſceſſum, & adhuc plurium in abdomine latentium ſubiret ſuſpicio, unciam dimidiam *Electuarii bieræ* (*q*) *picræ Galeni* mane dandam curavi. Quod ubi alvum non civit, poſtero manè drachmas ſex ejuſdem remedii devorandas juſſi, a quo blandè aliquoties dejecit, verum nil quicquam lumbricorum unà cum fæcibus (*r*) prodiit. Præcepi tamen, ut quovis manè drachmam unam prædicti electuarii (*s*) caperet, ſed alvo nimis motâ ab eodem diem unum atque alterum abſtineret. Atqui cum durities non amplius per iſtud cataplaſma diminui videretur, in ejus locum (*t*) ſubſtitui (*u*) *Emplaſtrum ex emplaſtri de ranis cum quadruplici mercurio, & gummi galbani depurati æqualibus partibus, cum tantillo olei philoſophorum malaxatis paratum*. Poſtea rurſus lumbricus, qui tertius erat, eſt egreſſus: quum tandem longè poſt quartus etiam excedit, tumore interim admodum emollito. Cum jam viderem balſamum ſulphuris nil efficere, (*w*) *Aquam phagedenicam* (quæ ex *aqua calcis*, cui in pelvi lapideo cum piſtillo ligneo tantum *mercurii ſublimati* admiſcetur, quantum flavedini vitellinæ ei conciliandæ ſufficit, conficitur) itidem (*x*) injiciendam, ſed (*y*) tepefactam in uſum revocavi. Verum citra auxilium. Et nihilominus abſceſſus non plures lumbricos edebat; nec durities utpote (*z*) exigua, nec puris (*aa*) ſtagnatio, quippe, quæ nulla erat, ſanationi obſtabat. Igitur ulcus ſpecillo explorans inveni meatum ejus obliquè deorſum, vel digitum longum, in abdominis cavitatem uſque penetrantem. Quam ob rem deſperabam (*bb*) propemodum de ulceris conſolidatione, eò magis, quod dictis reme-

remediis victis, ulcus tantillum puris exsudare (*cc*) continuabat. Postremo incidens in *Balsamum martiale*, cujus hæc descriptio est:

> ℞. *Limatur. chalyb.* ℥jv. *Huic vitro (dd) capaci inditæ superaffunde olei terebinthinæ* ℥v. *Tum paulatim, ne nimis (ee) effervescat, per vices instilla, spir. nitri* ℥iij. *& digere leni calore dies aliquot. Tandem decanta purum pro Balsamo.*

illud paravi, & eodem modo, quo balsamum sulphuris, adhibui, præterquam quod ulcere impleto, linteum in tenuissima filamenta carptum, (*ff*) laxè superimposui: eventu (*gg*) adeo felici, ut ex eo tempore pus decresceret, & ulcus funditus cicatrice cavâ clauderetur. At circa illam menses aliquot post vidi herniam (*hh*) intestinalem natam, quæ paulatim ab initio exiguo ad ovi gallinacei magnitudinem accreverat, cujusque foramen, injecto digito, clarè dignoscebam. Quapropter ad ejus incrementum inhibendum, brachærium ibidem conveniens gestandum jussi.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

Quia vermes fistulam intestinalem erodendo atque perforando bujus affectus causa extiterunt, ut sequentia extra controversiam ponent, idcirco de iis hic paucula præmittenda censeo. Muscis femellis, teste Rhedo *Insectorum indagatore accurato, repositorium est in duas cellulas divisum, quarum una ovula, (Horum liquorem a semine maris, ex quo cum femella coivit, in vermis rudimentum secundum naturæ leges elaborari putamus) fimum altera contineat, ita tamen, ut utrumque per communem ductum excernatur. Ergo cum muscæ* ovula *habeant, dubio procul ea ponunt: quod ovula ab erucarum, ac bombicum papilionibus, qui etiam ad muscarum genus pertinent, posita confirmant. Verum quidem est, quod illa posita oculorum aciem fugiant; sed id fimo, qui cum simul egeruntur, ac quoque conspurcantur, tribuendum venit. Itaque vermiculi, quos laniones è muscarum* fimo *progigni arbitrantur, ac id propter tam sedulò eas muscario a carnibus suis abigunt, veriùs ab* ovulis *fimo sepultis originem trahunt. Præterea haud nego, quod muscæ majores vermiculos, non ovula, reddere videntur: sic* Scaliger *testatur, muscam majorem captam intra manum suam vermiculos aliquot peperisse. Sic vermiculi, non ovula, cernebantur circumrepentes supra sindonem rariorem, quo vitrum capacissimum alterum multò minus frustulo carnis instructum, & sindone densiori contectum habens, observaverat* Rhedus. *Verum re bene perspecta, cum fimus ovula ubique comitans, instar stercoris avium, multum salis, videl. alcali volatilis oleosi contineat, sicque affatim materiam primi elementi transmittat, efficit calore suo, ut vermiculi tam brevi tempore ex ovulis excludantur, ut vivi a muscis edi dumtaxat appareant. Horum exclusio enim fit* calore, *quatenus eo succus nutritius in ventriculorum rudimenta digeritur, qui inde aucti ex ovulis erumpunt, atque prorepunt. Et quando calore ex ovulis excluduntur, mirum non est, si in rebus putrescentibus, vel putridis satis secundum particulas suas motis, adeoque calidis ferè proveniant; magis quia hæ simul nidi, in quo degant; & nutrimenti, unde a antur, vicem supplent. Ergo non proficiscuntur* ex putredine quà putredine. *Hinc eos in corporibus corruptis, ad quæ muscis accessus quocunque modo præcluditur, haud nasci videmus. Cum ergo vermes ex ovulis nascantur, & ibi solummodo reperiantur, ubi muscæ circumvolitant; nullam video rationem, cur hæ alimentis: quibus fere insident, etiam de ovulis non prospiciant. Itaque in propatulo est, muscarum ovula alimentorum ope*

in

in ventriculum pervenire. At quia vermes sunt nulli, nisi quibus sanguis viscidus, fermentum ventriculi iners, adeoque fermentatio, quâ (& non ullo aliomodo) cibum in chymum converti judicamus, debilis est, idcirco hæc ovula in ventriculo non destruuntur omnia. Quæ ergo interea manent, ulterius chymo vehuntur in fistulam intestinalem. Quum ovula sic vehantur chymo quasi innatantia, contussione, sicut gallinarum ova, exclusioni inepta reddi non possunt. Porrò, quoniam aliæ muscæ majores, aliæ minores sunt, alia ovula etiam majora, alia minora existant, oportet. Igitur dum majora (*de quorum vermibus, ut & minutissimis* ovulorum volantium *hîc differendi locus non est*) *cum chylo per vascula chylosa, id est, lactea in sanguinem provolvuntur*, minora *in hæc ob magnitudinem suam ingredi nescia, cum fæcibus in intestinum colon descendunt, è quibus earum calore oleo volatili alcalino magnam materiæ subtilissimæ copiam admittenti debito, vermes, qui malo patientis nostræ causam præbuerunt, exclusi sunt.*

a De dolore. *Dolor primum hujus morbi fuit symptoma, quod vermes fistulam intestinalem erodendo concitarunt. Quando res corporeæ, in primis acutæ, nervos ita movent, ut cum ruptionis periculo tendantur, mens nostra perceptionem* molestam, *adeò isti nervorum motui adnexam, quam appellamus* dolorem, *accipit. Eam verò perceptionem esse* tristem, *eò quod mens nostra ab eodem admonita corpori suo imminere perniciem judicat, notum mihi persuadere non possum: non tantum, quia hæc perceptio dolorem consequitur; sed & cum homo ferè de hac pernicie non cogitans eum sentiat; quin frequenter de ista pernicie certus, eodem afficiatur nullo.*

b Tumorem. *Ubi vermes fistulam intestinalem erodendo perforarunt, peritonæum ei contiguum simul eodem modo penetrarunt. Atque illud inter & abdominis musculos hærentes sinum mole sua sibi excavarunt, in quo interni vapores collecti pus constituerunt: unde ille tumor provenit.*

c Durum. *Particulæ verò acidæ, quæ huic puri inerant, stagnatione libertati vindicatæ, succos partium continentium isti sinui circumjacentium, materiam primi elementi repellendo condensarunt, sicque hanc duritiem produxerunt: cujus naturam vide* Rat. phil. Obs. præced. sub titulo, Induratio.

d Eminens. *A puris copia continuo vaporum internorum accessu aucta, non sine succorum condensatorum, de quibus paulò superiùs, circulatione impe ditâ.*

e Mollitiem. *A nexu mobili particularum puris, quo hoc prementi cedebat.*

f Resistentia. *Qua pus in prementem reagit, eumque instar pilæ, quæ in reticulum pellitur, repellit.*

g Dolore. *Ab acidis puris particulis fibrillas nervosas ita afficientibus, ut cum ruptionis periculo tendantur.*

h Abscessu. *Pure in sinu collecto, in quod vapores interni abscesserunt.*

i Blandè. *Nam ubi cum dolore pus exprimitur, nervi tenduntur, atque angustantur, unde succus nervosus celerior, & copiosior affluens inflammationem excitat, pus auget, &c.*

k Habebat. *Ex omnibus medicamentis nihil unquam efficacius, quàm* cæpas sub cineribus assatas, *ad tumores duros emolliendos comperi: nam particulæ earum viscidæ subtiles in poros succorum condensatorum illapsæ, eos ita dilatant, ut alcalinis partibus earum volatilibus intrò aditus pateat. Quæ igne cœlesti agitatæ quietas istorum succorum particulas molliendo ad motum qualemcumque perducunt, sicque mollitiem efficiunt. Hoc autem cataplasma præter*

ter cæpas habet aquam, *&* avenæ farinam : *quarum illius particulæ cæparum viscidas in poros supradictos illabendo comitantur, & eosdem dilatando juvant; at avenæ particulæ viscidæ poros cutis obstruentes, materiam subtilissimam intus continendo ad hunc mollitiei motum, suum conferunt.*

l Lumbricum teretem. *Triplex vermium genus in intestinis nasci consuevit, unum teres, quos* lumbricos*; alterum latum, quos* cucurbitinos*; & tertium maximè exiguum, ac subsiliens, quos* ascarides *appellant. Cum illi, tum præcipuè isti interdum quàm longissimi sunt, & quidem partim ob ovulorum, è quibus prodierunt; magnitudinem acquirunt partim ob calorem fæcum foventem, & partim ob magnam nutrimenti copiam. Verum hi brevissimi sunt, quoniam ovula eos edentia admodum parva, utpotè à formicis volantibus profecta, sunt: nam vermiculi, quos caseus nutrit, quique intermediis chrysalidibus in formicas volantes transeunt, cum ascaridibus conveniunt. Horum ergo ovula poris intestini recti, ut quibus quoad figuram, ac magnitudinem responderent, inhæserunt, in iisque calore rupta hosce vermiculos produxerunt. Hinc ratio peti potest, cur in corporis nostri partibus aliis alii vermes nascantur: nimirum, quia muscæ aliæ alia ovula ponunt, quæ ubi per vascula chylosa in sanguinem pervenerunt, in iis tantum partibus retinentur, cum quarum poris de figura, ac magnitudine conveniunt: Et ubi in corpore nostro vermiculi proveniunt, qui extra illud apud nostrates non inveniuntur, eorum ovula è regionibus peregrinis in nostram perventum, aves, &c. fuisse transvecta, sicut hoc pacto pisces in alveis recens fossis progigni observamus, affirmare non dubitarem.*

m Balsami sulphuris terebinthinati. *Hic namque balsamus abscessuum sinus purgat, & carnem unà in iis procreat; quatenus ex oleo subtili alcalino constans, multum materiæ subtilissimæ adferendo, copiosos vapores internos prolicit, qui sordes ex vulceribus, fibris intermediis extendendo disruptis propellunt; ac materiam carni novæ suppeditant.*

n Adaucta est. *Tam, quia lumbrico deprompto, sinus major factus est; quàm propter usum hujus balsami copiosos vapores internos, unde pus ortum ducit, prolicientis.*

o Conspurcata. *Hinc palam est, foramen, quod vermes in fistula intestinali fecerunt, non ingens, protinus post eorum transitum coaluisse: illud namque cum magnum est, aut chymum, aut fæces alvinas, prout intestinum tenuvius, vel plenius perforatum est, transmittit.*

p Non unum lumbricum. *Duo præcipui sunt modi, quibus naturæ scrutatores hodie vermes generari contendunt,* ex ovulis *;* *&* ex certa particularum dispositione, ac compositione. *Atque cum uno, eodemque loco multi simul, ut in hoc casu quatuor, posteriori modo produci non possint, priorem verò esse propriorem collige.*

q Picræ Galeni. Anthelmintica *verò sunt, vel* oleosa fixa, *quæ vermes, per spiraculorum, quibus aërem hauriunt, obstructionem inducendo; vel purissima* alcalia, *quæ eos pungendo, vel* acida, *quæ eos lancinando; vel* salina, *quæ eos utroque modo lædendo; vel* amara, *quæ eos molleculis suis furcatis transfodiendo, interimunt. Quod attinet ad* vermes siccatos, & pulverisatos, *ii, si utiles sunt, prosunt quatenus lumbrici odorem cadaverum sui generis, quantumvis* automaticè, *fugiunt.*

r Prodiit. *Unde reliquos sequentes duos in abscessus sinu, non in fistula intestinali delituisse, vero simile est.*

s Caperet. *Ut lumbricos recens natos interimendo, atque interemptos educendo, novæ eorum productioni occurrerem: alia enim, pluraque remedia*

dia

dia laborantis loculi non ferebant; nec etiam opus erat: quanquam interim victus rationem, cujus Obf.præced. *memini, commendare ei haud neglexerim.*

t Subftitui. *Experientia docet, remediorum mutationem non parum ad morbos diſſolutione viſcidi egentes ſanandos facere. Nec ratio etiam refragatur: nam licet medicamenta unius, ejuſdemque generis ſint, tamen aliam particularum proportionem, ac mixturam habent, quæ efficiunt, ut materia ſubtilis alia transmiſſa, non liberè ſicut præcedens per cauſæ morbificæ poros transfulminat, unde eam magis intrinſecè movet, agitat, ſolvit.*

u Emplaftrum. *Hoc emplaſtrum cataplaſmati ſupradicto facultate diſſolvendi, ac emolliendi vix cedit: abundat enim* argento vivo *alcali volatili ſummo. Siquidem id* alcali *eſſe, patet ex eo, quod cum acido effervefcat, & hoc gladiolos poris ſuis excipiendo temperet:* volatile *eſſe, quod leni igne avolet; atqui* summum *eſſe alcali volatile, quod præ cæteris alcalinis volatilibus viſcidum ſolvendo morbos pertinaciſſimos curet. Ingredientia autem reliqua, per quæ* Empl. de ranis cum mercurio *hic prodeſt, ſunt* oleofa fixa *&* volatilia, *non tamen ſine* alcalicis volatilibus. *At* gummi galbanum *ex* oleo fixo *&* acido *conſtare*, Chimia *prodit. Sed* oleum philofophorum *inter olea volatilia, quorum ramuli alcali volatile contegunt, (vide* Rat. ph. obf. præc. fub titulo, Oleofa tam fixa, quàm volatilia *) eſſe referendum puto. Nimirum particulæ oleoſæ materiam ſubtiliſſimam affatim alliciunt, quæ particulas ſuccorum condenſatorum quietas movet; & alcalinæ volatiles; acidæque ab iſta materia ſimul motæ viſcidas horum ſuccorum diverſimode pro ſua figura dividunt; ſicque ambo duritiem ab iſtorum ſuccorum condenſatione ortam diſſolvunt, atque emolliunt.*

w Aquam phagedenicam. *Quia calx maximam partem ex* alcali *conſtat, quippe quæ acidum potenter temperat; ſali armoniaco mixtum, ejus alcali volatile libertati vindicat; mercurium ſublimatum in aqua mercuriali, inſtar ſalis tartari, præcipitat, &c. at non ſine interpoſito* acido, *nam levem coagulationem lacti dulci inducit; ſal volatile vehementer figit; & affuſa aqua acidum è latibulis alcali protrahente (eo plane modo, quo alumen recens uſtum, infuſione cum aqua brevi aceſcit) effervefcentiam excitat: ideo illa particulis acribus pollet. Quibus a materia primi elementi, quam copioſam tranſmittit motis; & fibrillas, quarum ope ſordes ulceribus affixæ ſunt, ſolventibus atque ſcindentibus, ulcera impura repurgat. Igitur aqua phagedenica* Remedium mundicativum *eſt. Sed quoniam ſimul auſtera eſt ob Mercurium ſublimatum, ac ſummè auſterum, idcirco ignem cœleſtem arcendo particulas vaporum ramoſas cum incluſis alcalinis, ac terreſtribus in cicatricem, quiete intermedia, ac externa preſſione cogit. Ergo unà eſt* medicamentũ *inſigniter* epuloticum.

x Injiciendam. *Etiamſi non ſatis tutum ſit in ulcera abdomen penetrantia injectionem injicere, cum ea in illius cavitatem delapſa neſcio, quæ incommoda moveret, tamen quia hoc ulcus in ima imi ventris parte erat; inde mihi nil incommodi expectandum videbatur.*

y Tepefactam. *Quum injectio intra corporis ſuperficiem adhibeatur, ubi frigus, ſi ullibi, certè hic, ſuccos incraſſando, ac obſtructiones pariendo; morbos producere poſſet, diligenter curandum eſt, ut ea tepefacta, id eſt, a calore ſanguinis noſtri vix differens, (non autem calidior, quia ſic dolor excitaretur, vide* blandè *) uſurpetur.*

z Exigua. *Nam quamdiu durities notabilis, adeoque obſtructiones adſunt abſceſſui aperto, vapores interni ſucco nervoſo diluit, qui ſub forma lymphæ per tubulos in vaſa lymphatica ſanguinem verſus regredi conſueverunt, ſtagnant, & in pus abeunt, ſinus conſolidationem impediens.*

aa Stagnatio. *Sinus enim ex quo pus non liberè & jugiter, admotâ cannulâ, pulvillis, fasciâ, vel alio quocunque modo effluit, curationem vix recipit, nisi in totum discindatur, aut saltem ei loco inferiori, &c. plaga una pluresve infligantur. Id quod* ratione *in propatulo est: siquidem cum sinus latera ob inclusum pus sese proximè non contingunt, sibi uniri, & exclusis corpusculis intermediis, in corpus continuum mutari nequeunt. Hoc idem quoque* experientia *quotidiana confirmat.*

bb Propemodum. *Siquidem cum ulcus* longissimum *obliquè in abdominis* cavitatem descenderet, *verebar ne pus quantulumcumque in ea delitescens, ægrè per illud ascenderet, idque continuò suo transitu apertum servando, in fistulam converteret insanabilem.*

cc Continuabat. *Nam consolidatio fieri non poterat, quamdiu puris quantitas perexigua eadem permanebat.*

dd Capaci. *Ne, si vitrum parvum sit, liquor contentus ex eo ebulliat.*

ee Effervescat. *Nam tum chalybis, tum olei terebinthinæ pori ob exceptas particulas nitri acidas angustati, multum materiæ subtilissimæ colligunt: quæ tanta copia hìc congregata, quia mobilissima est, eum motum intestinum, quem Chimici* effervescentiam *vocant, concitat: magis quod per illos poros angustatos rapidissimè transfulminans* (nam angustia loci celeritate angustatos motus, *juxta* Physicam *saniorem*, compensari debet) *partes chalybis abjectas propellit.*

ff Laxè. *Quo pus imbibendo cicatricis inductionem promoveret.*

gg Adeo felici. *Hoc balsamum insigne remedium ad hujusmodi ulcera sum expertus. Sed unde tanta ei efficacia? Spiritus nitri sub effervescentia particulas minutissimas è chalybis limatura solvit, quibus in se acceptis rubedine tinctus* austerrimus *evadit. At quum oleum terebinthinæ huic tincturæ immixtum sit, austeritatem ejus acidum ramulis suis involvendo non mediocriter diminuit. Igitur hic balsamus est* oleum terebinthinæ leniter adstringens. *Quod non potest non esse utilissimum ad hoc genus ulceris medicamentum. Siquidem per particulas suas acres fibrillas, quarum ope sordes iis adhærent, dividendo, eadem* mundificat; *per oleum suum subtile, materia primi elementi intermedia, vapores proliciendo*, parum carnis procreat; *& per adstrictionem suam* latera *hujusmodi ulcerum carnosa ad se invicem attrahendo*, coalescere *facit. Igitur, cum* balsamus sulphuris terebinthinatus *non adstringat*, & aqua phagedenica *oleo subtili careat, manifestum est, cur neutrum hoc ulcus ad sanationem perducere potuerit.*

hh Intestinalem. *Quod mirum non erat: nam fistula intestinalis meatum ulceris consolidatum paulatim dilatavit, & magis magisque ingressa est, ut tandem cicatricem cum cute circumposita in supradictam magnitudinem elevaret.*

OBSERVATIO III.

De Ulcere in inguine, quod chymum, potumque transmittebat.

EOdem anno me mulier ætatis provectioris, in pago aliquot milliaria ab Urbe dissito degens accersivit, ulcere in inguine, quod chymum potumque

que (*a*) transmittebat, laborans. Erant verò pauculæ septimanæ, quod (*b*) dolorem acrem (*c*) circa umbilicum esset passa, quem paulatim sequutus est in inguine tumor ad brachii crassitiem (*d*) accrescens, ac (*e*) dolorem, (*f*) febrem continuam, atque (*g*) appetitum prostratum comitem habens. Tandem in summo tumore apparuit (*h*) vesicula liquorem tenuem, fœtidumque (*i*) exsudans; & tegens (*k*) putredinem, quam brevi magna liquoris (*l*) fœtentis copia ex abdominis cavitate cum verme perrumpens (*m*) aperuit. Putredine, ac fœtore per remedia convenientia profligatis, esculenta concocta, atque potulenta, postquam (*n*) titillationem circa umbilicum senserat, ex (*o*) ulcere profluebant. Quod tres hebdomadas duraverat, cum ego vocatus illam a febre immunem, appetitu in dies (*p*) erecto, offenderem. Inter Medicum satis peritum, cui ejus cura erat commissa, & me conveniebat, ut ferè carnium vitulinarum, gallinarumque juscula; pultem ex lacte dulci cum farina avenæ, vel tritici coctam; aliaque id genus (*q*) viscida comederet: lac dulce (*r*) chalibeatum pro potu ordinario biberet: ab omnibus (*s*) acribus abstineret: imo si quæ solida alimenta, cujusmodi sunt carnes, panis, &c. appeteret, ea non nisi minutissimè masticata (*t*) deglutiret. Ad hæc ex remediis vulnerariis quolibet die *resinæ* (*u*) *terebinthinæ claræ* ℥j. *cum* ℈ß. *extracti* (*w*) *rhei* in pilulas redactæ per vices caperet; & *radicis consolidæ majoris* (*x*) *conditæ*, *ut artis est*, ℥ß. adjiceret. Interea temporis Chirurgus id faceret, ut quicquid materiæ inutilis in abdomine colligeretur, liberè ex eo per ulcus (*y*) exiret. Verum quoniam ægra abhorrebat a Pharmacis, ex quo ab illa discessi, loco istorum remediorum (*z*) *parum mellis*, & (*aa*) *multum olei olivarum* sumpsit, quibus successu temporis, quod ex abdomine per ulcus effluere consuevit, adeò fuit diminutum, ut tandem penitus desineret; & laborans ipsa, ulcere probè sanato, pristinæ sanitati restituta evaderet.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

V*Ermes in intestinis nati, postquam ea perforarunt, vel in abdominis cavitatem inguen versus delabuntur; vel peritonæum una penetrantes, illud inter & musculos abdominis hærent. Qui ut in hoc casu* mediante abscessu *prodeunt, id quod curatio præcedens ob oculos posuit; ita in priori* per putredinem *egeruntur, de quo in præsentiarum agere oportebit.*

a Transmittebat. *Hinc liquet intestinum tenuvius, quippe quo chymus potusque continentur, a verme (nam unum hoc malum excitasse, infra patebit) fuisse perforatum, & quidem foramine magno: id enim si exiguum extitisset, post ejus transitum illico coaluisset, ut in medicatione proxima factum vidimus. Atque unde in hoc intestino vermis? num in eo productus est? Hoc mihi verosimile non fit: nam cum vermes ferè in rebus putridis nascantur, & fæces alvinæ rationem rei putridæ habeant, illos in colo, ubi eæ remorantur, progigni existimo. Adde, quod in intestino tenuviori recens exclusi, ac tenelli, ab acrimonia fermenti intestinalis, bilis & succi pancreatici in id jugiter defluentis, brevi necarentur. Verum hæc non obstant, cur minus ex pleniori in tenuvius prorepere, sicque grandiores natu in eo degere, possint.*

b Dolorem. *Vide* Rat. ph. observ. præced. *sub tit.* de dolore. *Is verò hic, quoniam intestinum gracilius utpote crassiori nervosius, admodum sensibile est,* acris *fuit.*

c Circa umbilicum. *Cum hic loci intestinum tenuvius recumbat, id & non plenius, a verme perforatum fuisse, in propatulo est.*

d Accrescens. *Per hoc intestini foramen chymus potusque in inguen depluentes, peritonæum & musculos abdominis cum integumentis communibus sua copia in dies aucta distendendo hunc ingentem tumorem excitarunt.*

e Dolorem. *A particulis acribus hujus chymi potusque effusi, quæ hac stagnatione calida a compedibus suis liberatæ erant.*

f Febrem continuam. *A particulis horum peregrinis per vasa lymphatica in sanguinem pervenientibus, eique perturbatam mixtionem inducentibus. Ista vero vasa originem trahunt è tubulis, id est, interstitiis partium corporis nostri continentium, è quibus vapores internos succo nervoso dilutos accipiunt, & in glandulas conglobatas, quas ingrediuntur, sub lymphæ forma deferunt, quæ harum fermento attenuata per alia vasa lymphatica è dictis glandulis enata in lymphæ, id est, chyli receptaculum provehatur.*

g Appetitum prostratum. *Cum sanguis ex hac perturbata mixtione viscidior factus sit. (Vide* Rat.ph.obs.1. *sub tit.* Tristitiam, &c.*) fermentum ventriculi itidem viscidius evasit, unde appetitus fuit dejectus.*

h Vesicula. *Quia chymus potusque liquorem constituentes, hoc loco calido putruerunt, ideo particulæ eorum acres libertati vindicatæ, & a materia cælesti motæ inguinis peritonæum, musculos, & cutem solvendo corrumperunt. Et quando eædem partes hac corruptione corruperunt porosiores sunt factæ, idcirco particulæ aquosæ supradicti liquoris putridi per eas penetrarunt usque ad ipsam epidermin, quam in vesiculam elevarunt.*

i Exsudans. *Quæ eædem particulæ hunc liquorem tenuem, fætidumque constituerunt.*

k Putredinem. *Nam cutis subjacens cum musculis ac peritonæo, ut paulò antè demonstratum est, corruptæ erant.*

l Fœtentis. *Qui chymus potusque putrefactus erat particulas subtilissimas ac mobilissimas exhalans, quæ figura atque magnitudine a poris papillarum olfactoriarum dissentientes, iis aliquam vim intulerunt, sicque in mente fœtoris perceptionem excitarunt.*

m Aperuit. *Tum distensione, tum liquoris acrimoniâ.*

n Titillationem. *Ubi res corporeæ, inprimis acutæ, nervos blandè movent, in mente nostra perceptio* grata, *a Deo istis motui adnexa, quæ* titillatio *nuncupatur, exoritur. At eam esse perceptionem* lætam *in mente nostra, quod corpori suo sat virium actioni istarum rerum resistendi inest excitatam, non assentiri queo, cum hæc perceptio titillationem sequatur; homo virium corporis sui immemor ea afficiatur; & frequenter nulla, licet earundem bene gnarus sit. Igitur titillatio laboranti nata est ex chymo potuque fistulæ intestinalis fibras nervosas, dum eam transibant, leniter afficientibus.*

o Ulcere. *In quod inguinis apertura, putredine ac fætore profligatis, transierat.*

p Erecto. *Nam particulis peregrinis supradicti liquoris fœtentis eductione non amplius in sanguinem pervenientibus; iisque, quæ antea cum ingressæ erant, per viam urinariam cum urina ex eo egressis; febris tandem se intermisit, & appetitus rediit.*

q Viscida. *Ut eorum ramuli circumferentiæ foraminis intestini adhærendo, illud clauderent, ac consolidarent.*

r Chalibeatum. *Chalybs enim candens, dum lacte dulci crebrò extinguitur, ei adstrictionem blandam conciliat, quatenus ejus acidum motu hoc intestino extricatum, particulas aliquot ex chalybe solvit, in seque accipit.*

Ex

Ex chalybe enim cum acido plurima adstringentia remedia parari, vel Chymiæ tyronibus notum est. Quæ lactis adstrictio foraminis intestini latera propius ad se invicem attraheret, sicque ejus consolidationem promoveret.

s Acribus. *Quippe quæ foramen istud acrimonia sua amplius redderent.*

t Deglutiret. *Nam idem quoque a frustulis cibi solidi dentibus non bene contriti, & se in illud foramen insinuantis, exspectandum veniret.*

u Terebinthina. *Hæc enim ramulis suis tenacissimis foramini dicto inhærentibus, ad curationem posset.*

w Rhei. *De cujus adstrictione idem intelligendum est, quod paulò supra de lactis chalybeati adstrictione diximus.*

x Conditæ. *Quod de* viscidis, & rheo *dixi; idem de hac radice, utpote viscida pariter ac adstringente dictum puta. Ea verò condita præscripta est, tam ut saccharo sordes, si quæ forte foramini adessent, detergeret; quàm ut patientis gustui esset gratior.*

y Exiret. *Quod ad ulcus inguinis sanandum summè necessarium erat. Vide* Rat. Ph. Obs. præc. *sub titulo*, Stagnatio.

z Parum Mellis. *Mel (ut & saccharum, aliaque dulcia) præprimis ex acido & oleo fixo constare, ita ut illud huic prædominetur, analysis Chimica ostendit. Quum ergo acidum ejus a materia subtilissima, quam oleum copiosam adfert, agitatum fibras, quarum beneficio sordes ulceribus adhærent, discindat, sicque ea mundet, ut pariter huic foramini intestinali mundando etiam profuit.*

aa Multum olei olivarum. *Hoc autem oleum, præcipuè ex acido & oleo esse compositum, ita ut hoc illi præpolleat, Chimia quoque extra controversiam ponit. Igitur dum intestini foramen a melle purgabatur, ramuli istius olei lateribus ejus adhærebant, adeoque id clausum sanabant. Igitur non abs re vulgus hominum apud nostrates oleum olivarum, adjecto sacchero, ad vulnera recentia adhibet.*

OBSERVATIO IV.

De Ventris torminibus, quæ flatibus originem debebant.

VIr quidam anni MDCXCV. Majo, tres fere septimanas cum *(a)* dolore, eodemque *(b)* vago, in altero abdominis latere, sub costis *(c)* spuriis, non sine magna *(d)* distensione, quæ *(e)* vesperi ventrem invadebat, conflictabatur. Quando flatum *(f)* edebat, sibi *(g)* levamen sentire videbatur: unde morbum *ventris tormina è (h) flatibus (i) oriunda* esse judicabam. Itaque ægro injunxi, ut sibi a frigore quocunque; nec non, viscidis, acidis, dulcibus, ciborum ingurgitatione, nimia corporis quiete, *(k)* ac tristitia, &c. caveret: quin alimenta sua affatim *(l)* aromatis, ut sunt, cinnamomum, macis, charyophilli, semen anisi, cortex aurantiorum, &c. condiret. Præterea *Mixturam chimicam*, quæ habebat, *spiritus salis armoniaci (m) dulcis, & (n) tincturæ opii* ā.℥ß. & *(o) olei anisi gutt.* XVI. quæque vitro bene clauso servabatur, exhibui. *Tinctura* verò *opii* sic a nobis paratur:

℞. *Opii*

℞. Opii ℥j. cui leniter (p) torrefacto, & in pulverem redacto effunde, lixivii cineris (q) clavill. ℥jß. & postquam aliquandiu loco calido stetit, adde (r) spir. vini ℥x. Tum adhuc aliquot horis digere & filtra per chart. bibul. semel, atque iterum, & f. tinct. opii.

Istius autem mixturæ mane 20. sub meridiem 30. & vesperi 40. guttas cum potu ordinario sumpsit. Ast ubi tres fere dies (*s*) non dejecerat, hunc *pulverem (t) purgantem*:

℞. Diagrid. ℈ß. (u) Nitr. gr. VIII. Ol. anis. gutt. II. M. f. pulv.

manè ex cerevisiæ cochleari capiendum jussi. Per quem cum non nisi (*w*) semel fæces (*x*) duras egessisset, idque citra mali (*y*) decrementum, postero die eundem aliquot diagridii granis auctum reiteravi. Qui non modo alvum magis movit, verum etiam morbum ferè penitus (*z*) discussit. Nibilominus prædictæ mixturæ reliquias (*bb*) consumpsit, sicque nullo altero remedio usurpato, sanitatem recuperavit.

Infantes ventris torminibus è flatibus etiam ortum trahentibus admodum (*aa*) opportunos esse, quis ignorat? Quomodo verò nos ea tractemus, ex hac curatione videre licet Anni MDCXCV. Junio, parvulus 3. menses natus ferè nihil aliud quàm (*cc*) flebat, flatum nonnunquam (*dd*) edens: unde morbum hoc genus ventris tormina esse censebam. Ergo de hac *mixtura*.

℞. (ee) Ocul. cancr. pp. ʒß. Syrup. (ff) papav. alb. ℥ß. Aqu. fœnic. & ment. ā. ʒVI. (gg) Spir. carminativ. Syl. ʒij. Ol. anis. gutt. I. M. ad vitr.

flenti ter die cochlear perquam exiguum dederunt. Et quia hinc alvus ferè (*hh*) suppressa erat, eam *suppositorio saponis (ii) Veneti* oleo olivarum oblinito, & a parte inferiori indito, quotidie solverunt. Per quæ auxilia ægrotulus brevi malo suo liberatus est.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

F*Latus salinos priora ventris tormina, & acidos posteriora excitasse, hic inter initia, quo melius ratiocinia nostra percipiantur, supponere convenit.*

a Dolore. *Quid dolor sit, & quomodo moveatur*, Rat. phil. Obs. 2. *sub tit.* De dolore, *videre est. At quænam sunt res corporeæ, quæ in hoc torminum genere nervos afficiant? Acres, eædemque* salinæ: *nam cum bilis alcali; fermentum intestinale acidum; & succus pancreaticus utrumque ferè possideant; necnon, in fistula intestinali sibi invicem commisceantur, molleculæ salinæ ex iis debito acrioribus, & secundum particulas suas agitatis produci debent: uti hoc in Chimia, ubi liquores alcalini acidis admiscentur, nunquam non fieri videmus. Quoniam ergo pituita intestinalis facile ramulis suis molleculas istas salinas excipit, mirum non est, si inde acris evadat, & in flatus deducta hunc dolorem excitent. Præterea si causa hujus doloris esset aci*dum, *quæ multorum hodie sententia est, an non* illico *alcalia id temperando dolorem mitigarent? (quum illud, his adjectis, protinus omnem amittat aciditatem.) Quod quia non evenire experimur, semper ad opium confugimus. Et si usu venit, ut salia volatilia oleosa bujusmodi dolores tollant, id dumtaxat accidit, quatenus flatibus per ea dissolutis, molleculæ eorum salinæ minus in fibras intestinorum nervosas impelluntur. At qui hoc genus dolorem* a flatibus qua flatibus *deducunt, rem acu tangere mihi non videntur, quia ii quidem sensum distensivum, non autem dolorem movent. Hinc, ubi in iliaca passione flatus per anum in intestina injicitur distensio, non do-*

lor

lor excitatur. An gravida, utero a fœtu admodum distento, dolorem sentit? Nimirum, quando, cum multæ fibræ nervosæ simul sumptæ distenduntur, periculum ruptionis non incurrunt: quod ad dolorem requiri satis notum est.

b Vago. *A motu respirationis; & intestini peristaltico, flatus liberos de loco in locum protrudente.*

c Spuriis. *Hinc liquet intestinum illud fuisse colon.*

d Distensione. *Quod unum signum est, hoc malum è flatibus oriundum indicans.*

e Vesperi. *Sed cur vesperi hi flatus oriebantur? Interdiu multæ particulæ spirituosæ, id est, subtilissimæ è sanguine ægroti ferè sub dio, vel tecto ambulantis, avolarunt, qui inde vesperi viscidior factus succos in intestina confluentes, ut sunt, saliva, fermentum ventriculi, bilis, succus pancreaticus, & fermentum intestinale, debito viscidiores, & flatibus ansam præbentes, produxit.*

f Edebat. *Hoc alterum flatuum hujus mali indicium fuit.*

g Levamen. *Nam flatibus erumpentibus, molleculæ eorum salinæ vimus in intestinum adigebantur.*

h Flatibus. *Est verò duplex horum flatuum causa, una* materialis, *pituita intestinalis copiosior; altera* efficiens, *alcali volatile oleosum bilis, quod istam pituitam multum materiæ primi elementi adferendo in bullas, quæ flatus sunt, diducit: eo ferè modo, quo pueri aquam saponariam, aërem per fistulam terream in eam immittendo, in bullas elevant.*

i Oriunda. *Dantur quoque alia ventris tormina, quæ vel fermento intestinali, vel succo pancreatico, vel bili vel fæcibus alvi tenuvioribus, quoniam justo acriores sunt, non flatibus ortum debent.*

k Ac tristitia. *Hæc namque omnia pituitam intestinalem, sive immediatè, sive mediante sanguine viscidiori facto, copiosiorem reddunt: vide titul.* Frigus quodvis, *&c.* Rat. phil. Obs. 1. *sed pro fæcibus alvinis lege chymum, & pituitam intestinalem ab eo natam.*

l Aromatis. *Quæ, quia alcali volatili oleoso scatent, (oleum enim volatile, quod alcali volatile ramulis suis implicitum habet* Rat. phil. Obs. 1. *sub titulo,* Oleosa tam fixa, quàm volatilia, *ex iis arte chimica prolicere licet) & materiâ suâ subtilissimâ, quam magnâ copiâ admittunt; & cuspidibus suis alcalinis; pituitam intestinalem attenuant, atque solvunt; flatusque jam natos disrumpunt. Igitur hujusmodi medicamenta, quibus* alcalia *tam* fixa, *ut* sal absynthii, *&c. quàm* volatilia, *ut* sal vol. c. c. *addere licet, unum genus* flatus discutientium *constituunt. Quod ut ad* causam *eorum* materialem *tollendam adhibetur; ita alterum genus, quod* acida volatilia, *cujusmodi sunt,* spir. nitri dulcis, *&c. comprehendit, quodque priori adjicere convenit*, causam *eorum* efficientem *respicit.*

m Dulcis. *Hic autem spiritus vulgari modo ex sale armoniaco, adjecto alcali fixo destillatur, nisi quod ad eum parandum spiritus vini pro aqua adhibetur: sic enim aptus nascitur, cui oleum anisi intimè misceatur. Nam cum aqua destillatus intestinum motum a motu olei destillati diversum habet, quod idcirco ei admisceri renuit. Præterea spiritus hic huic affectui apprimè accommodatus est, quippe qui egregium alcali volatile oleosum est, quod quomodo juvet, videsis sub titulo,* Aromatis.

n Tinctura opii. *Quia verò nihil magis, quàm opium conducit ad particulas acres involvendas, doloremque leniendum, ideo tincturam ejus contra hoc dolorum genus spiritui supradicto addidi.*

o Olei

o Olei anisi. *Spiritus salis armoniaci dulcis, admixto oleo anisi*, sal volatile oleosum anisatum *dici meretur. Hoc autem oleum duplici nomine adjeci, & quia instar aromatum (vide* Aromatis*) pituitam intestinalem attenuat, ac solvit, flatusque disrumpit; & præ ceteris oleis destillatis ad quamvis acrimoniam, adeoque & salinam demulcendam potest: hinc ipsam quoque alcalinam lenit, sicut unicuique tabacum, unicâ tantùm olei hujus guttâ admixtâ, sugenti ignotum esse nequit. Quod si huic mixturæ* spirit. nitri dulcis ℥ß. *addidissem, quia is alcali volatile oleosum bilis corrigendo profuisset, non pessimè fecissem.*

p Torrefacto. *Opium verò leniter torrefeci, quo in pulverem redigi, sicque intimius lixivium cineris clavillati quaquaversum transmittere posset. Illud verò vehementer adurendo a sulphure narcotico, eodemque noxio liberare, non aliud est quàm id, cum sic spiritus ejus alcalinus volat... avolet, ne innoxium quidem; sed inutile reddere; vel ad minimum, molleculas ejus dividendo, non mediocriter debilitare. At qui idem ne torrefieri quidem volunt, contendunt particulas ejus subtiliores in auras evanescere. Verum hac, levi torrefactione particulæ dumtaxat aquosæ elabuntur, ut patet, eo quod artifices ad spiritum ejus alcalinum volatilem proliciendum, igne fortiori egent; & extractum opii, quod evaporando paratur, eundem etiam spiritum edit.*

q Clavillati. *Hoc autem lixivium affunditur, ut opii oleum tenacissimum dissolvat, porosque efficiat ampliores, per quos spiritus vini melius penetret, & particulas laudabiles, ac copiosiores ex eo solvat.*

r Spiritus vini. *Ex opio spiritus alcalinus volatilis (ut qui cum acido effervescat) cum oleo empyreumatico arte chimica destillat, terrâ in retortæ fundo remanente. Unde patet, id compositum esse ex alcali volatili, aqua, oleo, & terra. Cum ergo spiritus vini præcipuè ex aqua, & oleo subtilissimo constet, & aqua spiritum alcalinum volatilem ex opio; & oleum ex eodem oleum tenacissimum solvat; manifestum est, spiritum vini menstruum opii esse optimum. Quod si quis tamen solum spiritum alcalinum volatilem ex eo extrahere velit, is aquam coctam adhibeat; vel spiritum vini dephlegmatum, si magis oleo ejus tenacissimo gaudeat. Reliqua menstrua, ut,* acetum, succus cydoneorum, *&c. haud necessaria sunt, imo vires opii diminuunt: quanquam* spiritus vini tartarisatus *non sit rejiciendus.*

s Non dejecerat. *Alvum ab opii usu comprimi, neminem, qui ad ejus effecta diligens attendit, latere potest. Unde verò hoc phænomenon? Nam ab ejus molleculis austeris? Non puto, quia spiritus alcalinus volatilis, non acidus ex eo prolicitur. Sed id verius è magna sanguinis crassitie, quam producit, propullulat: nam licet* pars *ejus* spirituosa *è spiritu alcalino volatili, & subtilissimo oleo constans sanginem primo attenuet (ut patet ex eo, quod opium sudorem moveat; delirium leve excitet, vigilias ante somnum inducat; Turcis animum addat, &c.) tamen deinde* pars *ejus* crassa, *quam oleum crassissimum, & terra constituunt, succum nervosum lentiorem reddendo efficit, ut fibrillæ cerebri, & nervi subsidant, motusque sibi impressos ad glandulam pinealem transferre nequeant, unde somnus proficiscitur. Tum hoc succo, ut qui egregium fermentum sit, minus debito, tardiusque in sanguinem redeunte, hic minus intrinsecè moveri, sicque incrassari debet. Quando igitur sanguis ita incrassatus est, mirum non est, si fæces alvi tenuiores (quæ crassiores diluendo dejectionem promovent) minori copia ex eo in colon secedant, fæcumque descensum non efficiant.*

t Purgantem. *Ut per eum pituitam intestinalem ab antedicta mixtura & fluidiorem, & minus acrem factam, è corpore educerem.*

u Nitri,

u Nitri, olei anisi. *Quæ ad bilem, & pituitam intestinalem temperandam unà adjeci: vide* Ol. anisi.

w Semel. *Quando alvus ob usum tincturæ opii non parum erat stipata.*

x Duras. *Quoniam fæces alvi tenuiores è sanguine per opium incrassato parum secretæ excrementa alvi crassiora non satis diluerunt. Vide*, Non dejecerat.

y Decrementum. *Quia pituita acris ab usu misturæ superioris nondum sufficienter soluta, & lenita; nec per hoc remedium purgans educta fuit.*

z Discussit. *Ob sufficientem hujus succi eductionem.*

aa Consumpsit. *Ad reliquias causæ mali hujus dolorifici tollendas.*

bb Opportunos esse. *Quoniam ferè lacticinia assumunt, quæ utpotè sine longa intermissione sumpta pituitam intestinalem adaugent; & facilè ob intestinorum calorem acescunt.*

cc Flebat. *Ex hoc autem fletu patebat, eum affectu laborare dolorifico.*

dd Edens. *Hinc hunc affectum flatus fuisse arbitrabar: qui fortè acidi acres, ob rationem sub* opportunos esse *datam, fuerant: id quod etiam adjuvantia confirmabant. Quod si fæces unà virides extiterant, ut ferè in infantium torminibus evenit, res extra controversiam erat, quia bilis, quæ excrementa flavedine tingit, admixto acido virescit.*

ee Ocul. cancr. *Ad acidum pituitæ intestinalis temperandum, quod facit, quatenus ejus gladiolos poris suis exceptos occultat.*

ff Papav. alb. *Ad hosce gladiolos simul ramulis suis involvendos: participat enim de opio: utpotè quod ex papaverum capitibus, dum maturescunt, leviter incisis promanat.*

gg Carminativ. S. Ol. anis. *Quæ alcali volatili oleoso abundantia, pituitam intestinalem solvunt. Vide* Aromatis; *& simul acidi lancettas ramulis suis exceptas contegunt. Aquæ verò, licet parum olei volatilis contineant, (nam aquas destillatas simplices tantillum olei stillatitii cum aqua cocta probè commiscendo, conficere licet) tamen potius vehiculi vices supplent.*

hh Suppella. *Propter syrupum papaveris album.*

ii Veneti. *Hic namque alcali suo fixo intestinum rectum vellicando, copiosiorem succum nervosum in coli nervos allicit, qui id contrahunt, sicque fæces foras expellunt.*

OBSERVATIO V.

De Ventris torminibus cum febre continua conjunctis; in puerpera.

Ventris tormina cum febre conjuncta haud rarò puerperas (*a*) exercere observavi, cujusmodi unicum tantum exemplum in medium proferre sufficiet. Mulier quædam (*b*) Januario anni MDCXCVI. feliciter facta erat mater: nam præter prosperam fœtus exclusionem nihil (*c*) secundinarum intus remansit, neque plus minusve justo ferebantur (*d*) lochia. Nihilosecus, quando tres ex partu elapsæ erant (*e*) septimanæ, vexari incipiebat magno in abdomine dolore; qui modo se remittebat, flatu interdum (*f*) emisso; modo vehementer urgebat. Ad hæc pulsus erat præter naturam (*g*) frequentior, & lingua parum (*h*) sicca, dum urina sedimentum trahebat (*i*) lau-

laudabile. Quin cum non multum propter appetitum (k) prostratum comederet, (l) macrorem in dies majorem contrahebat: & sic aliquot hebdomadas misera transibat, *ventris torminibus cum febre continua conjunctis laborans*. Itaque huic ægrotæ quoque eandem diætam, cujus curationem præcedente mentionem feci, præscripsi; eandemque mixturam chymicam simili etiam dosi sumendam adjeci. Qua cum 3. aut 4. dies cum bono doloris (m) levamine, blandoque per intervalla (n) somno usa esset, alvus (o) adstricta, dolore rursus (p) exacerbato, deprehendebatur. Is illam tamen domi non (q) continuit, siquidem invitata exiit, & in mulierculaurum convictu pane bis cocto ex vino sacchato edulcorato, adsperso cinnamomi pulvere, se ingurgitavit. Hanc verò intemperantiam sequutus est (r) alvi fluxus: sed cum doloris (s) depulsione. Ast febris inde non parum (t) intendebatur. Quæ, ut & alvi fluxus, dum alcalibus terrestribus, ut sunt *oculi cancrorum, corallia*, &c. intra pauculos dies se (u) remisit, (W) dolor cum conatu (x) dejiciendi rediit. Imo semel dejiciens multos flatus una cum fæcibus reddidit: Ego hasce (y) *Pilulas purgantes* præscripsi:

> ℞. *Gumm. ammon. depur* ℈j. *chalyb.* (z) *cum sulph. pp.* & (aa) *succin. pp. ā.* ℈ß. *Croc. & Castor. ā. gr.* VIII. *Myrrh. rubr. gr.* V. (bb) *resin. scammon.* ʒß. (cc) *Troch. alban.* ℈j. *Oleum anisi q. s. M. f. pil. num.* XXVj.

è quibus 3. vel 4. ad alvum (dd) blandè ciendam, alternis diebus (ee) vesperi deglutiret; & de die prædictam mixturam usurparet. Atque 3. pilulæ prima vice sumptæ, tres cum magno dolore, nausea, & (ff) angustia dejectiones effecerunt, profligatis tamen (gg) torminibus, nisi quod eorum reliquiis parum quandoque afficeretur. Quas, quia post ex istis piluiis capere renuebat, penitus ista mixtura sustulit, & febris simul evanuit. Atque sic ægrota, appetitu rursus (hh) erecto, in totum restituta fuit.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a EXercere. *Quandoquidem fœtus, unà cum aquis & secundinis calidi sunt, & proinde cum intestinis multum ignis cœlestis communicant, ubi illi in partu excluduntur, intestina* frigus *insolitum concipere debent, quod in causa est, cur chymus minus intrinsecè motus pituitam intestinalem producat copiosiorem, quæ tum ab alcali volatili oleoso bilis in flatus diducitur, puerperas exercentes. Quanquam ubi* iis non sat caloris servatur, *sive quia sub partu loco frigido recumbunt, sive quia post eundem vulvæ linteum calidum conduplicatum non admovetur, sive quia in lectum frigidum deferuntur, &c.* flatus *etiam oriri possunt. Ergo eorum in puerperis duplex causa est*, frigus fœtus exclusionem sequens; & calor iis non bene servatus. *Sed unde* febris, *quæ illos ferè comitatur? Eam ex flatuum dolore nasci puto. Nam cum mulierculæ ex partu multum sanguinis amiserint, is admodum diminutus tam mobilis, & variabilis est factus, ut succo nervoso ob dolorem majori copia in sanguinem refluente, de facili perturbatè misceri, in quo essentia febris consistit, queat.*

b Januario. *Quo cœlum ferè secundum particulas suas tardissimè motum, frigidissimum sentitur, quod suum etiam, ad hosce flatus excitandos contulit.*

c Secundinarum. *Quarum si aliqua pars intus remansit, ventris dolor etiam oriri potest.*

d Lochia. *Ex iis copia justo minori profluentibus febrem fieri vulgò judicant.*

dicant. Sed judicandum acutioribus relinquo, an non exiguus vel nullus lochiorum fluxus veriùs è febre proveniat, quàm eandem producat. Verùm hac de re alibi pluribus.

e Septimana. *Hinc liquet, hoc malum paulatim puerperæ nostræ incidisse.*

f Emisso. *Vide* Rat. Ph. Obs. 4. *sub tit.* Levamen.

g Frequentior. *Qui pro signo febris pathognomonico habetur. Sed hoc illam non nisi aliis symptomatis junctum indicare mihi persuadeo, cum alioquin is, cui pulsus ex quocunque corporis motu, vel animi passione vehementiori frequentior est, febricitare dicendus veniret.*

h Sicca. *Quoniam in febre sanguis perturbatè mixtus, adeòque crassus est, proinde ex eo saliva debito parcior secernitur, unde lingua sicca originem trahit.*

i Laudabile. *Est verò sedimentum laudabile, cum candidum, æquale, & densum, non rarum est. Quod quia sanguinem, è quo secedit, in dies puriorem relinquit, febrem, nisi causa eam jugiter nutriat, ut in hoc casu dolor torminalis, paulatim decrescere significat.*

k Prostratum. *Cum è sanguine febricitantis crasso fermentum ventriculi debito viscidius secernatur, appetitus dejici debet.*

l Macrorem. *Quandoquidem, ubi patiens ferè nihil comedit, chylo deficiente, totum corpus suo nutrimento destituitur, mirum non est, si magis magisque macrescat. Quod si huic macroris causæ alteram sanguinis acrimoniam ex chyli defectu natam, & partes corporis solidas abradentem addas, non est quod adverser.*

m Levamine. *Licet spiritus salis armoniaci dulcis cum oleo anisi pituitam intestinalem acrem solvendo, & demulcendo dolorem aliqua ex parte diminuerit, tamen præcipuum ejus levamen ab opii tinctura profectum esse, non habeo quod dubitem. Opium verò duplici modo dolorem lenit, & quatenus particulas, vel moleculas acres involuit, quæ idcirco nervos angulis suis movere non valent; & efficit, ut fibris cerebri nervisque minus tensis, motus iis impressi ad glandulam pinealem transire non possint. Vide* Rat. Ph. Obs. 4. *sub tit.* Non dejecerat.

n Somno. *Quomodo opium inducat somnum, ibidem loci etiam videre est.*

o Adstricta. *Ut & qui alvum adstringat.*

p Exacerbato. *Exacerbatio autem doloris alvo adstrictæ tribuenda est: nam pituitâ intestinali acri, quæ saltem ex parte per eam fluidiorem excerni solebat, jam intus retentâ, dolor non potuit non exacerbari.*

q Continuit. *Unde tamen constat, dolorem quem antea minorem fuisse. Sed in hac laborante idem, quod in ceteris ferè accidit, ut totam doloris sublationem, non diminutionem æstiment.*

r Alvi fluxus. In vino *alcali, acidum, & oleum esse, est è Chymia dubio procul: nam* oleum *ex spiritu vini, qui ex eo destillatur, patet*; acidum *è spiritu acido, quem materia resinosa a destillatione relicta, per retortam edit, manifestum est*; Alcali fixum *ex massa, quæ in retorta remansit, elixivatione acquiritur, &* volatile *è vini fæce prolici potest. Adhæc non parum acidi vino inesse, patet ex aceto vini, quod ex eo fermentatione paratur. Præterea,* Saccharum *ex* acido *&* oleo *constare*, Rat. Ph. Obs. 3. *sub tit.* Parum mellis; *&* cinnamomum *habere* alcali volatile oleosum, Rat. Ph. Obs. 4. *sub tit.* Aromatis, *videre licet. Porrò, ad purgationem a medicamentis petendam duo requiri,* majorem sanguinis fermentationem, *qua particulæ ex-*

crementitiæ ex eo sequestrentur; & tunicæ intestinorum glandulosæ glandularumque Payerianarum reclusionem, *qua istis particulis transitus concedatur, nemo facilè inficiat, ibit. Quum ergo sanguis hujus laborantis per quàm mobilis at variabilis fuerit, sub* Exercere, *quid aliud in illo a particulis supradictorum assumptorum materiam primi elementi copiosam accersentibus, adeoque activis expectandum veniret, quàm magna sanguinis fermentatio. At, quia alvi fluxus eam subsecutus est, ideo particulæ istorum assumptorum ita proportionatæ & mixtæ fuerunt, ut magnitudine sola; (non figura) cum glandulis intestinalibus convenientes, eas motu suo intestino aperuerint, sicque particulis sanguinis excrementitiis ab eo fermentatione majori sejunctis viam in fistulam intestinalem paraverint. Unde alvi fluxus ortum duxit.*

s Depulsione. *Quoniam particulæ acres succorum intestinalium, a quibus in se acceptis pituita intestinalis fiebat acris, hoc alvi fluxu è corpore educebantur.*

t Intendebatur. *Ob magnam sanguinis fermentationem, quâ particulæ excrementitiæ per viam urinariam sedimenti formâ excerni solitæ, & a sanguine secerni incipientes, denuò in eum abreptæ sunt: eo ferè modo, quo impuritates, quas mulieres è muris coquendo sejungere consueverunt, supernatantes iterum eidem, nisi eximantur, commiscentur.*

u Remisit. *Illa enim medicamenta particulis suis terrestribus materiam subtilissimam ab arcendo, magnam sanguinis fermentationem, adeoque febrem, & alvi fluxum diminuerunt.*

w Dolor. *Quia alvi fluxu cessante, particulæ acres succorum intestinalium non excretæ, pituitæ intestinali inhærere, eamque acrem, ut prius reddere pergebant.*

x Dejiciendi. *A vellicatione intestini plenioris isti pituitæ acri debita nato.*

y Pilulas purgantes. *Quando alvi fluxu quiescente, dolor redibat, remedium purgans, quod per epicrasin particulas acres è sanguine, & una cum pituita intestinali ex intestinis educeret, usurpandum censebam. Quem in finem hasce pilulas præscripsi, ut quæ simul particulis suis oleosis, alcalinis, & acidis, quas gumma ammoniaca, succinum, crocus, myrrha, & oleum anisi afferrent, multum materiæ subtilissimæ admittendo pituitam intestinalem solverent, & evacuationi aptam redderent. Pilulas, inquam, quia eæ, & diutius in fistula intestinali hærentes melius effectum dissolvendi suum sortiuntur; & commodissimè per epicrasin humores leniter evacuandi formulæ existunt.*

z Cum fulph. pp. *Hoc autem remedium chalybeatum crebrò ad viscidum dissolvendum adhibetur, quod facit, quatenus ex alcali, quæ chalybs est, & acido sulphuris compositum, adhuc multum ignis cœlestis, uti dum parabatur consuevit, transmittere continuat. Quanquam ubi multum acidi in ventriculo & fistula intestinali est,* limatura chalybis *subtilissimè trita & cribrata, utpote nullo acido imprægnata, illi mihi longè præcellere videtur.*

aa Succinum. *Citrinum, quod contra vulgarem opinionem albo, quippe quod, dum sub dio albescebat, particulas subtilissimas perdidit, præstat.*

bb Resin. scammon. *Qui scammonium pro cathartico acri, & non satis tuto habent, contra experientiam sentiunt. Et ne putes ejus resinam interiori intestinorum superficiei adhærendo nocere, quum id, si verum esset, multum ad pituitam intestinalem hic lædentem solvendam faceret. Atque id a vero alienum esse patet, eo quod in ventriculo & intestinis veriùs dissolvitur, & ab*

& ab humoribus ibidem locorum jugiter repertis diluitur, quàm ut eorum superficiei adhærere queat.

cc Troch. alhan. *Hi quidem satis acres existunt: sed cum colocynthis, è qua fiunt, ab oleo anisi, vide* Rat. Ph. Obs. 4. *sub tit.* Oleum anisi, *satis demulceatur; a reliquis hasce pilulas ingredientibus; & a liquoribus in ventriculo, & intestinis jugiter fluctuantibus divisa satis debilitetur, non est quod ab ejus acrimonia metuas, nisi in harum pilularum dosi peccaveris.*

dd Blandè. *Nam in doloribus quibuscunque nunquam vehementi purgatione utendum est, ne magno motu, quem excitat, particulæ vel mollecula acres vehementer agitatæ, & in fibras nervosas impulsæ, dolorem intendant.*

ee Vesperi. *Quo sic diutius propter somnum subsequentem in fistula intestinali remorando felicius pituitam ejus attenuarent.*

ff Angustia. *Unde hæc phænomena? A magna pituitæ intestinalis acrimonia, quæ ab istis pilulis, quantumvis alioquin leniter purgantibus, mota, fistulæ intestinalis fibras nervosas cum tensione, & ruptionis periculo affecit, sicque effecit* dolorem. *Et quia hac tensione succus nervosus debito copiosior in istius fistulæ nervos affluebat; & hi nervi cum iis, quibus ventriculus gaudet, communionem habent; in hos itidem debito copiosior influxit, & distensionem, ac contractionem induxit, unde motus ventriculi convulsivus, sive* nausea *suborta est. Imo quoniam nervi musculorum respiratoriorum etiam cum iisdem nervis communicant, in hos hic succus etiam justo uberior est ingressus, quos itidem distendendo, & contrahendo, respirationem impedivit. Unde aëre non sufficienti in sanguinem admisso,* angustia *fuit producta. At hic fortè objicias, quum hæ pilulæ hæc symptomata concitaverint, tormina ex acido, non sale, originem traxerunt. Respondeo, quoniam ex sale hoc torminum genus factum est, ut ante,* Rat. Ph. Obs. 4. *sub tit.* dolore *demonstravimus; & sal non minus, quam acidum a purgantibus agitari, & nervos movere potest, non video cur hæc phænomena veriùs acido, quàm sali adscribere oporteat.*

gg Torminibus. *Ob rationem supra sub tit.* Depulsione *datam.*

hh Erecto. *Quia febre sublata sanguis, & ex eo secretum ventriculi fermentum ad pristinum statum rediit.*

OBSERVATIO VI.

De Colica.

Frigus æstui superveniens multos quotidie morbos producere, nemo fermè haud novit. In his etiam numerare licet (*a*) *Colicam*, in quam vir quidam Aprili anni MDCXCVII. calidissimo Sole æstuans, quia se fortè loco frigido (*b*) commisit, incidit. Nam immani dolore in abdomine per totam penè noctem (*c*) divexabatur, cum manè auxilium a me desideraret. Ego hasce (*d*) *Pilulas*:

℞. *Laud. opiat. gr. j ß. Resin. scammon. gr. VI. Troch. alband. gr. IV. Ol. carui, q. s. M. f. pil.*

statim præscripsi, quas decumbens paratas cepit, unde hoc die multùm (*e*) sudavit, & nocte (*f*) maneque proximis 4. vel 5. (*g*) dejectiones subsequutæ

tæ sunt. Atque sic (*b*) brevi hoc doloris genus depulsum fuit.

Novembri anni ejusdem vir (*i*) tenellus non ita diu a febre continua (*k*) levatus, cœlo frigido se (*l*) exposuit, unde *dolore colico* est correptus, contra quem frustra multum (*m*) *spir. vini anisati* sumpserat. Ego hunc *Haustum carminativum*, & (*n*) *anodynum*:

℞. (*o*) *Laud. opiat. gr.* j. (*p*) *Phylon. Rom.* ℈ß. (*q*) *Syrup. fœnic.* ℥ij. *Aq. fœnic.* ℥ß. *Sp. carminativ. Syl.* ℥vj. *Ol. anisi gutt.* iij. *M.&f.P.*

per duas partes, horâ unâ (*r*) interpositâ, sumendas mane accersitus dedi. Per quem hoc die dolor non modicè (*s*) sedatus est. Et quia alvus parum (*t*) adstricta erat, hunc *Haustum* (*u*) *purgantem*, & (*W*) *carminativum*:

℞. *Resin. scammon. gr.* viij. *solve in s. q. vitell. ovor. addendo*, *Syrup. sol. senn.* ℥j. *Aq. fœnic.* ℥ß. *Tinct. castor.* ℈ij. *Ol. anis. gutt.* ij. *M.&f.P.*

(*x*) vesperi suppeditavi. Qui effecit, ut alvo (*y*) semel tantum, unà cum multis (*z*) flatibus redditâ, hac nocte placidè (*aa*) dormiret; & manè penitus esset sanatus.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a Colicam. *Qui major* torminum *gradus est*, *ita ut hi duo morbi a se invicem secundum magis & minus solummodo differant*.

b Commisit. *Quoniam è sanguine callidissimo Sole æstuentis vehementer fermentescente succi intestinales immediatè post frigore condensata; ideo illorum particulæ acres itidem copiosiores huic pituitæ tanquam visco fuerunt irretitæ: quæ hinc acris facta hujus colicæ causa extitit*.

c Divexabatur. *Igitur dolor non præcisè imi ventris medio*, *nec circumferentiæ affixus*, *sed per totum abdomen dispersus fuit; sive ob pituitam acrem, in tota fistula intestinali hærentem; sive ob hujus fistulæ nervos iis*, *qui per totum abdomen disseminati sunt*, *communes*.

d Pilulas. *Quæ ratione* olei carui *pituitam intestinalem solverent*, & *flatus*, *si qui adessent*, *dispellerent*, Rat. phil. Obs. 14. *sub tit.* Aromatis, per laudanum opiatum *molleculas acres istius pituitæ ramulis suis integendo*; & *fibras cerebri*, *nervosque laxando*, *dolorem lenirent*, Rat. phil Obs. 5 *sub tit.* Levamine: & *per reliqua duo purgantia pituitam intestinalem solutam*, & *mitigatam è corpore educerent*.

e Sudavit. *Atqui præter hosce harum pillularum effectus*, *quos brevis depulsio doloris indicavit*, *sudor etiam abundè motus est*, *qui cum oleo carui magnam sanguini fermentationem inferenti*, & *glandulas aperienti cutaneas*; *tum præcipuè parti spirituosæ opii*, Rat. phil. Obs. 4. *sub tit.* Non dejecerat, *tribuendus mihi videtur*: *nam cathartica particulas sanguinis excrementitias potius ad intestina*, *quàm ambitum corporis deduxisse*, *è dejectionibus sequentibus colligere licet*.

f Manèque. *Ubi somnifera cum purgantibus mixta adhibentur*, *somnus semper catharsin præcedit*, *quoniam hæc duo efficere debent*, *magnam in sanguine fermentationem excitare*, & *intestinorum glandulas aperire*; *cum somnifera solummodo succum nervosum lentiorem reddant*; *Adde*, *quod somnifera purgantium operationi obstant*, Rat. phil. Obs. 4. *sub tit.* Non dejecerat.

g Dejectiones. *Quum nulli flatus unà prodierint*, *aliquis suspicari posset*, *num hic affectus vera colica è flatibus oriunda fuerit*. *Sed quia frigus facilè flatus producit*, Rat. phil. Obs. 5. *sub tit.* Exercere, *quod experientiâ quotidianâ etiam confirmatur*; & *causa proxima morbi hujus ægri frigus* exti-

extitit, eum verius colicam, quam aliud quodcunque doloris genus fuisse judicavi.

b Brevi. *Quando non ita diu erat, quod æger hoc morbo infestari cœpit, is brevi finitus est: nam multi affectus, quo diuturniores sunt, hoc tardiorem solutionem recipiunt, & contra.*

i Tenellus. *Ratione mollis partium continentium texturę.*

k Levatus. *Adeoque adhuc infirmus, id est, succo nervoso, quem apprimè pro viribus corporis nostri habemus, nondum sufficienter instructus: unde factum est, ut sanguis ab eo in se redeunte non multum agitatus & calidus, abdominis viscera non usque adeò calefecerit, ut frigoris quieti resistere valuerint.*

l Exposuit. *Quomodo cœlum frigidum hoc malum producere potuerit, videsis* Rat.phil.Observ.5.*sub tit.*Exercere: *id quod in hoc ægro, utpote tenello, & infirmo, facilè fieri potuit.*

m Spir. vini anisati. *Quia spiritus hic hoc malum non curavit, ejus dolorem non ex acido, sed potius sale natum fuisse, manifestum est;* Rat.phil. Observ.4.*sub tit.*Dolore.

n Anodynum. *Carminativa, & anodyna ad flatus dolorificos necessariò conjungi debent, nam non tantùm pituitam intestinalem attenuare, & flatus resolvere; verum etiam eorum acrimoniam lenire oportet, quod ab iis non singulis, sed unà junctis expectandum venit.*

o Laud.opiat. *Est anodynum.*

p Philon.Roman. *Est anodynum, & carminativum, cujus drachmam, opii grana duo, & semis ingrediuntur. Et tamen grana* x. *ejus pro dosi data somnum haud gravem inducunt, quando reliqua lentorem succo nervoso ab opio illatum motu suo solvunt, sicque somnum inhibent.*

q Syrup fœnic. *Quanquam syrupus, & aqua pro vehiculo esse queant, tamen cum reliquis duobus alcali volatili oleoso abundantibus inter carminativa referri possunt.*

r Interposita. *Ob laborantis teneritatem, atque infirmitatem.*

s Sedatus est. *Vide* Rat.phil.Observ.præc. *sub tit.*Levamine.

t Adstricta. *Vide* Rat.phil.Observ.4. *sub tit.*Non dejecerat.

u Purgantem. *Ad pituitam intestinalem per supradictum haustum, & fluidiorem, & leniorem factam, unà cum flatibus, si qui adsint, è corpore expellendam.*

w Carminativum. *Non modo ad antecedentis haustus effecta; sed & hujus purgationem, sanguinis fermentationem adaugendo, promovendam.*

x Vesperi. *Parvi refert, quo diei tempore, ubi necessitas urget, remedium purgans exhibeatur.*

y Semel. *Quoniam alvus ab opio stipata fuit: licet somnus nocturnus etiam purgationi aliquo modo obstitit.*

z Flatibus. *E quibus palam erat, hunc affectum fuisse colicam.*

aa Dormiret. *Quia dolore mitigato, succus nervosus non tam copiosus, ac antea in sanguinem refluxit, è quo proinde minus fermentescente, minusque attenuato, minor succi nervosi copia fuit secreta: unde fibris cerebri, nervisque collapsis, hic somnus placidus originem duxit. Vide* Rat.phil.Observ.4. *sub tit.*Non dejecerat.

OBSERVATIO VII.

De Colica, & Nephritide copulatis.

COlicam, ac Nephritidem se invicem quandoque (*a*) comitari, a me hac curatione confirmatum iri confido. Erat autem Majus anni MDCXCVII. cum (*b*) anicula LXX. annos nata, immanem dolorem in dextro abdominis (*c*) latere per aliquot dies, pateretur, subinde flatum ore reddens, & alvum habens (*d*) adstrictam. Judicabam esse *Colicam*. Ego manè accersitus diætà, cujus *Observ.* 4. mentionem feci, injunctà, hoc *Enema purgans*, *carminativum*, ac (*e*) *anodynum*,

> ℞. (*f*) *Fol. malv. & Bismalv. ā. M.* j. *Bacc. juniper.* ℥ß. (*g*) *Sem. lini* ʒij. *Colocynth.* (*h*) *in pet. ligat.* ʒj. *Coq. ex aqu. comm. ad* ℥x. *col. adde*, *Nitr.* ʒß. *Philon. Roman.* ℥iij. *Ol. lilior. alb.* ʒj. *Carui destill.* ℈j. *M. f. Enema.*

& injiciendum jussi. Quod ubi horam intus remansit, fæces duras una cum flatibus egrediens secum evocavit. Hinc dolor non parum (*i*) levatus fuit, quì tamen vesperi augmentnm (*k*) cepit. Quam ob rem ægrotulæ hunc *Haustum carminativum*, & *anodynum*:

> ℞ (*l*) *Laud. opiat. gr.* ß. *Antimon. diaph. gr.* xv. *Sal. volat. cornu cervi gr.* IV. *Syrup. fœnic.* ʒj. *Aq. fœnic.* ʒvj. *Cinnamom.* ʒij. *Ol. anis. gutt.* v. *M. f. haust.*

propinavi, Manè cum illam revisebam, longe melius habebat, ita ut nullo amplius remedio indigere se censeret. Verum post diem unum, atque alterum denuò vocatus, illam de dolore lumbari per abdominis latera antrorsum (*m*) tendente vehementer conquerentem audivi; & (*n*) arenulas (*o*) rubras in vitri urinarii fundo conspexi, quæ licet urina eas habens igni admoveretur, tamen non (*p*) dissolvebantur. Unde hunc dolorem esse *nephritidem* constabat: & quidem, quia aliquando etiam flatum eructabat, *cum colica conjunctam*. Itaque hanc *Mixturam diureticam*, *carminativam*, ac *anodynam*:

> ℞. *Laud. opiat. gr.* j. *Syrup. fœnic.* ℥vj. *Aqu. fœnic. & menth. ā.* ℥iß. (*q*) *Sp. salis armoniac. gutt.* xxx. *Ol. carui gutt.* v. *M. f. Mixt.*

miscendam curavi, quam prout dolor urgebat, cochleatim die dimidio, aut integro consumeret: adjecto *enemate*, *ex lactis dulc.* ℔j. *ol. olivar. cochl. uno & semis*, *& ol. terebinth.* ʒß. (*r*) *parato*. Post hæc alvus evadebat (*s*) lubrica, quæ brevi dolorem omnem tollens suapte (*t*) sponte desivit.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a COmitari. *Cujus rei causa est, quod frigus, è quo colica ferè nascitur, efficere potest, ut particulæ urinæ terreæ, & si quæ plures sint, intermedia quiete in arenulas, & lapillos concrescant. Atque hoc non evenit nisi iis, qui arenulis obnoxii sunt. Tamen mihi persuadeo, nephritidem non tam crebrò colicam, ut nonnulli putent, habere comitem, licet sæpe dolor simul in toto imo ventre sentiatur. Id namque fit propter consensum, quoniam* plexus nervorum innominatus *circa renes, & ureteres situs, mesenterio, & intestinis de ramulis suis prospicit.*

b Anicula. *Senectutem hujus vetulæ ad colicam producendam suum contulisse, videre licet* Rat. phil. Observ. I. *sub tit.* Vetula, *cui verba immediatè præ-*

præcedentia adjicere oportet. Atque sanguis ejus viscidus etiam nephritidi ansam præbuit, quatenus urina ab eo secreta, & minus secundum particulas suas agitata, terreas & ceteras in arenulas coire passa est. Hinc ratio peti potest, cur nephritis homines provectæ ætatis frequenter exerceat.

c Latere. *Unde patet, hunc dolorem in dextra coli parte resedisse, adeoque propriè colicum fuisse, nam latè sumptus etiam in intestino tenuiori torquet.*

d Adstrictam. *Quæ ferè doloris colici* causa remota *est, ut quæ particulas acres per excrementa excerni solitas, quas pro* causa *ejusdem* proxima *habemus, intus retineat.*

e Anodynum. *Qui primum enema purgans, & ubi hoc colon intra horam unam, aut alteram exinanivit, carminativum, ac anodynum exhibere volet, non pessimè faciet.*

f Fol. Malv. &c. Aqua communis *impregnata particulis, viscidis* foliorum malvæ, & bismalvæ, feminique lini, *adjecto* oleo liliorum alborum, *ad fæces duras emolliendas; colocynthidis ad eas emollitas evocandas*; baccarum juniperi, & olei carui *ad flatus discutiendos*; nitri *ad novum eorum proventum alcali volatile bilis temperando, præveniendum*; & Philonii Romani, *ad eos non modo dissolvendos, sed etiam ad dolorem unà sedandum, potuit.*

g Sem. lin. *Qui hujus, aut similium mucilaginosor.* ℥ij. *in clysteris formula præscribunt, ut nonnunquam factum observavi, eum justo viscidiorem reddunt; & hoc simul agunt, ut ne molleculæ purgantes è colocynthide sufficienter proliciantur, vel prolectæ particulis viscidis nimis involvantur; sicque vim suam purgandi non exerant. Quod si illa mucilaginosa cum reliquis vegetabilibus, ad lentorem enematis prohibendum, leviter tantum ebulliant, non video, qui molleculæ è colocynthide solvi, illudque vi purgandi imbuere queant.*

h In petia. *Hoc enim nisi fiat, ejus filamenta coli superficiei inhærentia excitabunt tormina.*

i Levatus. *Quoniam magna causæ morbificæ pars educta est.*

k Cepit. *Ob hujus causæ incrementum hoc die nescio qua de re factum.*

l Laud. opiat. Laudanum opiatum *est anodynum*; sal volatile cornu cervi, & oleum anisi *sunt carminativa*; syrupus, & aqua fœniculi *vehiculum carminativum constituunt*, aqua cinnamomi, *licet saporis gratia sit addita, tamen etiam carminativis adnumerari potest. Atque* antimonium diaphoreticum *aliquo modo ad alvum solvendum facit, quatenus a sale volatili, cornu cervi acido suo aliqua ex parte privatum in laxativum transit: nam antimonium cum duplo nitri inflammatum in catharticum, sed cum ejus triplo, in sudoriferum convertitur. Ergo hoc medicamentum non addidi, ad acidum colicæ absorbendum: nam præterquamquod hæc ex illo non provenit; acido nitri impregnatum id facere non potest; hinc etiam cum acido affuso non effervescere, nec illud infirmare deprehenditur. Ad hæc illud idem non addidi, ad sal doloris colici causam particulis suis sulphureis implicandum, ut quæ, dum antimonium cum nitro inflammabatur, avolaverint.*

m Tendente. *Ex hoc doloris situ nephritidi proprio, & nervis è plexu innominato ad latera protensis debito, (nam hunc semper adesse observavi) eam nunc cruciare patientem judicabam.*

n Arenulas. *Quæ eam extra controversiam posuerunt.*

o Rubras. *Igitur rubræ arenulæ non semper pro sale, id est, alcali volatili, quod in sanorum urinis ferè subsidit, habendæ sunt.*

p Dissolvebantur. *E quo manifestum erat, istas arenulas non esse molleculas urinæ alcalinas volatiles.*

q Spir. salis armoniaci. *Quod insigne diureticum est, quoniam è sale, id est, alcali volatili urinæ, quod per vias urinarias transit, adeoque iis magnitudine respondet* (*sal enim armoniacum, è quo hic spiritus, addito alcali fixo, & aqua destillatur, ex urina & sale marino, vel si mavis, ex alcali volatili urinæ, & spiritu salis paratur*) *aquâ soluto constat. Et cum alcali volatile fluidum fit, alcaliaque volatilia ad flatus discutientia spectent*, Rat. Phil. Observ. 4. *sub tit.* Aromatis, *ideo simul loco carminativi esse potest. Qui ad Nephritidem sanandam* lap. judaic. pp. ocul. cancr. pp *&c. adhibent, eam mihi verius nutrire, quàm solvere videntur, cum ejusmodi medicamenta multum terræ habeant, & arenulæ è particulis terreis maximam partem concrescant.*

r Parato. *Hoc autem enema est ratione lactis, & olei olivarum emolliens, & acrimoniam leniens; & per oleum terebinthinæ viscidum solvens, & flatus dispellens.*

s Lubrica. *Unde hæc alvus lubrica? Cum ab hoc enemate, per olea materiam subtilissimam alliciendo, tunicam coli glandulosam, glandulasque* Peyerianas *deobstruente: tum maximè a majori sanguinis fermentatione particulis ejus excrementitiis per istam viam glandulosam excerni assuetis, debita: nam sæpè observavi, alvum postquam compressa fuit, per se resolvi.*

t Sponte. *Quia istis particulis è sanguine eductis, causa hujus alvi fluxus sublata est.*

OBSERVATIO VIII.

De Pleuritide spuria.

RARò Medicinam facientibus occurrunt Pleuritides (*a*) spuriæ, cujusmodi tamen morbi genere (*b*) **vetula quædam anni MDCXCV.** (*c*) *Novembri*, meâ utique sententia, affligi videbatur. Nam dolorem pectoris, flatu subinde sursum, deorsumque foras (*d*) ejecto, sentiebat (*e*) distensivum, qui locum (*f*) mutabat, sed ferè è latere sinistro ad dextrum (*g*) procedebat. Præterea pulsus erat aliquanto (*h*) frequentior debito, lingua humida, absque (*i*) siti. Itaque hoc malum *pleuritidem notham* censens, ægræ frigus omne, omniaque viscida, acida, dulcia, ciborum, (*k*) si quis appeteret, ingurgitationem, nimiam corporis quietem, (*l*) ac tristitiam, &c. prohibui; ac præcepi, ut lateribus pectoris *sacculos arenulis saleque* (*m*) *calefactis instructos* admoveret. Ad hæc *Mixturam* hancce *carminativam*, (*n*) *sudoriferam*, atque *anodynam*:

℞. *Laud. opiat. gr.* j. (*o*) *Sal. volat. corn. cerv. gr.* v. (*p*) *Theriac. veter.* ʒß. *Syrup. fœnic.* ℥vj. *Aqu. fœnic. & hyssop.* ā. ℥j. (*q*) *Spir. nitr. dulc. gutt.* x. *Ol. anis. gutt.* iij. *M. & f. Mixt.*

spatio 12. horarum cochleatim absumendam, corpore ad (*r*) sudorem moderatè tecto, jussi. Verum (*s*) nihil sudavit; nec ullum, ut ajebat, ex illa (*t*) emolumentum deprehendit. Quam ob rem *Ceratum* (*u*) *de cumino*, quod sic concinnare soleo;

℞. *Empl.*

℞. Empl. diapalm. ℥xij. *Ceræ flav.* ℥ij. *Ol. camomill. & aneth. ā.* ℥iij. *philosoph.* ℥jß. *Pulv. cumin.* ℥vj. *M. & f. l. a. Cerat.*

crassè supra alutam extensum, loco sacculorum curavi adplicandum; & hanc *Mixturam* priori ferè similem;

℞. Laudan. opiat. gr. j. Antimon. diaphor. ʒß. (w) *Sal. absynt. gr.* xv. *Mithrid.* ʒj. *Syrup. fœnic.* ʒvj. *Aqu. fœnic. & petrosell. ā.* ℥j. *Spirit. carminat. Syl.* ℥ß. *Ol. anis. gutt.* iij. *M. & f. l. a. M.*

eodem modo, tempore consumandam præscripsi, quæ adeo feliciter malum decussit, ut nonnisi corpore moto, levi afficeretur dolore, & urina parum (x) sedimenti cinericei efferret. At quoniam sordidula erat, visum fuit, doloris relicti quantumlibet exigui dissolutionem sua sponte, quod (y) ajunt, expectare.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a Spuria. *Pleuritis ferè in* veram, & notham *dispescitur, quarum hæc è flatibus inter membranam pleuram, & musculos intercostales latis oriunda, dolore distensivo, eodemque vago, & febre exiguâ, vel nullâ se manifestat: at vera aliâ ex causâ proveniens, aliis, de quibus, si Deo placet, suo loco, signis dignoscitur.*

b Vetula. *Ut colicæ, ita & pleuritidis spuriæ causam senectus promovere potest. Vide* Rat. phil. Obs. præc. *sub tit.* Anicula.

c Novembri. *Huc etiam cœlum hoc mense ferè frigidum fortè suum fecit. Vide* Rat. phil. Observ. 6. *sub tit.* Exposuit.

d Ejecto. *Hinc liquet flatus in fistula intestinali progenitos fuisse.*

e Distensivum. *Ubi horum minutissimi cum chylo per vascula chylosa, &c. in sanguinem, & per hunc in arteriolas pleuræ pervenerunt: ex earum poris cum vaporibus inter istam membranam, ac musculos intercostales exierunt; aliisque jugiter a tergo accedentibus incrementum ceperunt, feceruntque* distensionem: *quæ* dolorifica *fuit ob particulas flatuum acres pleuram pungentes. Quod si quis huic doloris causæ adjici volet distensionem fibrarum nervosarum, dum pleura a musculis intercostalibus per flatus sejungitur, vbortam is rationem reddat, cur illius ab his sejunctione peractâ, dolor, ut ante, perseveret. Sed non nullos hic mihi scrupulos injici videor; nimirum,* 1 quod flatus majores sunt, quàm ut in vascula chylosa subintrent; 2. quod cordis calore dissolvi debeat; & 3. quod pleura a musculis per flatus tam facilè separari non potest. *Unus autem scrupulus eximitur, si consideremus,* corpus in infinitum divisibile esse: *hinc namque fluit, nihil obstare, cur minus flatus tam exigui fiant, ut osculis vasculorum chylosorum excipiantur. Alter, hoc morbi genus incidere iis, quibus sanguinis fermentatio debilis extitit, ut huic nostræ vetulæ. Quin utramque difficultatem tollit* febris flatulenta, *quæ ortum debet flatibus a fistulâ intestinali per vascula chylosa, &c. sanguinem ingredientibus: nam paroxysmus incipit de ventris inflatione; deinde pulsus major fit, non robustior; tum venæ tumidiores evadunt, &c. Tertium autem scrupulum aufert separatio duræ matris a cranio, ubi inter utrumque sanguis ex vasculo sanguineo effunditur, facta: cujus rei casum infra proponemus. Sed fortasse alicui verosimilius videbitur, flatus inter pleuram, & musculos nasci è vaporibus viscidis, & alcalinis volatilibus oleosis, quorum hi illos materia primi elementi intermedia in flatus deducant. Huic autem sententiæ lubens subscriberem, nisi fistulam intestinalem utpote satis spatiosam, flatuum officinam esse nossemus omnes; & ex eâ reliquas eorum species, quæ sunt, tym-*

panites, hernia ventosa, uteri inflatio, & tumor flatulentus, deducere possemus.

f Mutabat. *Quod accidit, quoniam flatus, qui inter pleuram, & musculos intercostales collecti erant, a pulmonibus aëre admisso distentis propellebantur. Sed cur non simul dispellebantur? Quia aëris pulmones ingressi frigus hoc impedivit.*

g Procedebat. *Ex hoc phœnomeno constat, hunc dolorem non fuisse nervorum è succo nervoso viscidiori, & acriori natum, quem vulgus hominum ferè pro flatibus venditat: siquidem nervi dantur nulli, quantum ego novi, qui ab uno latere in alterum protensi sunt.*

h Frequentior. *Hunc autem pulsum solum febri indicandæ non sufficere, videre licet* Rat. phil Obs. 5. *sub tit.* Frequentior.

i Siti. *Quum lingua ferè sicca, sitisque adsit febri, eam huic laboranti absuisse, non abs re aliquis judicaret.*

k Si quos. *Atque cum appetitus prostratus pulsum frequentiorem comitaretur, febriculam adfuisse, non erat quod dubitarem. Nam sanguine è succo nervoso ob dolorem rapidiùs in eum recurrente, perturbatè mixto, & incrassato, fermentum ventriculi debito viscidius non potuit non evadere, unde appetitus fuit dejectus.*

l Ac tristitiam. *Quomodo hæc omnia pituitam intestinalem reddendo viscidiorem, flatibus ansam præbeant, videsis* Rat. phil. Observ. 4. *sub tit.* Ac tristitia.

m Calefactis. *Ut his multum ignis cœlestis adferendo, flatus, qui inter pleuram, & musculos intercostales versabantur, dissolverentur.*

n Sudoriferam. *Sudorifera verò ad flatus discutiendos possunt, non quatenus sudorem movent: (hic namque sanguinem particulis subtilissimis orbando potius obesset) sed quia magnam materiæ subtilissimæ copiam, adeoque calorem corpori inducunt; sicque pituitam intestinalem, & flatus ex ea obortos solvunt.*

o Sal. volat *Varia dantur sudoriferorum genera, ita ut alia sint* alcalia volatilia, *sicut sal. volat. cornu cervi, lumbricorum, &c. alia* alcalia fixa, *ut sal absinthii, cardui benedicti, &c. alia* olea volatilia, *ut oleum macis, rutha, &c. alia* alcalia volatilia oleosa, *ut camphora, liquor cornu cervi succinatus, &c. quo etiam opium, ratione suæ partis spirituosæ pertinet: alia* salia volatilia, *ut flores salis armoniaci, &c. alia* salia fixa, *ut antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, &c. alia* salina oleosa, *ut regulus antimonii medicinalis, cinnabaris quævis, &c. alia* acida volatilia, oleosa, *ut tinctura bezoardica acida, spiritus diatrion, &c. alia* ex horum multis commixta, *ut theriaca, mithridatium, &c.*

p Theriaca. *Quam ut & mithridatium, aliaque id genus potenter sudorem movere, ratio abunde dictat: nam ob magnam ingredientium, adeòque particularum diversitatem, diversissimos habent poros, quibus multum materiæ subtilissimæ excipiunt, per eamque sanguinis fermentationem magnoperè intendunt. Ergo ea per opium dumtaxat admixtum sudorem non excitant. Et licet alii eadem sine opio parata nil sudoris prolexisse sint experti, ego idem de iisdem cum opio confectis frequenter comperi. Est igitur experientia fallax, & dictamen rationis hac in re audiendum.*

q Sp. nitri. *Quem addidi, ut alcali volatile oleosum bilis temperando, novum flatuum in fistula intestinali proventum prævenirem. Vide* Rat. Ph. Obs. 4. *sub tit.* Olei anisi.

r Sudorem. *Non quidem ad eum abundè movendum, sed ad magnum cor-*

corpori calorem conciliandum, adeoque flatus resolvendos.

s Nihil sudavit. *Ergò non perpetuum est, theriacam cum opio paratam sudorem excitare.*

t Emolumentum. *Quia tam citò flatus inter pleuram, & musculos intercostales solvi non poterant.*

u Cumino. *Quod insigniter flatus discutit.*

w Sal absinth. *Vide* Rat. Ph. Obs. 7. *sub tit.* Laudan. opiat. *nam quod ibi de* sale volatili cornu cervi *dictum est, idem de hoc alcali fixo dictum puta. Licet simul juncta etiam plus sudoris proliciant, quàm* antimonium diaphoreticum *per se sine alterutro usurpatum. Ita ut sint, qui illud pro capite mortuo & minimè sudorifero habeant: quorum tamen sententiam ego non amplector. Sed hac de re alias melior disserendi locus dabitur.*

x Sedimenti. *Unde quoque patet, febriculam una adfuisse.*

y Ajunt. *Nam nihil sua sponte fit, quum omnia in natura corporea ex caussis naturalibus dependeant. Causa verò, quæ doloris relicti discussionem effecit, calor, vel materia subtilissima calorem producens fuit.*

OBSERVATIO IX.

De Hæmoptysi periodica.

HÆmoptysi simplici quantumlibet magnâ correptos, (*a*) facilè, modò remedia (*b*) convenientia (*c*) in tempore exhibeantur, restitui posse, medicationes sequentes, ut alias reticeam, me satis docuerunt. Erat autem (*d*) Januarius anni MDCXCVII. quod juvenis gracilis, (*e*) suâ sponte, (*f*) sine tussi, nullâ pectoris (*g*) gravitate, nec præcordiorum (*h*) angustiâ præcedente, plus semel (*i*) noctu aliquot uncias sanguinis (*k*) floridi ore reddebat. *Hæmoptysin* vocant. Die postero (*l*) interdiu sanguinem rejecit nullum, verùm nocte appropinquante idem recurrit malum. Itaque, quando nunc opem meam implorabat, jussi ut (*m*) calorem omnem; item, omnia (*n*) aromata, (*o*) vina, rubro (*p*) styptico excepto, spiritus ardentes tam (*q*) simplices, quàm compositos, cerevisias (*r*) pingues, (*s*) salinaque; nec non quemlibet corporis (*t*) motum voluntarium, ut loquendi, clamandi, ambulandi, laborandi, &c. (*u*) iram, &c. evitaret: & intra spatium trium horarum ℨiß. *Tincturæ* (*w*) *antiphthisicæ Dr. Michaelis*, quæ sic conficitur:

> ℞. *Salis saturn.*, *Vitriol. mart. ad rubed* & (*x*) *calc.* ā ℥j. *in pulverem redactis affunde spir. vini* (*y*) *rectif.* ℥ iiij. *Stent in digestione aliquot horas, vel, si vis, dies, loco* (z) *non calido, vase clauso. Et liquor ruber decantatus, erit Tinctura.*

per (*aa*) intervalla, ex cerevisia tenui & frigida caperet, ea lege, ut, si hinc sanguis prodire non desineret, idem hujus tincturæ pondus adjiceret. Atque mane revisens eum, nil sanguinis amplius rejectum accepi. Nihilominus hac die rursus ℨiß. remedii ejusdem eodem modo sumendam (*bb*) jussi. Quâ cum sanguinis excretio non rediret, tamen eandem istius medicamenti quantitatem, quam nocte proximâ assumeret, dedi. Per quam non nisi aliquot grumos sanguinis (*cc*) nigros (*dd*) tussiendo expectoravit. Quam ob rem posthæc quotidie ter 15. guttas supradicti pharmaci sumendas (*ee*) curavi. Cujus ubi ℨvj. consumptæ erant, morbus in posterum nunquam recurrit.

Plus

Plus semel hæmoptoe non tempore certo redeunte laborantes, quibus jugiter, aliquot momentis dumtaxat interpositis, sanguis purus progerebatur, tinctura suprascripta, cujus per brevia intervalla guttas 30. assumebant, donec sanguineo fluxu suppresso, non nisi grumos sanguinis nigros exscrearent, sanavi.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

Sanationibus sequentibus de hæmorrhagiis internis ratiocinaturi paucula de earum causa præfari oportet. Quando considero arterias in aneurismatis, & venas in varicibus magnopere sine ruptione distendi, non possum non judicare nimiam sanguinis fermentationem vasa sanguinea distendentem per se hæmorrhagias producere non posse, magis, quod sanguinis non plus justo fermentescentis cursum nonnunquam oriri experimur. Præterea, quum atrophiæ, in qua sanguis admodum acris existat, rarò sanguinis fluxus superveniat, eos acrimoniæ soli quoque ortum non debere puto. Tandem etiam satis notum est, ureteres ob lapillum inhærentem ab urina in immensum citra ruptionem dilatari posse: unde non pessimè deducas, sanguinis profluvia ab obstructione vasorum sanguineorum sola etiam non proficisci. Ratio nihilominus dictat, sanguinem, ubi per obstructionem stagnat, acrem vasorum suorum membranas erodendo facilè aperire posse, & quidem magis, cum eæ a magna sanguinis fermentatione distensæ tenuviores sunt. Id quod experientia etiam confirmat: nam sanguine ab immodico aromatum, spirituum quorumvis ardentium, cerevisiarum, pinguium, &c. usu; item, aëre æstuante, nimio corporis motu, &c. debito acriori ac impetuosiori facto, quotidie sanguinem profluere videmus. Itaque collige, hæmorrhagiarum causam esse obstructionem vasorum sanguineorum, una cum sanguinis acrimonia conjunctam, concomitante interdum magna sanguinis fermentatione. *Sed jam adhuc inquirendum restat, qualis sit ea acrimonia, utrum alcalina, an acida salinave. Item, quodnam sit vas sanguineum, magnum, an parvum, venula an arteriola. Quandoquidem experientiâ sum edoctus, alcalia volatilia, præcipuè acria, sanguinis effluxus excitare,* acrimoniam esse alcalinam *censeo: nam acida verius sanguinem coagulando illos impediret; & salinam non esse in causa eo liquet, quod non tam ramosa, quàm de acido participantia iisdem apta comperiantur. Deinde, vas sanguineum fere non esse magnum, constat ex facili sanguinis suppressione. Adde, quod difficulter magnum vas sanguineum obstructionem ad hæmorrhagias necessariam admittat. Tum, vasculum sanguineum esse* arteriolam, *non venulam, conjicio, quoniam illa a spatio ampliori in angustius desinit, & sanguinem transmittit mobiliorem quàm venula, unde fit, ut particulæ ejus acres, & facilius, & vehementior in illius, quàm hujus membranas impellantur.*

a Facilè. *Continuus pulmonum motus curationi hujus morbi quidem obstat, sed quia aër illos ingressus acido suo materiam subtilissimam abarcendo sanguinis coagulationem effusi promovet, ideo ferè non difficulter sanatur. Aëri enim acidum inesse patet è ferrugine, quàm ferrum ei expositum contrahit, &c.*

b Convenientia. *Quum sanguine condensato hæmorrhagiæ sistantur, & apertura arteriolæ collapsæ coalescat, remedia illum incrassantia, (cujusmodi sunt acida & austera, ut quæ id ignem cœlestem reflectendo faciant) hæmoptysi cæterisque sanguinis profuviis conveniunt. Quanquam, quæ particulas alcalinas ramulis suis integendo confestim mitigant, quod genus est* opium, *en*

eoque

eoque paratum extractum, tinctura, &c. *iis utiliter adjici queant, præcipue, ubi dolor adest.*

c In tempore. *Nam aliquando hæmoptysis tanta incidit, ut æger è medio abeat, antequam Medicus accersitus aliquid auxilii adferre possit, quod mihi ipsi occurrisse memini.*

d Januarius. *Cujus frigori fortè obstructio causam debuit: nam aër hoc mense intrinsecus perquam segniter motus, adeòque frigidus, sanguinem per pulmonum vasa sanguinea profluentem non satis agitavit, qui inde viscidior factus arteriolam eorum obstruxit.*

e Sua sponte. *Id est, nulla evidenti causa præcedente.*

f Sine tussi. *Quia hic sanguis non usque adeò acris extitit, ut tunicam fistulæ pulmonalis nervosam, utpote viscido oblitam, vellicare potuerit. Is tamen sine ulla vellicatione reddi non potuit.*

g Gravitate. *Quoniam ea adesse nequit, nisi magna sanguinis copia in pectore sit collecta, quod mihi in hæmoptysi rarò accidere videtur.*

h Angustia. *Quæ adfuit nulla, cum sanguis extra arteriolam non ea copia in pulmones fuerit effusus, qui aëri magnam partem excludendo sufficerit.*

i Noctu. *Quid autem in causa est, cur non nisi noctu, nocteve appropinquante sanguis fuerit ejectus? Ea calori stragulis lecti, in quo laborans jacebat, tribuenda videtur.*

k Florid. *Quia hic sanguis in dextro cordis ventriculo effervescentia in eo fieri solita, recens rarefactus fuit.*

l Interdiu. *Ob frigus cœli sanguinem defectu ignis cœlestis ita condensans, ut is arteriolæ aperturam recludere non valuerit.*

m Calorem omnem. *Sive is esset ignis, sive aëris, sive Solis, sive cibi potusque, sive alterius cujuscunque rei corpus ægroti contingentis, vel intrantis. Omnia namque corpora calida, quæ materiam primi elementi copiosam habent, cum illo communicarent, sicque efficerent, ut sanguis magis agitatus, & majori copia effueret, & minus promptè sisteretur.*

n Aromata. *Quippe quæ etiam ratione sui alcali volatilis oleosi multum materiæ subtilissimæ*, Rat. Ph. Obs. 4. *sub tit.* Aromatis, *magnamque sanguini fermentationem inducunt.*

o Vina. *Quia eorum particulæ ignem æthereum etiam copiosum in sanguinem advehunt. Vide* Rat. Ph. Obs. 5. *sub tit.* Alvi fluxus.

p Styptico. *Vinum rubrum è succo uvarum rubrarum intermedia fermentatione proveniens, quia cum ipsis expressis, racemisque fermentatur, magis tartaro, vel potius, acido, & alcali, terraque, quæ ab iis in se accipit, scatet, quàm album è succo uvarum albarum expresso seorsim factum. Et quia acidum cum alcali terrestri* austerum *constituit, uti hoc experimentis Chymicis constat, manifestum est, cur vinum rubrum vi styptica polleat, non item album.*

q Simplices. *Ut spiritus vini, frumenti, &c. Compositos, ut spir. vini anis. juniper. aq. vit. &c. Quæ quoniam multum olei volatilis alcalini habent,* Rat. Ph. Obs. 1. *sub tit.* Oleosa tam fixa, quàm volatilia, *etiam multum materiæ subtilissimæ secum afferunt.*

r Pingues. *Quæ quia multum olei ex polenta, qui cum coctione factæ sunt, acceperunt, oleumque materiæ subtilissimæ vehiculum est, eam quoque multum in sanguinem non vehere non possunt.*

s Salinaque. *Sal commune etiam multum ignis cœlestis accersendo sanguinem agitare, facile mecum concedent, qui perpendunt, illud ex alcali & acido,*

do, quæ confusa materiam primi elementi copiosam congregant, conflatum esse. Hinc aquæ congelationem impedit; lactis coagulationi obstat; limaces dissolvit; sanguinem calefacit; venerem stimulat; obstructiones internè sumptum reserat; (quod cur minus faceret quàm salia chymica, cujusmodi sunt, tartarus vitriolatus, sal febrifugum? &c.) *tumores frigidos resolvit; ambustioni prodest; coruscationem maris nocturnam excitat; efficit ut capita haleceum salita noctu luceant, &c. Quæ omnia a materia subtilissima dependere*, Physices *gnaro haud ignotum esse judico*.

t Motum voluntarium, *quo* vigiliæ *etiam pertinent. Hæc siquidem id faciunt, ut succus nervosus, quod insigne fermentum est, copiosior in sanguinem refluat, cujusque fermentationem adaugeat*.

u Iram. *Quæ mediante perturbatâ mixtione*, Rat. Ph. Obs. 1. *sub tit.* Tristitia, *sanguinis alcali volatile oleosum a compedibus suis liberat, quod idcirco etiam affatim materiam subtilissimam in eum allicit. Nam initio mixtionis perturbatæ acido, utpote subtilissimo, ac solidissimo, de reliquis particulis expedito, sanguis incrassatur. At deinde per eandem aliæ particulæ, quæ sanguini scatent, quæque in ira, &c. alcalinæ volatiles oleosæ; ut in tristitia, &c. acidæ sunt, extricantur*.

w Antiphthisica. *Hoc remedium insigniter austerum est, quod quomodo hæmoptysi prosit, videre licet sub tit.* Convenientia. *Sed quia insuper dulce est, alcali volatilis acrimoniam demulcendo etiam ad eandem potest*.

x Calcin. *Ut aqua ejus sub calcinatione evaporata, tinctura minus incrasset. Etenim aqua plures salis saturni, & vitrioli martis molleculas solvit, unde non modò intensior rubedo, sed & austeritas major ei conciliatur, ut patet, ubi cum* spir. vini, *(qui aceto non adulteratus sit, per cujusmodi nil planè rubedinis prolicitur) paratur. Cæterum, quo austerior ac rubicundior fiat, sal saturni cum vitriolo martis diu in mortario teratur oportet: sic namque molleculæ utriusque rubræ minores factæ, plures spiritu vini rect. excipiuntur, faciliusque gestantur. Sed hoc sciri debet, necesse esse, hæc contritio in mortario vitreo, vel lapideo cum pistillo ejusdem materiæ fiat, ne pulvis acido suo particulas peregrinas è metallico abrasas accipiat*.

y Rectif. *Ita ut omni phlegmate sit privatus: nam quo plus ejus adest, eò major austeritas nascitur tincturæ (vide* Calcin.) *quanta ei haud necessaria est. Porrò, cum hæc tinctura sanguini incrassando potissimum sit destinata, jure merito quis interrogaret, anne spiritus vini rectificatus per oleum suum volatile materiam primi elementi copiosam adferendo, fermentationem ejus, sputumque augeret? Hoc utique per se usurpatus, quantumvis acido præditus, arbitror, faceret: hinc eos, qui vinum adaustum ingurgitare consueverunt, haud rarò in hæmorrhagias incidere comperimus. Vide* Rat. Ph. Obs. 1. *sub tit.* Oleosa tam fixa, quàm volatilia. *Atque cum iste spiritus vini in hoc remedio molleculis austeris* salis saturni & vitrioli martis *sit imprægnatus, tam procul abest, ut sanguinis fermentationem, sputumque augeret, ut potius eadem vehementer, experientia teste, supprimat. Adde quod fermentatio, quam sanguini addit, dum ad eum sistendum adhibetur, minimè sit damnanda, quando cum magna sanguinis jactura facta est, eum, qui remansit, blandè attenuando efficit, ne per austera nimis incrassetur, ac circuire desinat, sicque mors pro vita adsciscatur: imo ut succo nervoso ob id è sanguine largiter secreto, leipothymiæ occurratur. Igitur hoc medicamentum utramque paginam in hæmorrhagiis compescendis absolvit*.

z Non calido. *Nam molleculæ salis saturni, & vitrioli martis commixtorum rubræ (quæ globulos cœlestes ita reflectunt, ut celerius circumrotati, quàm*

pro-

progressi, retinam oculorum afficiendo, in mente nostra rubedinis ideam excitent) motu caloris dividuntur; sicque rubedinem suam amittunt, æquè ac filo rubro, ubi in filamenta subtilissima discerpitur, rubedo perit.

aa Intervalla. *v. gr. quavis hora drachmam dimidiam.*

bb Jussi. *Ut mali paroxismo occurrerem.*

cc Nigros. *Quando sanguis coagulatus est, niger existit, quia tunc tales poros nactus est, ut globuli cœlestes iis velut suffocati, ad oculos nostros copia perquam exigua reflectantur.*

dd Tussiendo. *Quoniam grumi mobiles facti mole sua tunicam asperæ arteriæ nervosam ita affecerunt, ut inde tussis fuerit excitata.*

ee Curavi. *Ne postea in eundem morbum relaberetur.*

OBSERVATIO X.

De Hæmoptysi gravissima.

AT hæmoptysis verè gravissima mihi videtur, in quam anni MDCXCVI. Majo, vir quidam firmus, aliàs eidem etiam *(a)* morbo, sed multò leviori, & *(b)* suapte sponte abeunti, obnoxius incidebat. Siquidem, ex quo aliquot horas sputum excreaverat cruentum, assiduè, quovis momento, *(c)* sine tussi, tantum sanguinis rejiciebat, ut eo matulæ dimidium impleretur antè, quàm ego non procul ab illo degens, vesperi vocatus ad eum accessissem. Imo, ut propter continuam sanguinis ejectionem vix spatium daretur *Haustum* hunc:

> ℞. *(d) Laud. opiat. gr.* j. *Lap. prunell.* ʒjß. *Syrup myrtill.* ʒij. *Aqu. portulac.* ℥j. *M. & f. Hausl.*

citissimè paratum sumendi, tamen hausit eum, quàm festinanter potuit. Quartâ horæ parte post haustum elapsa, sanguinis excretio diminuebatur, ita ut intra dimidiam horam in totum supprimeretur, non obstante jam *(e)* tussi, qua æger aliquot *(f)* nigros sanguinis grumos expectorabat. Sanguine suppresso, manè hanc *(g) Mixturam*:

> ℞. *(h) Corall. rubr. pp. Lap. hæmatit. & Sangu. dracon.* ā. ℈j. *Conf. hyacinth.* ʒj. *Syrup. papav. alb. & rosar. rubr.* ā. ℥ß. *Aqu. portulac. & plantag.* ā. ℥jß. *cinnamom.* ℥ß. *M. & f. Mixt.*

duodecim horis cochleatim absumendam præscripsi. Eà verò consumptâ, recrudescebat *(i)* hæmoptoe. Quam ob rem simili mixturæ ℈ij. *(k) lapid. prunellæ* adjiciebam, ac præcipiebam, ut *(l)* calorem omnem, reliquaque ægro curationis præcedentis interdicta diligenter vitaret. Post hæc sanguinem non amplius excrevit: sed quia admodum infirmatus erat, hanc *(m) Mixturam*:

> ℞. *Corall. rubr. pp.* ʒß. *Confect. hyacinth.* ℈jv. *Syrup. borag.* ʒvj. *Aqu. ejusdem, & rosar.* ā. ℥jß. *cinnamom.* ℥j. *M. & f. M.*

cochleatim cepit; & post ad præveniendum similem paroxysmum, singulis diebus guttas 30. *Tinct. antiphth. D. Mich. Observ. præced.* ex cerevisia tenui, aliquandiu, *(n)* eupeptis interim haud neglectis, assumpsit. Et sic hic hæmoptycus è faucibus orci ereptus brevi convaluit.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a MOrbo. *Morbus, qui alicui familiaris est, ob minimum in illustratione commissum, quod mali causam funditus non sublatam denuò augeat, rarò redire obliviscitur.*

b Suapte sponte. *i.e. Nullo auxilio adhibito. Vide* Rat.phil. Obs. 8. *sub tit.* Ajunt.

c Sine tussi. *Vide* Rat.phil. Observ. præced. *sub tit.* Sine tussi.

d Laud. opiat. *Hic haustus est, præter* laud.opiat. *austero-acidus. Acidus namque est, ratione* lapidis prunellæ. *Novi quidem nitrum, quod cum tantillo sulphuris deflagratum in istum lapidem transit, etiam alcali fixum habere, id quod ex* nitro fixo, *quod alcali fixum est, (nam ubi nitrum cum carbonum pulvere inflammatur, particulis acidis ex eo expulsis, hoc alcali fixum remanet) manifestum fit. Verum tamen, quia vires ejus potissimum ab acido dependent, cum sanguinis æstum compescat, inflammationibus conducat, &c. imo quia destillando ferè totum in spiritum acidissimum abit, istud ita ex acido, & alcali compositum sit, necesse est, ut illud præ hoc longè emineat. Quo nomine nitrum mihi potius ad acidorum genus, quàm salinum esse restringendum videtur. Si cui secus placeat, per me quidem licet. Ad hæc, hic haustus, propter* syrupum myrtillorum *austeriusculus est, non verò respectu* aquæ portulacæ, *cum molleculæ austeræ, quibus hæc verba pollet, alembicum non transcendant. Ergo hæc aqua pro mere dumtaxat vehiculo erit habenda. Quomodo verò hic haustus profuerit, videsis* Rat. phil. Obser. præc. *sub tit.* Convenientia.

e Tussi. *Vide ibidem, sub tit.* Tussiendo.

f Nigros. *Vide ibidem, sub tit.* Nigros.

g Mixturam. *Ut per eam recidivæ mali, sanguinem leniter incrassando, obviam irem, & simul aliquo modo reficerem vires.*

h Corall. &c. *Hæc quatuor priora ingredientia, cum syrupo rosarum rubrarum austeriuscula sunt. Quid de* aqua portulacæ, & plantaginis *sentiendum sit, videre est sub finem tituli* Laud. opiat. *Atque* syrupus papaveris albi *de opio participat. Vide* Rat.phil. Obser. præc. *sub tit.* Convenientia. Aqua *verò* cinnamomi *est cardiacum prioris generis; ut confectio hyacinthorum posterioris, addita ad vires laborantis debilitatas refocillandas. Sunt enim* cardiaca generis prioris, *quæ per suum oleum alcalinum volatile sanguinem intrinsecè magis movendo, particulas spirituosas, id est, subtilissimas succo nervoso materiam præbentes subito producunt; &* posterioris, *quæ illas ante productas per alcali suum terrestre sanguinem blandè incrassando, in eodem retinent.*

i Hemoptoë. *Quia hæc mixtura sanguinem non satis condensaverat.*

k Lapid. prunellæ. *Ad sanguinem acido suo magis condensandum. Vide titulum* Laud. opiat.

l Calorem omnem. *Vide* Rat. phil. Obser. præced. *sub tit.* Calorem omnem, *& seq.*

m Mixturam. *Quæ non modo sanguinem blandè condensaret, verùm etiam præcipuè, tam per* aquam cinnamomi *spiritus producendo, quàm per* corallia, & confectionem hyacinth. *eosdem retinendo, corpori robur redderet.*

n Eupeptis. *Quippe quibus sanguis deperditus, quàm celerrimè restitui potest. Illum enim regenerari posse* a priori *patet, eo quod chyli particulæ oleosæ intestino sanguinis motu, a particulis hujus aquosis, reliquisque circumfluen-*

fluentibus comprimuntur, & a materia cœlesti transfluente extenduntur, utrobique æqualiter, ac undequaque, ita, ut paulatim in globulos exiguos coëant, eo ferè modo, quo guttæ aquæ in aëre globosæ redduntur; vel oleum, ubi cum aqua concutitur, in bullulas dividitur. Hi autem globuli, qui per microscopia conspicui sunt, a quibusque rubedo sanguinis dependet. Vide Rat. phil. Obs. præc. *sub tit.* Non calido (*nam massa sanguinea usque, ni fallor, aquâ tepidâ ablui potest, dum globulis istis elutis, alba relinquatur*) *cum reliquis particulis chyli eodem sanguinis motu intestini satis attenuati, sanguinem novum constituunt.* A posteriori *verò idem confirmat experientia, utpote quæ patefecit, eos, quibus successu temporis fermè tanta sanguinis copia fuit educta, quantam eorum corpora habebant, in vita mansisse, imo saniores, quàm antea factos esse.*

OBSERVATIO XI.

De Hæmoptysi phthisin comitante.

QUod si phthisin, apprimè eam, quæ (*a*) sputum aquosum, ac spumosum exhibet, comitetur hæmoptysis, ægrotantis restitutio (*b*) non facile venit expectanda, quod ex observatione sequenti palam fiet. Erat anni MDCXCV. Decembri mulier quædam, lenta (*c*) febricula cum (*d*) sudoribus non gravibus, & appetitu (*e*) prostrato laborans, (*f*) macra, & (*g*) infirma, quæ jam pridem de dolore in pectore (*h*) molesto conquerebatur, & unà vexabatur (*i*) tussi. Post hæc sputum (*k*) aquosum, ac (*l*) spumosum, nec non, quandoque (*m*) cruentum, non verò purulentum; magnâ (*n*) copiâ, haud absque (*o*) anhelatione, excreabat. Quin jam aliquando etiam cochlear unum, atque alterum sanguinis (*p*) tenuis, & (*q*) spumosi, (*r*) tussiendo ejiciebat. Igitur hæc ægra *hæmoptysi phthisin comitante*, tenebatur. Ut verò, si possem, mederer ei, interdixi nimirum (*s*) calorem, & (*t*) frigus, omniaque (*u*) acria, & (*w*) oleosa; (*x*) eupeptis, apprimè ovis sorbilibus, lacticiniis, ac jusculis carnium sine sale commendatus. Præterea quinquies die guttas 20. (*y*) *Tincturæ antiphth. Dr. Mich. Observat.* 9. ex cerevisia tenui tepefacta sumpsit. Cum hoc remedio per duos dies usa esset, longè melius habebat, minus enim (*z*) tussiebat, & grumulos sanguinis (*aa*) nigros solummodo expectorabat, nisi quod insuper nunc, ut postea semper, sputum aquosum, & spumosum affatim (*bb*) rejiceret. Verum hic morbi status brevi mutabatur, quia demùm (*cc*) tussi pressa, sanguinem floridum excreabat. Quare nunc quavis vice 30. guttas supradicti (*dd*) medicamenti capiendas jussi. Uncia vero unâ istius tincturæ consumptâ, sanguinis rejectio penitus compressa erat. Unde post sui ipsius medica, me inscio, per *robum sambucinum* (*ee*) sudavit. At infelici successu, quoniam exinde (*ff*) recidit in hæmoptoën. Itaque manè vocatus, hunc *haustum*:

℞. (*gg*) *Rhei* ʒiß. (*hh*) *Cinnamom. gr.* xv. *infund. in aqu. comm. per horam* (*ii*) *unam, tum colaturæ cum* (*kk*) *expressione factæ* ℥iiß. *adde*, (*ll*) *Man. calabrin.* ℥ß.

eo magis, quod per aliquot dies non dejecisset, præscripsi, cujus pars dimidia statim sumpta satis alvum movit, ut quod reliquum erat, tempore pomeridiano capere necesse non esset. Post hanc purgationem multo minus (*mm*)

tussi, & sanguinis excretione affligebatur. Ergo nunc prædictam tincturam de novo, sicut ante positum est, in usum revocavi, & simul bis die cochlear unum relicti haustus dedi: unde sanguinis ejectio rursus in totum suppressa est. Ast aliquot dies post relapsa est in *(nn)* hæmoptysin, cum præcordiorum *(oo)* angustia, *(pp)* leipothymia, *(qq)* sudore frigido, pulsu *(rr)* parvo & *(ss)* debili, ac pectore *(tt)* sonoro conjunctam, jugiter *(uu)* sine tussi sanguinem ore reddens. Quam ob rem (WW) *Mixturam* similem priori *Observ. præc.* (præterquamquod hæc, *syrupo papaveris albo* omisso, *rosarum rubrarum syrupi* ℥j. *aqu. cinnamomi* ℥xij.; & insuper, sanguinem magis incrassandi gratia, *spir. nitr.* gutt. xx habebat) protinus paratam, cochleatim per brevia intervalla absumpsit, corpus suum *(xx)* tepidum, & omnimodo *(yy)* quietum servans. Hac mixtura consumptâ, omnia ista symptomata se remittebant, & ægra aliquoties grumum sanguinis nigrum excreabat, qui, ut facilius elaberetur, subinde frustulum *(zz)* *succi liquiritiæ* ore tenebat. Ad hæc quando adhuc semel consimilem mixturam ceperat, redii ad *Tincturam antiphth.* quâ nullo sanguine per 8 dies excreto, cum conquereretur de præcordiorum *(aaa)* angustia, & sputum nunc *(bbb)* purulentum videretur, loco istius tincturæ, singulis diebus *(ccc)* *Specifici antihectici Poterii* ℈j. cujus hæc descriptio est:

> ℞. *Regul. antimon.* ℥vj. *fluant in crucibulo, tum injiciantur stamni Anglic.* ℥iij. *effund. & pulverisf. Dein cum triplo nitri, ad instar antimonii diaph. inflamm. edulcor. & siccetur pro usu.*

exhibui. Hoc *(ddd)* solummodò per aliquot dies sumpto, & nullo sanguine per tres hebdomadas excreto, sputum adhuc cernebatur ut ante, nisi quod magis *(eee)* copiosum erat, non verò cum angustiæ *(fff)* levamine. Igitur isthoc pulvere relicto, *(ggg)* *Balsami sulph. anis.* guttas ij. vel iij. cum potu ordinario, quod ferè *(hhh)* lac dulce erat, ter die sumpsit. Verum quando illud non præsentaneum contra angustiam experiebatur remedium, pectore, quia sputum non amplius expectorare *(iii)* valebat, *(kkk)* sonum edente, negligenter eo usa est, & brevi post denata.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a SPutum. *Hic inter initia scire oportet, me mea in praxi triplex phthiseos pulmonum genus observasse, unum cujus sputum aquosum, ac spumosum egerebatur, alterum, cujus sputum purulentum erat, & tertium, in quo utrumque sputum se invicem comitabatur. Quod genus hujus ægrotæ phthisis fuerit, ex ipso casu liquet.*

b Non facilè. *Quoniam hæc phthisis cum massa sanguinea sale tota impraegnata sit, quod, quo corrigatur, non contrarium agnoscit, sed solummodò, aut ramosis involvi, aut aquosis dilui debet, per se sanatu difficillima est, & hæmoptysis, cujus alcali volatile sal illud intendit, vires admodum debilitat.*

c Febricula. *E sale sanguini scatente, ac perturbatam mixturam inducente oriunda.*

d Sudoribus. *Eidem sali sanguinis fermentationem augenti debitis.*

e Prostrato. *Ob nimiam acidi per sudores exhalationem, quo fermento ventriculi destituto, appetitus dejici debuit.*

f Macra. *Ab acrimonia sanguinis salinâ partes corporis solidas abradente. Quamquam cibus ob appetitum dejectum parcè sumptus huc suum contulit.*

g In-

g Infirma. *Cum quia partes solidę istâ acrimoniâ plus satis erant detritę; tum maximè ob succi nervosi penuriam, tam cibo parciori sumpto, quàm sudoribus debitam.*

h Molesto. *Ex pituita pulmonali salina, quæ in tunica asperę arterię glandulosa ob cœli frigus condensata hęrebat.*

i Tussi. *Hęc autem pituita paulatim ulterius propulsa, extra tunicę dictę, canaliculos ita tandem propendebat, ut aëre ducto tunicę nervosę allideretur. Qua inde vellicatâ, hęc tussis oborta fuit.*

k Aquosum. *Hac verò pituitâ tussi excreatâ, glandulę supradictę tunicę fuerunt apertę, quæ particulas viscidas è sanguine ob sal plus satis fluido fluidiores factas, instar sputi aquosi transmiserunt.*

l Spumosum. *Propter aërem sputo sub tussi agitato immixtum; aquę, ac undę maris agitati ab aëre intermixto in spumam elevantur.*

m Cruentum. *Non modo, quia ęgrotę sanguis alcali volatili plus debito gaudebat; sed & quoniam arteriolę tussiendo ruptę fuerunt. Nimirum, in tussi diaphragma vicibus repetitis adeò percussit pulmones, ut sanguis, qui è dextro cordis ventriculo in eos appulit, compulsus, vascula dicta distenderet, atque perrumperet.*

n Copia. *Hinc phthiseos gravitatem cognoscere licet.*

o Anhelatione. *Hęc autem copia erat in causa, cur aëre quippe, qui non sufficienter in pulmones admittebatur, deficiente, levis* præcordiorum angustia *oriretur; cur pulmones facti graviores, non tam facilè a thorace moverentur, unde* exigua respirationis difficultas; *& cur defectum aëris* crebra respiratione *patiens compensare deberet: quæ tria ad* anhelationem *constituendam concurrunt.*

p Tenuis. *Vide* Rat.phil.Obser.9. *sub tit.* Floridi.

q Spumosi. *Vide supra,* Spumosum.

r Tussiendo. *Quæ tussis ab acrimonia pariter, ac mole* (Rat phil. Obs.9. *sub tit.* Tussiendo) *istius sputi provenit.*

s Calorem. *Qui sanguinis effluxui nocet. Vide* Rat. phil. Obs.9. *sub tit.* Calorem omnem.

t Frigus. *Quod pituitam pulmonalem in glandulis nimis condensando, anhelationem redderet graviorem.*

u Acria. *Scil.* acida, *utpote quæ propter acrimoniam phthisi noxiam suspecta sunt, licet ea minus nocere mihi videantur, quàm* alcalina, *quæ sanguinem nimis agitando excretionem ejus non parum adaugent; & unà cum* salinis *materiam causæ phthiseos addunt.*

w Oleosa. *Tam* fixa, *quàm maximè* volatilia, *quippe quæ multum materię subtilissimę adferendo, sanguinis fermentationem nimis intendunt, sicque phthisin, & hęmoptysin exasperant. Vide* Rat.phil.Obser.1. *sub tit.* Oleosa tam fixa, quàm volatilia. *Tamen* fixa, *in primis* crassiora, *cujusmodi sunt, sevum ovinum, cervinum, &c. acrimoniam salinam occultando, phthisi prodesse judicem, quod experientiam quoque confirmasse novi.*

x Eupeptis. *Quę particulis viscidis molleculas sanguinis salinas, particulasque alcalinas volatiles integendo, ac insuper corpus probè nutriendo, phthisin similiter, ac hęmoptysin juvant.*

y Tinct.antipht. *Quę hic per molleculas suas dulces acrimoniam sanguinis salinam leniendo; & per austeras sanguinem incrassando, phthisi, & hemoptysi conducit.*

z Tussiebat. *Quoniam per hoc remedium acrimonia salina mitigata, minusque mota fuit.*

aa Ni-

aa Nigros. *Vide* Rat.phil.Obser.9. *sub tit.* Nigros.

bb Rejiceret. *Quod mirum non erat, quum sanguine incrassato vascula sanguinea aperta facilius subsidentia claudantur, quàm glandulę continuò alicujus succi fluidioris transitu patulę plus justo factę collabuntur.*

cc Tussi. *Quia forsan per remedium suprascriptum aliquandiu usurpatum sanguine incrassato, sputum leviter condensatum est, asperę arterię adhęsit, eamque vellicavit.*

dd Medicamenti. *Quod, licet fortè hanc tussim excitasset, tamen ejus usum, eumque adhuc uberiorem, ob hęmorrhagiam, continuandum judicavi.*

ee Sudavit. *Sive quia illud, utpote sudoriferum lene, affatim ingurgitavit; sive quia corpus suum vestibus more vulgi largiter sepellivit.*

ff Recidit. *Quoniam sanguinis fermentatione inde adaucta, aperturę arteriolarum clausę denuò reclusę fuerunt.*

gg Rhei. *Quàm insigniter* rheum *per molleculas suas adstringentes materiam primi elementi reflectendo sanguinem condenset, sicque efficiat, ut vascula sanguinis minus ab eo distenta subsidant atque claudantur, experientia me abundè docuit.*

hh Cinnamom. *Ad nauseabundum rhei odorem aliquo modo emendandum.*

ii Unam. *Nam illud totam noctem infundere, opus non est.*

kk Expressione. *Qua molleculæ crassiores, adeoque magis adstringentes, ex eo prodeunt.*

ll Manna. *Quæ cum blandissimè alvum subducat, unaque gratum addat saporem, adjecta est.*

mm Tussi. *Quia sanguine per rhabarbarum condensato, sputi ab eo secreti acrimonia minus intrinsecè mota fuit. Quin cum molleculæ salinæ etiam è sanguine per alvum excretæ fuerint.*

nn Hæmoptysin. *Fortasse a tussi. Vide supra,* Cruentum.

oo Angustia. *Ob sanguinis copiosi in pulmonum cellulis collectionem, liberum aëris in sanguinem ingressum impedientem.*

pp Leipothymia. *Aëris defectu in sanguine minus debito intrinsecè moto particulæ subtilissimæ admodum parcè fuerunt productæ, quibus non sat materiæ succo nervoso ministrantibus, leipothymia fuit oborta.*

qq Sudore frigido. *Quum sanguis non sufficientem particularum subtilissimarum copia gavisus fuerit, mirum non est, si vapores externi iis etiam destituti, & propterea minus secundum particulas suas agitati, in sudorem frigidum coierint.*

rr Parvo. *Sanguinis fermentatione ob particularum subtilissimarum defectum sufflaminata, arteriæ angusto spatio explicatæ sunt, unde* pulsus parvus *extitit.*

ss Debili. *Nervi propter succi nervosi penuriam cordis ventriculos minus vehementer contraxerunt, ex iisque sanguinem in arterias vi minori expresserunt, unde carpi arteria leniter tangentem percussit,* pulsumque debilem *reddidit.*

tt Sonoro. *Quia sputum ob suam condensationem in aspera arteria hærens, ab aëre respirato illi allisum est, unde factum est, ut motus undulatorius aëris moli impressus, aures adstantium feriret, in iisque perceptionem hujus soni excitaret.*

uu Sine tussi. *Vide* Rat. Ph. Obs. 9. *sub tit.* Sine tussi.

ww Mixturam. *Quomodo verò hæc mixtura adjuvare potuerit.* Obs. præc. *sub tit.* Corall. &c. *videre licet.*

xx Te-

xx Tepidum. *Vide supra* Calorem & Frigus.

yy Quietum. *Vide* Ratioc. Philosoph. Obser. 9. *sub tit.* Motum voluntarium.

zz Succi liquiritiæ. *Cujus tantillum, dum saliva solutus in œsophagum deglutitur, per laryngis rimulam in tracheam arteriam defluit, particulis suis oleosis grumos sanguinis nigros emolliens, & simul illam arteriam oblinens: unde illi & facilius, & leviori tussi excreantur. Nam aliquid fluidi rimulam inter deglutiendum ingredi, eo manifestum est, quod nonnihil potulenti in animalium fistula pulmonali reperitur, cum paulò post ejus assumptionem mactantur. Item, quod in tussi dolorifica ægri ilico post linctus convenientis usum levantur.*

aaa Angustia. Proxima *angustiæ* causa *est*, circuitus sanguinis per pulmonum vasa impeditus, *unde ii graviores facti cor quasi comprimunt, sensumque angustię producunt. Causa verò* remota *est duplex, una* defectus aëris: *nam ubi is deest, sanguinem minus debito fermentatum, è pulmonibus, per venam pulmonalem propellere non potest. Quem usum aëri præter alios esse eo patet, quod pulmones ex animalis pectore deprompti aëris inflatione albescunt.* Altera *verò est*, nimia sanguinis crassities, *per quam in vasis pulmonum aliquo modo stagnat. Hæc autem causa* tinctura antipht. *debita, hanc angustiam, ut prior præcedentem, excitasse videtur.*

bbb Purulentum. *Hinc constat pulmonibus ulcera, in quibus pus gigni notum est, incidisse, quia apertuę arteriolarum, grumis sanguinis expectoratis, tam acrimonia sputi, quàm tussis motu, in illa degenerarunt.*

ccc Specif. antih. *Quod in phthisi è pulmonum ulcere nata præ cęteris profuisse observavi, cum sanguinem, & nimis motum retardet; & una laxum reddat, ita ut particulę excrementitiæ ex illo facilius, cum per alias vias excretorias, tum præcipuè per viam urinariam, foras secedant: nam quamdiu urina phthisicorum trahit sedimentum, longè melius habent. Sanguis ergo, qui optimus vulnerum, ulcerumque internorum balsamus est, sic bene purificatus, ad ulcera pulmonum phthisinque sananda, & corpus melius quàm ante nutriendum, aptissimus evadit. Igitur illud remedium huic morbo utile non est, quatenus acidum puris sanguinem intrantis absorbet, quoniam adhuc in quæstione est, utrum huic puri acidum an sal insit: Deinde hoc medicamentum, quod è duplici quidem alcali*, regulo antimonii & stamno *constat, acido nitri ita repletum est, ut cum acido ęque minus* ac antimonium diaphoreticum *effervescat, illudque corrigat.*

ddd Solummodò. *Non mea, sed illius culpa, ut quæ illud nocere sibi persuaderet.*

eee Copiosum. *Quandoquidem ab usu austerorum sanguinem incrassantium destiteram.*

fff Levamine. *Quia sanguis incrassatus non usque adeo solutus erat, ut liberum per pulmonum vasa circuitum faceret.*

ggg Balf. fulp anif. *Per quod non modo, sanguine fluidiori facto, angustia se remitteret; & ipsa ulcera aliquid sanationis reciperent.*

hhh Lac dulce. *Quod non immediatè ante, aut post austera supradicta bibebat, ne in ventriculo vehementer coagulatum aliquid incommodi concitaret.*

iii Valebat. *Ob virium infirmitatem, id est, succi nervosi penuriam: nam per eum nervi, qui in musculos expiratorios sunt protensi, trahentes, pulmones & asperam arteriam contrahunt, sicque sputa è pectore expellunt. Quæ igitur intus remanentia aërem tandem penitus excludunt, & agonizan-*

zantibus proxima mortis causa, uti huic nostræ quoque laboranti, sæpe extiterunt.

kkk Sonum. *Vide supra*, Sonoro.

OBSERVATIO XII.

De Hæmorrhagia stomachica, & sola, & cum excretione cruenta conjuncta.

PRæter hæmoptysin mihi aliquando obvenit & *hæmorrhagia stomachica*, & *excretio cruenta*, quarum tria jam exempla proponere libet. Anni MDCXCVI. Martio, puella 10. plus minus annos nata, ab hebdomade una atque altera decumbens, subinde vehementer conquerebatur de (*a*) dolore in ventris medio, supra (*b*) umbilicum: at nunc aliquando sanguinem (*c*) nigrum & coagulatum, (*d*) sine tussi & (*e*) vomitu rejiciebat. Hunc affectum appellamus *Hæmorrhagiam stomachicam*, quæ in hac puella pauculos dies duraverat antequam me opem collaturum accerserent. Ego postquam præceperam, ut ab ægrotula (*f*) calorem omnem, cæteraque *Obs.* 9. interdicta, abarcerent; & (*g*) lac chalibeatum pro potu ordinario exhiberem; dedi diu post, nec immediatè (*h*) ante illud, quater die, *guttas* 10. *Tincturæ antiphthis. Obs.* 9. Per quam rejectio sanguinis magis magisque diminuta, tandem in totum (*i*) supprimebatur.

Anni ejusdem Aprili me vesperi accersebat mulier, quæ (*k*) citra dolorem præcedentem incidit in idem malum, sed *cum excretione cruentâ* conjunctum: nam nulla (*l*) tussi, nulloque (*m*) vomitu moto, (*n*) nigrum sanguinem magna (*o*) copia ore, fœcibus alvinis eo etiam abundè (*p*) tinctis, reddebat. Adhuc ægram torquebat præcordiorum (*q*) angustia ac (*r*) leipothymia, cum pulsu (*s*) parvo & (*t*) debili. Itaque ad ægræ medendum præscripsi *Mixturam Obs. præc.* propositæ (*u*) similem, quam spatio 12. horarum cochleatim, maximè (W) initio, consumeret. Cum denuò eam manè reviserem, intellexi multum sanguinis sub imminentem noctem, ex quo ob maximam angustiam & leipothymiam denatura videbatur, sursum deorsumque fuisse excretum; at immediatè post largiter de mixtura prædicta sumptum, successu tam felici, ut reliquam noctem (*x*) blandè (*y*) sine hæmorrhagia transiret. Jussi tamen, ut hoc die simili muxturâ cochleatim uteretur. Quo facto ægrota penitus sanata evasit.

Anni MDCXCIX. Januario, mulierem quandam consimili malo laborantem sanavi per *Tinct. antiphth.* cujus guttas 30. vel 40. quavis hora tertia (nam illa semel tantum sumpta, sanguinis cursus quiescebat) per diem naturalem capiebat, sed istam dosin postea ita diminuebat, ut octo dierum spatio ℥j ʃs. istius remedii consumeret. In hisce tribus casibus ægræ è dictis hæmorrhagiis convaluerunt: sed id non semper usu venit, nam plus semel iisdem morbis laborantes sub cura mea, sive quia sanguinis cursus nimis gravis erat; sive quia serò me accerserant; sive alia quacumque de causa, obierunt.

RATIO-

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a DOlore. *Ab acrimonia sanguinis in arteriola stagnantis alcalina volatili : Vide* Rat. Ph. Obs. 9. *inter initia*.

b Umbilicum. *E quo doloris loco, qui situs ventriculi est, patebat, hæmorrhagiam fuisse stomachicam, non pulmonalem*.

c Nigrum. *Ab acido ventriculi fermento, vide* Rat. Phil. Obs. 9. *sub tit.* Nigros. *Hinc etiam constabat sanguinem è stomacho, non pulmonibus prodiisse*.

d Sine tussi. *Quod idem confirmat: nam licet in hæmoptysi sanguis ferè sine tussi expectoratur, tamen ubi quis tussiendo eum excreat, quia inde vasculum sanguineum rumpi potest. Vide* Rat. Ph. Obs. præc. *sub tit.* Cruentum, *eundem è pulmonibus, quàm è ventriculo ascendere vero similius est*.

e Vomitu. *Cum hic sanguis non tantâ gauderet acrimoniâ, ut tunicam ventriculi nervosam irritando, vomitum ciere potuerit, tamen hæc ab illo sic affecta est, ut rejectus fuerit*.

f Calorem omnem. *Vide* Rat. Phil. Observ. 9. *sub tit.* Calorem omnem, *& seq*.

g Lac chalybeatum. *Vide* Rat. Phil. Obs. 3. *sub tit.* Chalybeatum.

h Ante illud. *Ut hæc tinctura eo non diluta, aut coagulato non infirmata, effectum sanguinem sistendi melius sortiretur*.

i Supprimebatur. *Quomodo hoc factum sit, videsis* Rat. Phil. Obs. 9. *sub tit.* Antiphth.

k Citra dolorem. *Quoniam hic sanguis minus acris, quàm in casu priori fuit; vel fibrillæ nervosæ hujus arteriolæ harumve arteriolarum tam exiles, vel anfractuosæ fuerunt, ut motus iis ab hujus sanguinis acrimonia impressus in cerebrum transferri non potuerit*.

l Tussi. *Vide* Sine tussi.

m Vomitu. *Vide* Vomitu.

n Nigrum. *Vide* Nigrum.

o Copia. *Quæ mali gravitatem indicat*.

p Tinctis. *Quia sanguis omnis ob sui copiam ore reddi non poterat*.

q Angustia. *Ab ista sanguinis copia in ventriculo collecta, quâ diaphragma pressum non liberè moveri, nec unà cum musculis abdominis aërem sufficienter in pulmones intropellere potuit. Vide* Rat. phil. Observ. præc. *sub tit.* Angustia.

r Leipothymia. *Quæ quomodo defectu aëris provenerit, videsis* Rat. phil. Observ. præc. *sub tit.* Leipothymia.

s Parvo. *Ibidem, sub tit.* Parvo.

t Debili. *Ibidem, sub tit.* Debili.

u Similem. *Cujus operandi modum ibidem quoque, vel, si mavis,* Rat. phil. Observ. 10. *sub tit.* Corall. &c. *videre est*.

W Initio. *Quia tunc auxilio fortiori opus est, quàm postea, morbo magnam partem victo*.

x Blandè. *Quum angustia, ac leipothymia, sanguine excreto, non redierint, constat, eas è copia sanguinis effusi natas fuisse; ut supra, sub titulo* Angustia *demonstravimus*.

y Sine hæmorrhagia. *Quoniam mixturæ operatio a sanguinis utpote excreti admixtione præpediri non potuit, prosperrima fuit*.

OBSERVATIO XIII.

De Mictione cruenta.

Raro mihi mea in praxi occurrit *Mictio cruenta*. Hac tamen anni MDCXCV. (*a*) Januario tenebatur juvenis (*b*) robustus, qui aliquando (*c*) graviter laborare consuevit, nam mingens (*d*) post urinam (*e*) tantillum sanguinis reddebat. Hic autem sanguis istam urinam (*f*) rubedine (*g*) tingebat, sed paulatim (*h*) subsidens sedimentum constituebat cruentum. Praeterea inerat (*i*) lumbis (*k*) dolor, apprimè (*l*) noctu. Ut verò accersitus hunc ægrum sanarem, interdixi ei (*m*) calorem omnem, reliquaque (*n*) ante memorata, & præscripsi hanc (*o*) *Mixturam*:

℞. *Laud. optat. gr. ij. Corall. rub. pp.* ʒß. *Sang. dracon. & Lap. hæmatit. ā. gr. xv. Syrup. rof. rubr.* ℥j. *Aq. rof. & portul. ā.* ℥ijß. (*p*) *Spir. nitr. gutt. xx. M.*

uno die cochleatim consumendam. Per hujusmodi 3. aut 4. mixturas (*q*) initio morbus quidem parum remittebatur, sed post in eodem permanebat statu. Ego hoc (*r*) *Apozema*:

℞. *Rad. bistort. & Tormentill. ā.* ℥ß. *Herb millefol. Sanguisorb. & Caud. equin. ā. M. j. Flor. rof. rubr. p. ij. Cap. papav. cum semin. num.* iij. *coqu. ex* (*s*) *aqu. chalyb. colat.* ℥xx. *adde Syrup. myrtill.* ℥ijß. *M. & f. A.*

biduo absumendum misi. Quod etiam non multùm (*t*) profuit. Quam ob rem quater die gutt. 10. vel plures (*u*) *Aquæ stypticæ N. Lemery*, quæ sic paratur:

℞. *Cap. mort. vitriol. Alum. ust.* (*W*) *& Sacchar. cand. alb. ā.* ℥ß. (*x*) *Urin. human. &* (*y*) *Aqu rof. ā.* ℥ß. *Plantag.* ℥ij. *agita diu simul commixta in mortario* (*z*) *vitreo, & postquam aliquandiu stetit, decanta liquorem pro aqua styptica.*

cum cochleari uno *decocti fortis* (*aa*) *corticis quercus deficcati* (*Deboenmaakers bark*) sacchare parum edulcorati, & per cartam bibulam filtrati, cepit. Quando ℥jß. istius aquæ stypticæ usurpaverat, mictio cruenta in dies decrescens penitus finita erat, nisi quod corpus ponderosum moliens nonnihil (*bb*) doloris adhuc lumbaris (*cc*) sentiret. Quem paulatim sustulit (*dd*) *Tinctura opii Obs.* 4. cujus ter die 8. vel 10. guttas, ex potu suo quotidiano assumpsit.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a Januario. *Hujus fortè mensis frigus arteriolæ obstructionem ad sanguinis eruptionem necessariam peperit. Vide* Rat. phil. Observ. 9. *sub tit.* Januarius.

b Robustus. *Cum ratione duritiei partium corporis continentium, tum maximè succi nervosi copiæ.*

c Graviter laborare. *Qui gravis labor fortè suum ad hoc malum producendum contulit, quatenus eo succus nervosus debito copiosior in sanguinem refluxit, eumque ita intrinsecè agitavit, ut ante arteriolæ obstructionem flagrans, tam distendendo acrimoniâ suâ aperuerit. Vide* Rat. phil. Observ. 9. *inter initia.*

d Post

d Post urinam. *Dum sanguis cum urina vesicâ continebatur, ille utpote hac graviori fundum petebat: unde non fieri non poterat, ut sanguis post urinam redditam efflueret.*

e Tantillum. *Ergo hic sanguinis effluxus non gravis fuit.*

f Rubedine. *Unde sanguini rubedo contingat; videre est* Rat. phil. Obs. 10. *sub tit.* Eupeptis.

g Tingebat. *Nam licet sanguis subsequeretur urinam, tamen quia uterque secundum particulas suas moventur, ille huic utpote fluidiori facilè admiscebatur, atque inferebat rubōrem.*

h Subsidens. *Quando sanguis urinâ gravior erat, in ea subsidere debebat. Erat verò gravior, quoniam minores, ac pauciores poros quàm illa habebat, per quos cum materia cœlestis ubique æqualiter secundum lineas rectas a tellure recedens minus liberè, quàm per urinę poros transiret, illum deorsum, telluris centrum versus, hoc supernatante, depulit.*

i Lumbis. *Hinc constabat arteriolam* in renibus, *quippe qui situm in lumbis habent, non ureteribus, aut vesica fuisse apertum.*

k Dolor. *Vide* Rat. phil. Obs. præc. *sub tit.* Dolore.

l Noctu. *Cur autem noctu apprimè dolor vexabat? Quia tunc sanguinis fermentatio ob calorem lecto debitum majorem major erat, unde particulę sanguinis stagnantis alcalinę volatiles magis motę vehementius in arteriolę membranulas impellebantur.*

m Calorem omnem. *Vide* Rat. phil. Obser. 9. *sub tit.* Calorem omnem, *& sequ.*

n Ante. *Videlicet*, Obs. 9.

o Mixturam. *Hęc autem mixtura prçcipuè constat ex acido, austero, & opio, quę quomodo prosint, superius* Rat. phil. Obs. 9. *sub tit.* Convenientia; *item*, Obs. 10. *sub tit.* Corall. &c. *abundè ostensum est. Quod attinet ad* aquam rosarum, *de qua ibi nulla mentio facta est: ea etsi ob amicum oleum quantumvis per partes verius ad aquas aromaticas, quam frigidas pertineat, tamen hic nonnisi vicem vehiculi implet.*

p Spir. nitri. *An non hic spiritus cum coralliis rubris in sal sanguinem attenuans, adeoque nocens transit? Nam* sal coralliorum *ex iis spiritu acido quocunque solutis, ac liquore prçcipitante prçcipitatis parari potest. Hoc mihi probabile non fit, cum reliquorum hanc mixturam ingredientium particulę illum implicando, ac diluendo obstant, cur minus in corallia agere, eaque solvere queat.*

q Initio. *Est sanè annotatu dignum, medicamenta initio magis, quàm deinceps adjuvare: quod vulgò fieri dicitur, quia naturę paulatim assuescunt: aut* philosophicè, *quoniam eorum motus intestinus magis, magisque cum eo, qui sanguini inest, quemque hic pro corporis nostri* natura *agnoscimus, consentit. Itaque ubi ea prodesse desinunt, alia in usum sunt revocanda. Quod non modo obtinet, cum viscidi dissolutione opus est. Vide* Rat. phil. Obs. 2. *sub tit.* Substitui; *sed, & quando sanguinis crassities, sicut in hoc casu nostro, necessaria est.*

r Apozema. *Quod omnia ingrediuntur austera, nisi quod capita papaveris opio gaudeant.*

s Aqu. chalyb. *Eo modo, quo lac dulce è chalybe candente adstrictionem accipit. Vide* Rat. phil. Observ. 5. *sub tit.* Chalybeatum, *aqua eadem etiam nancisci mihi videtur: nam ei quoque acidum inesse patet è ferrugine, qua ferrum aqua affusa obduci videmus, &c.*

t Profuit. *Quia æger robustus erat, id est, succo nervoso scatebat, ideo sanguis ab eo multùm attenuatus, per remedia supradicta tam facilè incrassari, hecque hemorrhagia sisti non poterat.*

u Aqua styptica. *Hæc aqua etiam austera est, tam respectu aluminis, quàm vitrioli, quod in hoc capite mortuo delitescit: nam ex eo, nisi perfectissimè edulcoratum sit, semper vitriolum elixiviare licet.*

w Sacch.cand.alb. *Quod saporis ergo additur.*

x Urina humana. *Quæ hic mihi non multùm obtinere videtur, quia per alcali suam vim stypticam potius diminuit, quàm intendit.*

y Aq.rof. *Hæ verò aquę vitrioli capitis mortui, ac alumini solvendo, in seque accipiendo, inserviunt.*

z Vitreo. *Ne quicquam particularum è mortario, si ex materia quadam metallica esset conflatum, a particulis hujus remedii acidis solveretur, in istamque transferretur aquam, cujus vires inde non parum immutari potuissent.*

aa Cortici. *Qui satis vehementer adstringit.*

bb Doloris. *Quia aliquot particulæ acres in parte affecta remanserant.*

cc Sentiret. *Quoniam corpus ponderosum moliens, lumbos d flexquere debebat, ideò musculi psoas interna eorum superficies adnexi una moveri debuerunt. Hoc autem motu cum renibus iis incumbentibus communicato, particulæ acres hic residentes itidem movebantur, atque fibrillas nervosas pungendo renovabant dolorem. Qui hujusmodi violentum renum motum pro causa hujus hemorrhagiæ externa habere, eamque internis, sub titulo, gravites laborare, positis, adjungere velit, non est quod adverser.*

d Tinctura. *Ut quę ramulis suis istas particulas acres involverint.*

OBSERVATIO XIV.

De Sanguinis è capite per os ethmoides defluentis effluxu.

RAra profectò fuit hæmorrhagia exigua, sed lenta, & longa, quæ virum ætatis provectæ, ac succulentum adeo exhausit, ut postremo monogrammi ad instar hinc discederet. Erat igitur anni MDCXCVI. tempus vernale, quod iste homo dolore magno in finistro capitis latere molesto, & aurem finistram versus (*a*) descendente, unde ulterius fecundum supercilium finistrum ad nares (*b*) tendebat, affligebatur. Hic autem dolor, ubi contra eum (*c*) parti dolenti, capillis abrasis, (*d*) *vesicatorium* applicandum; atque internè *decoctum* (*e*) *conveniens* usurpandum curaveram, in (*f*) hæmorrhagiam degeneravit, ita ut tantillum sanguinis è nasi radicem per choanam (*g*) ad fauces, cum doloris (*h*) diminutione deplueret, (nam rarissimè sanguis iste ex ipsis naribus (*i*) prodibat) quem ibi salivæ commixtum æger tunc assiduè expuebat. Cum hic sanguinis effluxus aliquot dies perseveraset, tandem (*k*) cessavit, & unà capitis dolor (*l*) rediit. Hoc autem (*m*) malum in dies incrementum capiens ultimo continuè sine remissione, dolore (*n*) sublato, ægrotum vexabat. Ad hæc olfactus nari finistræ (*o*) periit. Ceterum æger ferè etiam (*p*) ptyalismo levi, & (*q*) tussi tenebatur, ac cernebantur fauces (*r*) inflammatione exigua correptæ. Itaque, licet ipsi diætam

diætam & remedia, cujusmodi in medicationibus præcedentibus videre est, præscripsissem, & externæ parti capitis dolorificæ *argillam ex aceto in* (*s*) *cataplasma coctam* (*t*) frigidè, ac (*u*) immediatè applicandam jussissem, tamen effluvium cruentum pertinax (*W*) continuabatur, eò magis quod non protinus mali diminutionem advertens, intra pauculos dies ab istis remediis abstineret. Quare aliorum ope, sed in cassum, etiam usus est. Postea verò iterum accersitus, vidi sanguinem ex (*x*) aure sinistra erumpentem: & tunc adaucter asserui, nullum auxilium, nisi a magna cranii perforatione in loco capitis dolorifico instituta esse expectandum, ut arteriola sic denudata, digito injecto, assiduè compressa tandem clauderetur. At æger, sive proprio instinctu, sive aliorum, quos forsan super hac re consuluit, suasione, istam operationem repudiavit. Postremò patiens jugi sanguinis effluxu in dies adhuc (*y*) graviori, licet (*z*) lac dulce magna copia quotidie (*aa*) biberet, ad extremam (*bb*) maciem perductus, vere anni sequentis animam efflavit.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a DEscendente. *Hinc succum nervosum, qui per sinistrum nervum auditorium ad hanc aurem defertur, debito acriorem esse, suscitabar.*

b Tendebat. *Sed hæc hypothesis, quia dolor ulteriùs secundum supercilium sinistrum ad nares tendebat, fateor, labescebat. Tamen non erat, cur dubitarem, hunc dolorem è succo acri quocunque ob partis eum continentis obstructionem stagnante, ac fibrillas nervosas irritante* Rat. Ph. Obs. 2. *sub tit.* De dolore, *proficisci.*

c Parti dolenti. *Videlicet, sinistro capitis lateri, ubi dolor incipiebat.*

d Vesicatorium. *E cantharidibus paratum, quippe quæ insigni alcali volatili acri, magnam materiæ subtilissimæ copiam transmittente, ut è chymia, & phænomenis constat, pollent. Nimirum, cum illud alcali sanguinem ingressum, & ejus circulatione ad vas obstructum delatum; tum præcipuè hæc materia copiosior transmissa, obstructionem solvere, sicque progressum succi stagnantis promovendo, dolorem tollere potuisset.*

e Conveniens. *Quod tam obstructionem reseraret, quàm succi stagnantis acrimoniam leniret.*

f Hæmorrhagiam. *Unde manifestum erat*, arteriolam, Rat. Ph. Obs. 9. *inter initia, quæ per superficiem duræ matris superiorem decurrebat, istam partem continentem; & sanguinem istum succum acrem fuisse. Vide supra*, Tendebat.

g Ad fauces. *Hic autem sanguis, quoniam* arteriosus *erat, qui majore particularum subtilissimarum copia gaudet, quàm venosus; idque* in capite, *ubi sanguis tenuior existit, quàm in alia quacunque corporis parte; (nam* levia *secundum particularem naturæ legem* sursum & gravia deorsum tendunt) *admodum agitatus fuit. Qui idcirco ante obstructionem arteriolam distendendo acrimonia sua perrupit, & a sequente vi propulsus duram matrem a cranio sejunxit. Et quoniam hæc sejunctio (ut qua fibrillæ nervosæ, quibus intermediis dura mater cranio adnexa est, tendi debeent) sine dolore fieri non poterat, is priori additus est, eumque adauxit. Imo cum sanguis ulteriùs protrusus, eandem membranam a cranio, aurem sinistram versus, & secundum supercilium sinistrum ad nares usque separaverit, mirum non erat, si dolor juxta hoc iter laborantem etiam infestaret. Ubi nunc sanguis ad os cribrosum pervenit, per ejus foramina inferiora, licet ramuli nervorum olfactoriorum ea opplerent, tamen ob suam tenuitatem paulatim penetrans, sibi viam paravit,*

vit, ficque è nasi radice per choanam suppositam ad fauces defluxit.

h Diminutione. *Quia sanguine acri stagnante jam egresso, supradictæ fibrillæ nervosæ disruptæ erant, adeoque a sanguine sequente non amplius tendebantur.*

i Prodibat. *Quoniam sanguis copia perquam exigua erat, ita ut facilè omnis choana exciperetur.*

k Cessavit. *Quod fiebat, quia sanguis ab* acido acris, Rat. Ph. Obs. 9. *sub tit.* Facilè, *ad os ethmoides admissi coagulatus, ejus foramina occludebat: quanquam* exhalatio particularum *ejus* subtilissimarum *etiam excludi non debet: nam sanguis in cavitatem aliquam effusus, ad quem nullus aëri accessus patet, etiam coagulari deprehenditur: Quæ ergo duæ sanguinis coagulationis causæ sunt.*

l Rediit. *Quum sanguis non liberum exitum inveniens, sed copiosè congregatus, fibrillas nervosas, quibus dura mater cranio arctissimè in confinio commissa erat, cum ruptionis periculo tenderet.*

m Malum. *Scilicet, hæmorrhagia magis magisque increscebat, quoniam sanguis admodum agitatus. Vide* ad fauces, *aperturam arteriolæ paulatim ampliorem reddebat.*

n Sublato. *Quia omnes fibrillæ nervosæ, quotquot antea liberum sanguini exeunti transitum duram meningem cranio connectendo præcludebant, disruptæ erant.*

o Periit. *Quoniam nervorum olfactoriorum ramuli, qui foramina ossis cribrosi occludere, a quorumque motu olfactus excitari consuevit, continuo sanguinis transitu, hac finistra parte, soluti & corrupti fuerunt.*

p Ptyalismo. *A sale salivatorio, quo sanguis laborantis erat præditus.*

q Tussi. *A saliva de hoc sale etiam participante, cujus pauculum, dum illa deglutiebatur, per laryngis rimulam in asperam arteriam ingrediebatur,* Rat. Ph. Obs. 11. *sub tit.* Succi liquirit.

r Inflammatione. *Ab eodem sale hujus salivæ, quod fibras nervosas faucium membranæ vellicabat, nata.*

s Cataplasma. *Quod materiam primi elementi repellendo frigus induceret, quo sanguis ex arteriola effluens condensaretur, atque sisteretur,* Rat. Ph. Obs. 1. *sub tit.* Frigus quodvis.

t Frigidè. *Ob eandem rationem: nam ubi quid actualiter frigidum est, minimum ignis cœlestis possidet. Vide ibidem.*

u Immediatè. *Quo frigus cum sanguine meliùs communicaretur.*

w Continuabatur. *Propter sanguinis tenuitatem & acrimoniam salinam: nec non magnam arteriolæ aperturam.*

x Aure. *Hunc autem sanguinem per foramen processus petrosi in eam pervenisse, non est, cur dubitem, quum jam dudum inferiùs in membrana tympano* hiatus *exiguus sit repertus, per quem, ubi cochleam, labyrinthum, vestibulum, & cavitatem tympanum transiit, foras ex aure profluxit. Nam multiplicem hujus itineris angustiam sanguinis transitui non obstitisse patet, eo quod sanguis arteriosus ex arteriola subcutanea promanans, cutem in tubulos ejus minutissimos influendo, echymosibus quaquaversum plurimis, teste experientia, inficere conspicitur.*

y Graviori. *Vide supra*, Malum.

z Lac dulce. *Quod præ cæteris eupeptis hujus corpori nutriendo aptum erat, (quia facillimè concoquitur, minimum fæcum continet, ac plurimum chyli producit: nam lac dulce quam proximè ad chylum accedit) magis, quod sanguis ejus sale, non acido scatebat. Lac enim dulce si ulli corpori nocet,*

nocet

nocet acido abundanti, quia a fermento ventriculi acidissimo coagulatum angustiam infert, Rat. Ph. Obs. 12. *sub tit.* Angustia; *& vascula chylosa glandulasque mesenterii obstruendo, indurationem ventris, ascitem, &c. producere potest. Quod si quis objiciat, id etiam nocere, quatenus calore in ventriculo acescit, uti infantibus familiare est, quibus ob id ferè tormina ventris, insultus epileptici, &c. contingunt. At ei respondemus, lac in infantis ventriculo non acescere, nisi aut matris, quæ acidis abundè delectari consuevit, extitisset; aut illud si vaccinum fuisset, ob ventriculi infirmitatem diu in eo hæsisset. Sin urgeat, dicendo, acidum lactis in sanguine è particulis ramosis extricatum nocere. Atque acidum illius ex bisce particulis in sanguine expediri, concedimus; illud verò nocere, non concedimus. Hinc huic ægro quotidie lac dulce potitanti nil mali attulit. Et qui acidum lactis læderet, cum quodvis aliud aut glandularum salivalium, ventriculi, pancreatis, intestinorum, adiposarum, (ex adipe siquidem acidum destillari potest) &c. ope ex illo jugiter secedat; aut quia subtilissimum est, motu sanguinis intestino adhuc magis divisum è corpore avolet, ita ut non magna copia in eo remaneat. Hinc arte Chymica nihil acidi è sanguine nostro prolicere licet; (nam quod ei inerat, sub processibus chymicis igne in materiam subtilissimam dissolutum, in auras evanescit) & nonnullos ribesia, cerasa, poma, aliosque fructus acidos sæpe affatim sine noxa ingurgitare experimur. Imo nos in posterum, si Deo placet, non tot morbos, ut multi hodie sibi persuadent, ex acido oriri, occasione data, demonstrabimus.*

aa Bibere. *Videlicet non coctum. Quorsum enim illud coquere? cum aqua, quam inter coquendum exhalat, non insalutaris existat. Quanquam ubi ea coctione evaporata viscidius factum fuisset, huic laboranti non pessimè respondisset. Nam si ulli lac coqui debeat, debet contabescentibus: ut & infantibus, ne muscarum ovula in id deposita & hac coctione destructa, lumbricis ortum præbeant. Tamen ut ne lac coctione viscidius, quàm par sit, evadat, sicque vascula chylosa; glandulasque mesenterii obstruendo, aliquot graves affectus excitet, id antequam decoquatur, aqua pluviali infusa diluere convenit.*

bb Maciem. *Nam quia quotidie plus sanguinis amittebat, quàm è lacte producebatur, paulatim partes eum, reliquosque succos ex eo parcius secretos continentes, magis magisque collabebantur; quin minus debito nutritæ etiam extenuabantur: unde non mirum erat, si corpus tantopere contabesceret.*

OBSERVATIO XV.

De Narium hæmorrhagia.

EX plurimis narium hæmorrhagiis, quas unquam curavi, quæque originem causæ (*a*) internæ debuerunt, nonnullas dumtaxat sanatu difficiles hic proponendas censui. Accidit anni MDCXCV. Martio, ut miles, cujus nares (*b*) impetuosè sanguinem emittebant, ad ædes meas opem quæsiturus veniret. Itaque protinus jussi, ut pollice, ac indice manus dextræ radicibus alarum nasi, ad ejus ossa, firmiter injectis, nares comprimeret. Qua compressione statim sanguinis effluxus fuit (*c*) suppressus, ita ut ne guttula

la è naribus per choanam in fauces (*d*) deflueret. Quod tamen semper evenit, cum alarum nasi extremitates solummodo comprimuntur. Præterea patienti *pulv.* (*e*) *lap. prunellæ* ℈j℈. ex cocleari cerevisiæ dedi, & præcipuè, ut ab iis, quæ *Observ.* 9. evitanda protuli, caveret; & si hæmorrhagia recurreret, eam rursus simili compressione reprimeret. Verùm difficilius (*f*) in parvulis morbus hujusmodi compescitur, quod tamen feci autumno anni MDCXC. & quidem prædicta narium compressione, postquam iis (*g*) stupam convolutam, & *Aqua styptica J. C.* (*h*) *Geberi* (quæ miraculosè sanguinis fluxus sedare dicitur, & hoc modo paratur:

℞. Vitriol. Hung. & Alum. crud. ā. ℥iij. (*i*) *Phlegmat. vitriol.* ℥xxjv. *Coque tamdiu, donec omnia fuerint dissoluta: liquorem frigefactum filtra, & a* (*k*) *crystallis subinde concretis separa, atque addendo* (*l*) *Ol. vitriol.* ℥ij. *M. & f. Aq. styptica.*)

Imbutam specillo (*m*) intrusissem, non obstante parvuli (*n*) fletu; & (*o*) tussi, quâ tum temporis laborabat; cuique ne malum rediret, ut per remedium conveniens mederentur, suadebam. Atque propter erysipelas bullosum faciem viri cujusdam occupans, anni MDCLXXXIX. tempore hyemali, non licebat nares ejus, utpote dolorificè tumefactas comprimere: quo in casu turundam *Linimento ex albumine ovi conquassato, & bolo vulgari facto* abunde oblitam nari, quæ sanguinem edebat, immisi. Id verò linimentum admotâ prunâ citò desiccatum sanguinis cursum ex voto (*p*) sedavit. Ceterum, hæmorrhagia narium sanata post aliquando recrudescit, qualem vocant *habitualem*, cujus curationem hic casus Lectori offert. Vere anni MDCXCV. famulus cujusdam aurifabri supra dicto sanguinis effluvio laborabat, imprimis (*q*) noctu, vel ubi corpus ejus labore, aliave de causa (*r*) incalescebat. Eum verò intra pauculas septimanas sanavi, præter narium compressionem, quàm ipse, simul atque sanguis prodibat, adhibebat, per (*s*) *Aquam stypticam N. Lemery, Obser.* 13., cujus ter die, ad guttas 20. ex cerevisia capiebat, dum interim sibi cavebat ab omnibus, quæ (*t*) ante hæmorrhagiam afflictis interdixi. Sed hoc hæmorrhagiæ genus puerperæ, anni MDCXCVIII. Julio, temporis momento, turundam (adeo magnam, ut narem (*u*) opplens satis altè (W) ascenderet) *Liquore meo styptico* abundè imprægnatam, in eam (*x*) blandè intrudendo, & intrusam per horulam dumtaxat servando, stiti. *Liquor* autem *stypticus* meus, quem (*y*) nullis aliis postponendum puto, hoc modo conficitur:

℞. (*z*) *Aq fort.* ℥xxjv. *Cui in vitro* (*aa*) *capacissimo* (*bb*) *lim. mart.* ℥xij. (*cc*) *per partes immitte. Et postquam aliquot dies stetit, liquorem per linteum rarum exprime, & expressum, qui instar syrupi fluidioris est, usui serva pro magno styptico.*

Porrò, dum in eo eram, ut dictos sanguinis effluxus cohiberem, curabam diligenter, ut ægri corpora sua (*dd*) frigidiuscula, ac (*ee*) quieta servarent; (*ff*) non loquerentur; (*gg*) sternutationi oculos fricando (*hh*) obviam irent; capita (*ii*) sublimia tenerent, &c. ita ut linteum aquâ (*kk*) frigidâ madens eorum fronti, & naso summo admovere, & artus fasciis (*ll*) constringere non opus arbitrarer. At (*mm*) acetum rosatum auribus instillare; & (*nn*) frigidam in nares injicere, auxilia perquam infirma mihi videntur: Et non satis tuta, faciem frigida (*oo*) respergere; aut eandem (*pp*) cervici, (*qq*) testiculisque applicare.

RATIO-

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a INnterna. *Dantur etiam, quæ a causa externa, nasi, puta, percussione, frictione, &c. arteriolas narium lædente, ac aperiente, reperiuntur.*

b Impetuosè. *Hæc autem hæmorrhagia ob impetum suum suppressu difficilis erat.*

c Suppressus. *Quia sanguis, qui egressus erat, coagulatus arteriolarum aperturam claudebat.*

d Deflueret. *Quoniam naribus ita compressione altè compressis, sanguini descensus in choanam ex toto præcludebatur.*

e Lap. prunell. *Qui sanguinem condensando juvabat, vide* Rat. Phil. Obs.9. *sub tit.* Convenientia.

f In parvulis. *Propter eorum ejaculationem, per cujus motum corporis succo nervoso plus debito in sanguinem refluente, fermentatio ejus, adeoque & hæmorrhagia intenditur. Adde quod sub ista ejaculatione aër vi è fistula pulmonali per choanam in nares exspiratus, sanguinem hic jam coagulatum, vel brevi coagulandum expellat, sicque arteriolarum clausuram impediat.*

g Stupam. *Scil. notæ melioris, & a palea repurgatam, nam sive ejusmodi stupam, sive carpiam adhibeas, unum idemque esse existimo, quum inter utrumque nihil discriminis agnoscam, nisi quod linteum, unde carpia carpitur, albedinem, quâ stupa destituta est, aër ante expositum contraxerit.*

h Geberi. *Unicuique ferè propria est* Aqua styptica. *Ea verò optima est, quæ sanguinem potentissimè coagulet, sic ut carni escharam inducat nullam. Atque hæc* Geberi, *quantum ego observare potui, levem quidem escharam excitat, sed tam potenter sanguinem non coagulat, ut ejus ne ex arteriola quidem exitum, sine compressione a linteis conduplicatis, fasciis, &c. petenda, sistere queat. Huic autem* Geberi *non admodum dissimilis est* Parisiensis, *quæ non minus celebrata* ol. vitriol. & limat. chal. *singulorum* ℔ ß. *cum* fulig. f. q. *habet, quibus* aqu. comm. ℔ ij. *affundantur; & effervescentia peracta* alum. crud. pulv. ℥ij. *adjiciantur. Qui liquor decantatus pro* Aqu. styptica *usui reservatur. Olim medicamenta sanguinem restringentia sub pulverum forma adhibeantur: hodie verò aquæ, vel liquores magni fiunt, præcipuè eo quod ob suam fluiditatem ad arteriæ vulnus sub carne delitescens pervenire possunt. Hoc siquidem nisi fiat, vas sanguinem fundere haud desinet. Cui addere licet, quod nulla dissolutione egentes, se illico sanguini effuso immisceat, id quod a pulvere vix dissolubili haud expectandum venit.*

i Phlegm. *Parvi refert, utrum phlegma vitrioli, an aquam pluvialem sumas: nam aqua dumtaxat ad vitriolum, & alumen, quæ magna austera sunt, solvenda requiritur.*

k Chrystallis. *Qui licet hic liquor frigidus sit filtratus, quoniam aqua plus vitrioli, & aluminis in se accipit, quàm gestare posset, aliquoties in ea nascuntur.*

l Ol. vitriol. *Quod ad vim hujus aquæ, quæ etiam ob id ebullitionem quantumvis levissimam, limatura chalybis injecta, subit, stypticam intendendam adjicitur.*

m Intrusissem. *Ista verò stupa specillo intrudebatur, ut arteriolam apertam simul comprimeret, sicque sanguinem sisteret, nam sine hac compressione immissa licet frigida nihil juvabit.*

n Fletu. *Qui quomodo sanguinis effluxum augeat, supra sub tit.* In parvulis videre est.

o Tussi. *Quæ idem eodem modo facit.*

p Sedavit. *Non vi sua styptica, quippe quæ nulla est, sed* emplastica, *quâ, linimento desiccato, turundæ caput naris circumferentiæ adeo tenaciter affixa fuit, ut sanguini foramen pateret nullum. Unde is in nare supra turundam effusus, & coagulatus aperturam arteriolæ clausit. Quo tamen turunda ipsa, ubi vasculum illud tetigit, id comprimendo non parum contulit.*

q Noctu. *Vide* Rat. Phil. Obs. 9. *sub tit.* Noctu.

r Incalescebat. *Vide ibidem. sub tit.* Calorem omnem, *& seq.*

s Aquam stypticam. *Vide* Rat phil. Obs. 13. *sub tit.* Aquæ stypticæ.

t Ante. *Vide* Rat. phil. Obs. 9. *sub tit.* Calorem omnem, *& seq.*

u Opplens: *Non tamen ita, ut nihil sanguinis inter eam, & naris superficiem exire posset.*

w Ascenderet. *Quo ipsam arteriolam contingeret. Nam sanguinem è narium arteriolis, non è sinu longitudinali duræ meningis antrorsum ad os ethmoides usque decurrente, profluere, ex eo palam est, quod sanguis ex hoc effusus, quum ramulis paris olfactorii foramina ossis dicti occludant, tanta copia per ea penetrare non queat, quanta in narium hæmorrhagia promanar cernitur. Vide* Observ. præced.

x Blandè, *id est, sine dolore. Quod fit, ubi turunda non nimis crassa nec debito longior adhibetur.*

y Nullis. *Ne ipsi quidem præter supradictas* Aquas stypticas *celeberrim* Liquori styptico, *in quem caput mortuum* florum lapid. hæmatit. *ter cum iisdem sublimationi commissum, loco humido resolvitur. Nam in illo tantillum salis armoniaci (ut è dicti capitis mortui loco humido resolutione, ac ipsius liquoris sapore salino patet) remansit, vim stypticam parum diminuenti. & meum si linguæ offeras, austeritatem vehementiorem, quam quâ reliqui singuli pollent, deprehendes. Ergo si quis supradictum liquorem adhuc ad sanguinem restringendum potentiorem desideret, cum nonnisi spiritus sal. (è quo cum alcali volatili urinæ* sal armoniacum *constat) fit, cujus gladio poris. ferri lapidis hæmatitis sint excepti, eum compendiosius, ac vilius spiritu salis & limatura ferri, ex, quo nos nostrum liquorem stypticum, sibi paret.*

z Aq. fort. *Hæc autem aqua destillatur apprimè è nitro, & vitriolo ad albedinem calcinato:* ad albedinem, *inquam, ut hujus aqua, & sulphur, quæ cum calcinatio ad rubedinem usque protrahitur, avolant, spiritui è nitro prodeunti, adderentur. Hinc plus aquæ fortis acquiritur, quam nitri pondus sit adhibitum; & hæc aqua vitriolum sapore deprehenditur. Igitur vitrioli aqua, & sulphur efficiunt, ut aqua fortis spiritui nitri pretia, & acrimonia cedat. Atque sic liquet, cur illam aquam, non hunc spiritum in nostrum liquorem stypticum insumpserim. Porrò scire oportet, ubi aq. fortis fortissima est liquorem stypticum adeò crassum evadere, ut parum aquæ communis sit adjiciendum.*

aa Capacissimo. *Vide* Rat. Phil. Obs. 2. *sub tit.* Capaci.

bb Limat. mart. *Cum vix acidum fortius aqua forti, si spiritum salis excipias, detur, limatura chalybis, quod alcali terrestre est, ei permagnæ austeritati conciliandæ inservit, ibidem sub tit.* Adeò felici. *Quod dum facit una cuspides ejus scidentes poris suis excipit, sicque vim corrosivam ei fere in totam adimit.*

cc Per

cc Per partes. *Ne ebullitio nimia fiat.*

dd Frigidiuscula. *Ut defectu materiæ subtilissimæ, sanguinis fermentatione diminuta, auxilia externa citius sanguinem coagularent.*

ee Quieta. *Ut idem, succo nervoso parciore in sanguinem redeunte, contingeret.*

ff Non loquerentur. *Ne loquelæ motu sanguinis coagulatio in naribus impediretur, vel coagulatus iterum solveretur.*

gg Sternutationi. *Quæ quomodo sanguinis suppressioni obstet, supra sub tit.* In parvulis, *videre licet.*

hh Obviam irent. *Oculorum fricatio sternutationem prævenit, quia hoc motu in cerebrum translato, glandula pinealis ita movetur, ut succum nervosum a nervis istorum musculorum, quibus sternutatio efficitur, in nescio quos alios abducat.*

ii Sublimia. *Quo ita sanguis tardiùs effluat. Ille siquidem, quoniam materia cœlestis secundum lineas rectas gravia ad telluris centrum pellit, vide* Rat. Phil. Obs. 13. *sub tit.* Subsidens, *difficilius perpendiculariter, quàm terræ parallelus ascendit.*

kk Frigidâ. *Quomodo hæc prodesse queat,* Rat. Phil. Obs. præced: *sub tit.* Frigidè, *videre est.*

ll Constringere. *Quod, quia sanguinis circulationem parum retardat, hæmorrhagiæ aliquo modo conducit.*

mm Acetum rosatum. *Quod, cum ignem cœlestem parcè transmittendo sanguinem, qui per arteriam charotidem externam juxta aures ad nares advehitur, vix vel levissimè condenset, parum aut nihil ad hoc genus hæmorrhagiæ potest.*

nn Frigidam. *Quæ licet frigore nonnihil sanguinem narium condenset, tamen, quum in iis coagulatum diluendo aperturam arteriolarum denuò exasperet, veriùs nocere, quàm prodesse mihi videtur. Imo ne ipsa quidem* Aqua styptica Geberi, *etsi frigida immissa, hujusmodi sanguinem supprimere potest. Vide supra* Intrusissent. *Quod attinet, ad horum binorum experientiam: ea præterquamquod sanguis aliquando (sive quia causa ejus admodum levis est; sive quoniam eo largiter egresso arteriolarum collapsarum apertura clauditur) per se sistitur; ferè non mediocriter fallax comperitur.*

oo Respergere. *Quia hinc, quamvis terrore laboranti incusso, & ex eo sanguine perturbatè mixto, atque incrassato, Adeas* Rat. Ph. Obs. 1. *sub tit.* Tristitiam, *&c. hujusmodi hæmorrhagia quandoque sedetur, tamen sanguinem, succumque nervosum mobilem habenti. Vide* Rat. Phil. Observ. 5. *sub tit.* Exercere, *convulsionem contingere posse comperi.*

pp Cervici. *Quoniam succo nervoso nervorum cervicalium hinc incrassato, brachiis in quæ illi sunt protensi, paralysis nasci potest.*

qq Testiculisque. *Quando semen inde condensatum vascula testiculorum seminalia obstruere, tumoremque seminalem producere valet.*

OBSERVATIO XVI.

De frequentiori Mensium fluxu.

ERat verò Majus anni MDCXCVIII. quod mulier 30. fermè annos nata, e
septimanis viginti quinque, ex (*a*) *frequentiori mensium fluxu* (nam ex
vulva ejus, propemodum (*b*) jugiter, apprimè (*c*) interdiu, ad corporis su
(*d*) motum, parum sanguinis indusium commaculantis effluebat) (*e*) ma
ciem contrahere cœpit. Iste verò sanguis nonnunquam (*f*) grumosus prodi
bat, ferè præcordiorum (*g*) angustiam subsequens. Hæc etiam semel obort
est, eo quod stypticum quoddam utero immissum sanguinem intus coagula
vit. Præterea indusii maculæ cruentæ (*h*) initio morbi ægrè; jam verò (*i*
facilè elui poterant; & pinguedinis (*k*) ocelli in urinæ fluitabant (*l*) super
ficie. Quin hic affectus (*m*) hæreditarius erat, nam mater ejus pridem ec
dem malo correpta, (*n*) per se, juxta (*o*) quadragesimum ætatis suæ annum
convaluit. Ut verò hanc mulierculam sanarem, quæ *Observ.* 9. evitanda
proposui, ei prohibui; atque exhibui (*p*) *Tincturam antipht. Obser. eaden*
descriptam, cujus 30. guttas ex cerevisia uno die ter, altero quater, terti
quinquies, & sequentibus diebus (*q*) sexies caperet. Quod eventu tam felic
fecit, ut ℥iß. istius remedii consumptâ, fluxus sanguineus in dies diminutu
intra hebdomadam planè sine (*r*) phlebotomia suppressus esset.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a FRequentiore mensium fluxu. *Certa lunæ phasis, quæ bis mense ap
paret, radios luminares a Sole acceptos certo modo modificat, & i
corpora muliebria reflectit. Qui cum a materia cœlesti per eorum sanguine
trajici solita, multum differant, ejus fermentationem non parum adaugen
Hac autem fermentatione adaucta, sanguinis mobilitate, & abundantia, cu
serpentino arteriarum uterinarum cursu adjuvante, pori earum per fundu
& collum uteri dispersarum dilatantur, ut sanguinem semel (rarissimè bi
quia sanguis deperditus totum mensem ad sui restitutionem desiderat) men
transmittant:* qui mensium fluxus *nominatus secundum naturam, id est, s
nitatem evehit. Quod si is præter naturam celeriùs, sæpè, puta, die, ut
hac nostra patiente; vel singulis, vel alternis diebus semel; vel bis s
ptimanâ; vel ter mense, &c. Idque ob sanguinis acrimoniam alcalinam v
latilem* (Rat. Phil. Observ. 9. *inter initia*) *poros arteriarum uteri nim
aperientem, obstructione præcedente nullâ recurrat.* Frequentior *cognom
natur.*

b Jugiter. *Unde gravitatem hujus mali concludere licet.*

c Interdiu. *Sed cur hanc mulierem interdiu hoc hæmorrhagiæ genus mag
infestavit, quum præcedentibus ferè noctu plus sanguinis proflueret? Id v
motui corporis, vel prunis subjectis, vel stragularum lecti, quibus noctu tege
batur, penuriæ, &c. tribuendum mihi videtur.*

d Motum. *Qui motus corporis effluxum sanguinis promoveat; vide*
Rat. phil. Observ. 9. *sub tit.* Motum voluntarium.

e Maciem. *Quare verò macies ex hæmorrhagia originem duxerit,* Ra
phil. Obs. 14. *sub tit.* Maciem, *videre est.*

f Gru-

f Grumosus, *& coagulatus, vide ibidem, sub tit.* Cessavit.

g Angustiam. *Quæ quomodò è sanguine grumoso in uteri sinu collecto sit producta.* Rat. Ph. Obs. 12. *titulus* Angustia *ostendit*.

h Initio morbi. *Quia tunc sanguis adhuc viscidior tenaciter indusio inhærebat.*

i Facilè elui. *Quoniam sanguis spatio motu suo intestino tenuvior factus erat.*

k Ocelli. *A particulis alcalinis volatilibus è sanguine per glandulas adiposas in adiposos sacculos illapsis, & particulas oleosas ex adipe solutas secum in serum sanguinis, quod urinæ materia est, abripientibus.*

l Superficie. *Rationem, Vide* Rat. phil. Obs. 13. *sub tit.* Subsidens.

m Hæreditarius. *Hujusmodi autem morbus duplex est, quatenus originem debet vitio, 1.* feminis paterni; 2. sanguinis materni: *& uterque rursus est, vel* partium solidarum; *vel* succorum. *Atque hic erat sanguini, & quidem a vitio in sanguinis materni in eum translatus. Quod quia mater cum fœtu vitam animalem in sanguinis circulatione, constantem communem habet, facilè fieri poterat.*

n Per se. *Nullo auxilio adhibito, vide* Rat. phil. Obs. 1. *sub tit.* Ajunt.

o Quadragesimum. *Fluxus menstruus in hac muliere, quantumvis alcali volatili acri scatente, non ultra hunc ætatis annum, ut ferè usu venit, se extendit, quia successu temporis tantum sanguinis amisit, ut fermentorum copiâ ob id diminutâ, sanguis relictus non eam fermentationem a supradictis radiis luminaribus conciperet, quæ poris arteriarum uteri dilatandis sufficeret.*

p Tincturam antipht. *Vide* Ratioc. phil. Observ. 9. *sub tit.* Antiphthysica.

q Sexies. *Sic paulatim hujus remedii dosin adauxi, ut pedetentim sanguinem coagulando, laborantem tutò sanarem: omnis namque subita mutatio est periculosa.*

r Phlebothomia. *Neque in hoc, neque in præcedentibus sanguinis fluxibus, eum misi. Nam licet eo diminuto vasa sanguinea subsidant, ac aperta claudantur, tamen quia hoc idem sanguine per se effluente evenit, venam secare non opus puto. Interim si quis plethorico sanguinem subtrahere velit, non adversabor. At ubi laborans non sanguine abundat, vel is plus satis sua sponte promanavit; cum eum per auxilia bona citra phlebothomiam supprimere queamus; & hæc corporis robur sanguinis cursu minutum minuat amplius, eam instituere nullo modo convenit.*

OBSERVATIO XVII.

De Cachexia.

Anni MDCXCVII. tempore autumnali, ancillæ cuidam pedes & crura (*a*) œdematosa, apprimè (*b*) vesperi; facies (*c*) tumida ac (*d*) pallida; appetitus (*e*) dejectus; atque membrorum (*f*) lassitudo; menstruis (*g*) suppressis, a duabus dumtaxat (*h*) septimanis, erat. *Chachexiam* vocant. Cui ego, ut mederer, laborantem omni frigore, utique quantum ei licebat, vi-

sci-

scidisque omnibus, (*i*) ac reliquis *Obs.* 4. interdictis, prohibui; ac ℥ij. nostr (*k*) *Salis volatilis oleosi*, quod sic paratur:


℞. Spir. sal. armon. (l) dulc. ℥xij. *Ol. macis* ℥j ß. *cort. aurant.* ℨj. *caryo phyll.* ℈ij. *M. ad vitrum subere & vesica bene claudendum.*

cum duobus *Remediis (m) purgantibus*, quæ singula habebant:

℞. Resin. jalapp. gr. vij. *(n) Magister. gumm. gutt. gr.* v. *(o) Merc. dulc* ℈j. *Syrup. convenient. q. s. M. f. (p) Pilul.*

misi, ita ut illius quotidie 100. guttas, (*q*) per intervalla, ex potu ordinario sumeret; & hæc, 4. vel pluribus diebus interpositis adjiceret, cum eo, ut quo die se purgaret, a sale volatili oleoso (*r*) abstineret. Verùm nihilominus (*s*) post hæc auxilia malum increscebat: nam œdema ipsa quoque femora, ad inguina usque, invadebat. Igitur præcepi, ut *cort.* (*t*) *lign. guajaci* ℔j *rasuræ ligni ejusdem* ℔ß. & (*u*) *rad. liquirit. rasp.* ℥ij. *post justam infusionem, ex aqua communi, ad remanentiam* ℔xij. *decoqueret*, de quo *decocto*, quantum poterat, pro potu ordinario (*w*) biberet. Item, bonam ejus dosin calefactam vesperi cubitum itura (*x*) caperet, ac admoto (*y*) *hypocausto sudatorio* nostro, cujus figuram hic adpictam videsis, insudaret.

HYPOCAUSTUM SUDATORIUM.



Nimirum, huic machinulæ per januam in postica ejus parte hic inconspicua factam duas testas prunis instructas imponeret. Deinde eam sub lecti stragulis collocaret, ita ut duo foramina anterius in ea elaborata jacentis pedes respicerent. Ubi nunc calor ex prunis per hæc foramina erumpens pedes corpusque totum illius denudatum feriebat, (*z*) mediocrem sudoris copiam emittebat, idque per horam (*aa*) unam plus minus continuabat. Tum hypocausto remoto, adhuc aliquandiu (*bb*) per se sudabat. Præterea jussi, ut harum *Pilularum (cc) viscidum dissolventium, & (dd) purgantium:*

℞. Gumm. ammon. depur. Limat. chalyb. subtil. trit. ac cribr. & Merc dulc. ā. ℨß. *Castor.* ℈j. *Resin. scammon.* ℈ij. *Magist. gum. gutt.* ℨß *Troch. alband.* ℈j. *Ol. succin. q. s. M. f. pilulæ num.* 70.

septem, vel quinquies, aut quot alvo movendæ sufficerent, (*ee*) quotidie mane deglutiret. Per quæ præsidia tamen (*ff*) non multum profeci. Sed simul atque non ita diu post (*gg*) viro nupserat, meliùs in dies habuit, & plane convaluit. Vere anni sequentis puer quidam *cachexia* laborans per supradictam victus rationem; item, per *Sal volatile oleosum (hh) succinatum*, cujus quater die guttas 25. ex potu ordinario sumeret; cum usu pilularum posteriorum; hypocausto sudatorio interim haud neglecto, sanitatem pristinam brevi recuperavit.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

O*Bservationibus hæmorrhagiarum traditis, transeamus ad* cachexiam, *quæ unde huic ægrotæ inciderit, quum nulla evidens causa præcesserit, non facile est determinare. Quia tamen hoc malum sanguini debito viscidiori* ortum

artum debet, & causa eum viscidiorem reddentes, frigus quodvis, &c. *Vide* Rat. Ph. Obs. 1. *sub tit.* Frigus quodvis & seq. *existunt, ab his vel singulis, vel pluribus simul sumptis, id ei contigisse, affirmare non verecer.*

a Œdematosa. *Ut* Rat. Phil. Obs. 3. *sub tit.* Febrem continuam, *posuimus, vasa lymphatica è tubulis oriri; ad glandulas conglobatas protendi; & ex iis ulterius ad chyli receptaculum se conferre. Ea verò è tubulis provenientia*, tubulosa *vel* adducentia; *& è glandulis iterum exeuntia*, glandulosa *vel* abducentia, *distinctionis ergo, appellare, quid vetat? Sic quoque lympham è succo nervoso ac vaporibus internis ab eo in tubulis dilutis compositam*, tubulosam; *& hanc ubi a fermento istarum glandularum attenuata est*, glandulosam *dicere licet. Ubi illa* lympha tubulosa *ob sanguinem justo viscidiorem viscidior facta tardè è tubulis in vasa tubulosa progreditur, oritur tumor diffusus & pallidus, qui digitorum vestigia impressa aliquandiu retinet, &* œdema *vocatur. Sed cur hoc œdema pedes & crura; at non reliquas hujus patientis partes occupavit? Quia lympha tubulosa viscidior in illis partibus quàm in his erat. Nam quando secundum particularem naturæ legem* gravia deorsum, & levia sursum tendunt, *ideo sanguis in pedibus & cruribus gravior, lymphaque supradicta viscidior in superioribus corporis partibus existit. Adde, quod lympha tubulosa viscidior per vasa sua difficiliùs è partibus inferioribus ascendat, quàm è superioribus descendat, Ade* Rat. Phil. Obs. 15. *sub tit.* Sublimia. *His duabus causis pedum* distantiam *a corde* fontis calore *dicto; & terræ, quæ frigida est*, viciniam, *per quas hæc lympha etiam viscidior fit, adjicere licet. Ex illa etiam fluit; cur facies, non pectus tumeat.*

b Vesperi. *Quoniam laborans, ut quæ dominantibus ancillari deberet, interdiu ferè pedibus incedebat.*

c Tumida. *A lympha tubulosa viscidiori faciei tubulos, quia per eos lente profluebat, distendente, ita tamen, ut hic tumor non tam œdema, quàm inflatio esset.*

d Pallida. *Ab eadem lympha viscidiori per faciei cutis tubulos tardè progrediente, & ita radios luminares in retinas oculorum nostrorum reflectente, ut motu in cerebrum translato, mens nostra ideam palloris formaret.*

e Dejectus. *A fermento ventriculi debito viscidiori, è consimili sanguine secreto. Quod phænomenon cum interdum huic morbo desit, non pro pathognomonico est habendum, cujusmodi dumtaxat sunt*, 1. pedum & crurum œdema; 2. faciei tumor; *&* 3. pallor.

f Lassitudo. *Hoc etiam phænomenon non tam ad cachexiam, quàm ad* languorem universalem, *inprimis succo nervoso viscidiori debitum, pertinet.*

g Suppressis. *Atque, annon menstruorum suppressio hanc cachexiam induxit? Quum fluxus menstruus a majori sanguinis fermentatione, vide* Rat. Ph. Obs. præc. *sub tit.* Frequentiori mensium fluxu, *dependeat, & hæ particulæ excrementitiæ ex eo, pariter ac fæces è cerevisia fermentescente, secernantur, eæ ob mensium suppressionem in sanguine remanentes veriùs* cacochymiam, *quàm cachexiam producerent. Adde, quod cum sanguis viscidus cachexiam excitet, idem fermentationem reclusioni arteriarum uterinarum sufficientem non admittat, cachexia & mensium suppressio potius è tertia causa, sanguine viscidiori propullulent, quàm una alteram progignat.*

h Septimanis. *Ergo morbus non erat vetustus.*

i Ac reliquis. *Quæ sunt*, acida, dulcia, ciborum ingurgitatio, nimia corporis quies, tristitia, &c. *Quæ modo sanguinem justo viscidiorem reddant,*

dant, Rat. Phil. Obser. 1. *sub tit.* Frigus quodvis, & seq. *videre licet*.

k Salis vulatilis oleosi. *Unicuique ferè proprium est* Sal volatile oleosum. *Ego verò id, quod sequitur, quodque ex tempore parari potest, reliquisque efficacia antecellit, elegi. Hoc autem medicamentum hic conducit, quatenus & materia subtilissima, quam per oleum & alcali suum volatile affert copiosam; & cuspidibus suis alcalinis, viscidum sanguinis attenuat ac dissolvit.*

l Dulcis. *Vide* Rat. Phil. Obser. 4. *sub tit.* Dulcis. *Qui verò machinis destillatoriis destitutus eum parare velit, is spiritum vini aqua, cineris clavillati beneficio, privet, & alcali volatili salis armoniaci impraegnet. Quod hoc modo faciat.* Spiritus vini ℔ iv. *admisceat* ciner. clavill. pulv. ℔ j. *Postquam aliquot horarum spatio cinis aqua solutus subsidit, spiritum vini supernatantem decantet, cinerem per aquae evaporationem recolligat, eundemque iterum eidem spiritui indat, hocque ter vel toties repetat, donec cinis non amplius liquescit, qui, decantato spiritu, ut ante, desiccatus, usui ulteriori potest asservari. Hunc autem spiritum aqua sua in totum esse orbatum, adeoque optimè rectificatum patet, eo quod pulvis pyrius, ubi ille super hunc inflammatione consumptus est, aqua nulla madens deflagrat. Deinde hujus spiritus* ℔ ij. pulv. salis armoniaci ℥ij. *& tum* pulv. cineris clavillati *idem pondus injiciat, vitrum optimè subere & vesica occludat, loco tepido septimanam unam atque alteram collocet, & subinde concutiat. Tandem hunc spiritum per chartam emporeticam filtret, qui* spiritus salis armoniaci dulcis *fine destillatione paratus est.*

m Purgantibus. *Ad viscidum sale volatili oleoso attenuatum ac dissolutum amplius solvendum & è corpore educendum. Nam ad cachexiam sanandam viscidum non modo solvi, sed & sive per alvum, sive per sudores, sive per urinas, sive his modis una sumptis expelli debet.*

n Magister. *Haec autem duo purgantia, ut & alia id genus vulgò* hydragoga *vocantur, cujusmodi ad viscidum solutum è corpore eliminandum caeteris praefero: non quasi in aquam solam ageret, eamque reliquis succis intactis, solam ejiceret.* Purgantia *siquidem* specifica *non admittimus, quia doctrinae verum purgandi modum tradenti adversatur. Is enim in his duobus consistit*, 1. quod purgantia majorem sanguini fermentationem, *qua particulae excrementitiae ex eo secedant*, inferunt; 2. quod glandulas Peyerianas ac tunicam fistulae intestinalis glandulosam magis patulam, *per quam ista particulae excernantur*, reddunt. *Adhaec purgantia specifica experientiae fallaci innituntur: nam antiquitas veneranda observans, faeces alvinas per alia flavas instar bilis; per alia nigras instar melancholiae (veterum, ita est, nigrae partis sanguinis); per alia viscidas, instar pituitae; & per alia denique fluidas instar aquae descendere, judicavit alia esse* cholagoga; *alia* melanagoga; *alia* phlegmagoga; *& alia tandem* hydragoga. *Verùm si chimiae peritâ considerasset, cholagoga menstruo suo colorem flavum; melanagoga nigrum; phlegmagoga visciditatem; & hydragoga fluiditatem impertiri, in purgantium specificorum errorem non incidisset. Hydragoga, inquam, ad viscidum solutum è corpore eliminandum caeteris praefero, quia, cum excrementa reddant fluidiora, quàm reliqua faciunt, sanguinem magis intrinsecè movent, hocque motu viscidum ante ejus evacuationem etiam attenuant.*

o Merc. dulc. *Hoc sanè egregium est remedium ad viscidum sanguinis dissolvendum: quod sic demonstramus. Per* sal *intelligimus id, quod ex alcali, per cujus poros acidum sit trajectum, constat, ita ut unum alteri non praepolleat. Nam si acidum alcali praedominetur, ut in mercurio sublimato, id potius ad acidorum classem est referendum; sin contra alcali acido, ut in calce viva,*

viva, id alcalinis adnumerare non dubito. Quum ergo mercurius dulcis insigne profectò sal, utpote quod summum alcali volatile, argentum vivum, Rat. Phil. Obs. 2. *sub tit.* Emplastrum, *ingreditur, existat; & salis multum materiæ subtilissimæ transmittant,* Rat Phil. Obs. 9. *sub tit* Salinaque; *hunc mercurium sanguinis viscidum non mediocriter attenuare manifestum est.*

p Pilulæ. *Hoc autem purgans forte est, quia id in morbo, qui è viscido purgationem impediente nascitur, necessarium est.*

q Per intervalla. *Ita ut quinquies die guttas* 20. *vel quater die, guttas* 24. *caperet.*

r Abstineret. *Quia verebar, ne quum hujus medicamenti motus, ei quem purgans sanguini inferebat, adderetur, purgatio gravior, quàm par esset, oriretur. Alioquin hæc bina remedia, utpote sibi nullatenus contraria, se se mutuo in operatione potius adjuvarent.*

s Post. *Non autem per hæc auxilia malum increscebat. Hinc colligere licet, id indolis satis malæ fuisse.*

t Lign. guajaci. *Ex hoc ligno, ejusdemque cortice, per retortam, spiritum acidum cum oleo protrudi; ex eorundemque cinere alcali fixum elixiviari posse, è Chimia certum est. Quum ergo per acidum & alcali cum oleo commixta plurimum ignis cœlestis admittatur, ut multis experimentis constat, illud lignum, ejusdemque cortex magna vi viscidum dissolvendi pollent. Hoc etiam experientia compertum habeo, quoniam per eadem morbos pertinaces salibus, id est, alcalibus volatilibus & fixis non auscultantes, plus semel feliciter curavi.*

u Rad. liquirit. *Quæ saporis ergo addita est.*

w Biberet. *Corpore ad sudorem non composito: tunc enim hujusmodi decoctum potenter viscidum attenuat.*

x Caperet. *Ad hoc viscidum attenuatum per sudores è corpore expellendum.*

y Hypocausto. *Per quod multò commodiùs & minoris, quàm per reliqua instrumenta sudatoria, cujusmodi sunt,* domuncula lignea, machina afferalis, &c. *sudor moveri potest.*

z Mediocrem. *Non magnam, quia sanguis laborantis admodum viscidus erat.*

aa Unam. *Quia hanc evacuationem diutius urgeri ægra fortè non ferebat.*

bb Per se. *Quoniam sanguinis agitatio protinus ad pristinam quietem redire non poterat.*

cc Viscidum dissolventium. *Dissolvunt autem viscidum per particulas oleosas, alcalinas volatiles, & acidas, quas gummi ammoniacum, castoreum, & oleum succini, Vide* Rat. Ph. Obs. 5. *sub tit.* Pilulas purgantes, *cum sanguine communicant: nec non per molleculas salinas mercurii dulcis, vide supra,* Merc. dulc. & chalybem, *quatenus acidum in ventriculo & fistula intestinali hærens, & magnam partem in sanguinem per vasa chylosa rediens, absorbendo, causam viscidum in eo procreandi tollit. Ade* Rat. Ph. Obs. 1. *sub tit.* Acida.

dd Purgantium. *Purgant verò per resinam scammonii, magisterium gummi guttæ, & trochiscos albandal. Sed per quasnam particulas hæc, ut & reliqua purgantia purgant? Quando considero, alia purgantia* alcali acri *abundare, ut sunt granadillæ, esula, &c. alia ex mero* sale *constare, ut sal polychrestum, turbith minerale, &c. alia destillationi subjecta spiritum* acidum *edere, ut scammonium, jalappa, &c. Item, omnia purgantia vegetabilia,*

bilia, oleum *continere: nec iisdemque* terram *quoque*, *& aquam deesse. Adhæc dictas particulas certa proportione & mixtura compositas purgantia constituere: non possum quin judicem eam* particularum quarumvis proportionem & mixturam, *quæ apta nata sit ad majorem sanguini fermentationem inducendam, & intestinorum glandulas magis aperiendas, purgationem efficere. Hinc purgantia, ista proportione & mixtura particularum per destillationem soluta, vim suam purgandi amittunt; hinc nec cochlearia, licet multum alcali acris contineant; nec sal febrifugum; nec resina vulgaris, quæ iisdem cum resina scammonii particulis gaudet; alvum ciebunt.*

ee Quotidie. *Ast hic, forsan, contra me insurgent, qui purgationes toties repetitas, utpote quæ patientis vires admodum diminuunt, palam sint condemnaturi. Verumenimverò, quanquam unicuique lubens suum relinquam pulchrum, tamen eas, præcedente viscidi dissolutione, hujusmodi affectibus summopere prodesse, experientia vera me sæpe numero docuit. Nec hoc etiam a ratione alienum est: nam viscidum dissolutum nisi protinus è corpore eliminetur, priorem facile glutinositatem recuperabit, & morbum finiri non sinet. Quod si quis regerat, illud feliciùs per sudorifera quàm purgantia fieri. Hoc per sudorifera fieri posse concedo, non feliciùs concedo, quum sanguis longè plures particulas subtilissimas cum sudoribus exhalet, quàm alvus cum excrementis suis transmittat: quod ei non mirum erit, qui cum* Sanctorio, *vapores, quos ambitus corporis quotidie insensibiliter emittit, pondere urinam, fæces alvinas, pituitam pulmonalem, mucum, &c. simul sumpta, longè superare animadvertit. Hinc frequenter observavi, robur ægrorum meorum per purgantia sæpe reiterata minus, quàm per sudorifera minui: hinc sudor aegicus multò citiùs quàm alvi profluvium, laborantes è medio tollit.*

ff Non multùm. *Quod propter morbi pertinaciam factum est.*

gg Viro. *Nisi verò medicamenta prædicta præcesserant, ex contubitu arbitror, non convaluisset. Itaque particulas seminis virilis subtilissimas in uterum immissas poros hujus arteriarum obstructos reclusisse; & ulteriùs in sanguinem transmissas operi a remediis suprapositis incepto colophonem addidisse, puto.*

hh Succinatum. *Quod è spiritu salis armoniaci dulci cum* oleo succini *eodem modo, quo* Sal volatile oleosum anisatum. Rat. Phil. Obs. 4. *sub ti.* Oleum anisi *conficere soleo.*

OBSERVATIO XVIII.

De Chachexia cum vomitu, & tussi, in leipothymiam, & mortem degenerante.

CAchexiam paulatim ex abusu vini adusti, alteriusve potus generosi (a) natam, periculosissimam, imo (b) ferè (c) lethalem esse, ex hoc casu, ut alios prætercam, abunde patet. (d) Vere anni MDCXCVIII. vir quidam (e) obesus, qui diu Bacho, quantumvis haud nimis intemperanter servivit, incidit in *Cachexiam*: siquidem præter appetitum (f) prostratum facies (g) tumida, ac (h) pallida; pedesque & crura, præcipuè (i) vespeti, admodum (k) œdomatosi erant. Aderat & (l) *vomitus*, simul atque mane surgebat (m) cubitu, molestus, modo (n) *tussim* (o) anticipans, modo

do eandem (*p*) sequens. Igitur postquam ei potus (*q*) consueti usum injunxeram, atque interdixeram ea, quæ cachecticæ *Observ. præc.* prohibueram, hasce *Pilulas* (*r*) *purgantes*:

℞. *Chalyb. cum sulphur. pp.* ℥ij. (*s*) *Aloës*, (*t*) & *Extract. senn.* ā. ℥ß. (*u*) *rhei* ℈j. (*w*) *Resin. agaric. gr.* xv. *Ol. macis*, *q. s. M.* & *f. Pil. num.* 50.

misi, quarum singulis vesperis 10. a medicamentis metuens deglutiret. A quibus cum abhorreret, quovis tempore matutino, per dies 12. hunc *Pulverem* (*x*) *purgantem*:

℞. *Diagrid. gr.* viij. *Merc. dulc. gr.* vj. *M.* & *f. Pulv.*

quippe quæ formula ei præ ceteris arridebat, exhibebam. Per quem alvo quotidiè bis terve blandè motâ, œdema pedum, crurumque (*y*) diminuebatur: sed appetitus (*z*) prostratus, cum (*aa*) vomitu & (*bb*) tussi perseverabat. Quare hujus pulveris:

℞. (*cc*) *Limat. chalyb. subt. trit* & *cribr.* ℥ij. (*dd*) *Rhei elect.* ℨj. (*ee*) *Ol. anis. gutt.* vj. *M.* & *f. pulv. in* vj. *part. divid.*

singulas partes (*ff*) mane horam unam (*gg*) ante vomitum dabam. Quibus, unde (*hh*) nigræ fæces alvinæ erant, absumptis, appetitus parum (*ii*) erectus, ac vomitus cum tussi curatus videbatur: at unum crus altero jam longè (*kk*) œdematosius apparebat. Proinde id arenulis, & sale simul (*ll*) calefactis circumdandum jussi. Per quod dum hoc œdema discuti incipiebat, isthoc pulvere ab ægrotante neglecto, (*mm*) leipothymia, dum vomitus etiam (*nn*) redibat, (*oo*) interdum superveniebat. Idcirco hoc auxilii genere rejecto, ad pulverem istum denuò confugi, in locum olei anisi (*pp*) *macis oleum* supponens. Per quem cum melius haberet, septimanam unam, atque alteram iterum ab eo abstinuit. Hinc factum est, ut cachexiâ adauctâ, vel ipsa quoque femora œdemate corriperentur. Itaque jam hunc pulverem:

℞. *Limat. chalyb. subt. trit.* & *cribr.* ℈j. *Aloës gr.* v. (*qq*) *Ol. caryophil. gutt* j. *M.* & *f. pulv.*

quovis mane suppeditavi. Hoc ubi aliquot dies usus erat, alvo quotidie quinquies, vel sexies motâ, cachexia nondum (*rr*) decrescebat: quin de ani dolore, fœcibus sanguine (*ss*) infectis, conquerebatur. Nec (*tt*) leipothymia nonnunquam, circulo (*uu*) pallido circa os ejus conspicuo, redire desinebat. Ad hæc in dies adeo (*ww*) debilis evadebat, ut vix incedere valeret; & clarè observabat symptomata, alvo lubrica existente, esse (*xx*) mitiora. Quam ob rem (*yy*) hunc pulverem:

℞. *Limat. chalyb. subt. trit.* & *cribr.* ℈iv. *Merc. dulc. gr.* xxiv. *Diagrid. gr.* xvj. *Ol. caryoph. gutt.* viij. *M.* & *f. pulv. in* viij. *partes dividend.*

cujus mane, & vesperi unam partem caperet, tradidi. Ast illud nimis negligenter usurpatum leipothymia vicit, ægrotumque è medio (*zz*) sustulit.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a NAtam. *Duplici modo cachexiam ex vini adusti, alteriusve potus generosi abusu nasci judico, quorum uno particulæ ejus oleosæ acidas fermenti ventriculi (eo modo, quo spiritus acidi per spiritum vini rectificatum apud* Chimicos *dulcescunt) ita involvunt, ut hoc iners factum alimenta non bene dissolvat, chylumque, & sanguinem debito viscidiorem reddat. Quod mihi iis, quibus sanguis crassus est, evenire videtur. At altero modo sanguis, ubi is tenuis est, ab isto potu multum ignis cœlestis afferente*, Rat. phil. Obs. 1. *sub tit.* Oleosa tam fixa, quàm volatilia: *item* Observ. 5. *sub tit.*

 Alvi

Alvi fluxus, *ita agitatur, ut particulas subtilissimas, æquè, ac vinum fermentatione oborta spiritum suum amittens in vappam vertitur, exhalet, sicque viscidissimus evadat.*

b Ferè. *Nam hujusmodi cachexia ægros ferè diu trahere; & ubi sanguinem spiritibus depauperavit, nisi in tempore succurratur, in leucophlegmatiam, & ascitem transiens, eosdem tollere consuevit.*

c Lethalem. *Sed cur potus generosus hoc malum periculosius, ac lethalius, quàm quævis alia causa efficit? Quia sanguinis viscidum* pedetentim *producit. Hinc enim hujus ramuli motu illius intestino in dies tenacius implicantur, & quasi compinguntur, ita ut tandem vix solvi queant. Cum viscidum quavis alia ex causa* celeriùs *productum, non sat spatii habeat, quo ita tenaciter compingatur.*

d Vere. *Quia vere radii solares magis directè tellurem nostram feriendo, adeoque duplici motu aërem exagitando, calorem ejus majorem, quàm hyeme reddunt, ideo tunc ferè morbi, qui autumno, aut hyeme præcedente oborti sunt, solvuntur. Atque cachexia hujus ægri è contrario tempore vernali se manifestavit. Unde non abs re conjicias, eam non mediocriter gravem, & pertinacem fuisse. Quod etiam eventus docuit.*

e Obesus. *Obesitas eorum, qui genio diu indulgebant, veriùs viscidi, quàm pinguedinis copiam mihi indicare videtur.*

f Prostratum. *Vide* Rat. Phil. Obs. præc. *sub tit.* Dejectus.

g Tumida. *Ibidem, sub tit.* Tumida.

h Pallida. *Ibidem, sub tit.* Pallida.

i Vesperi. *Ibidem, sub tit.* Vesperi.

k Œdematosi. *Ibidem, sub tit.* Œdematosa.

l Vomitus. *Tam a nimia* tunica glandulosa ventriculi apertura *calori potus generosi debita, & plus debito fermenti eructante; quàm a* fermenti acrimonia *particulis acribus istius potus originem debente, & tunicam nervosam ventriculi irritante. Cum ergo hæc acrimonia dependeat a particulis alcalinis volatilibus, & acidis; (vide textus supra sub tit.* Natam, *allegatos) & ex utrisque commixtis sal resultet, ut plurimis experimentis chimicis constat, non possum non judicare, hanc acrimoniam fuisse salinam.*

m Cubitu. *Cur autem vomitus non nisi manè cum surrectione vexabat? Quia tum corporis motu plus hujus fermenti è sanguine secernebatur: & secretum magis in ventriculum impellebatur.*

n Tussim. *Quæ proveniebat ab acrimonia pituitæ pulmonalis salina.*

o Anticipans. *Hinc hunc vomitum* idiopathicum, *& non ex tussi per consensum fuisse natum liquet.*

p Sequens. *At hic alter vomitus* sympatheticus *erat; nam quia ventriculus æquè ac musculi expiratorii de nervis paris vagi participant, ideo cum succus nervosus tussi in nervos musculorum expiratoriorum justo copiosior influxit, influxit simul copiosior in nervos ventriculi. Quo inde contracto contenta sursum expulsa sunt, sicque excitatus hic vomitus: quo laborantis proclivitas ad eum suum fecit.*

q Consueti. *Cum potus consuetus fuerit spirituosus, & hic particulas subtilissimas sanguini patientis impertire consueverit, eo hunc in totum prohibere minimè licebat: magis, quia consueto potu omisso, sanguis certo particularum genere subitò destitutus, facilè perturbatè misceri, sicque febrem concipere potuisset.*

r Purgantes. *Quæ non modo viscidum sanguinis per chalibem*, Rat. phil. Observ. 3. *sub tit.* Cum sulph. pp. *& oleum Macis*. Rat. Phil. Observ. 1. *sub tit.* Oleosa

Oleosa tam fixa, quàm volatilia, *attenuarent ; idemque per aloën, extractum sennæ, & resinam agarici a ventriculo ad fistulam intestinalem abducerent , & per alvum è corpore eliminarent : verùm etiam simul acrimoniam fermenti per oleum Macis ;* Rat. Ph. Obs. 4. *sub tit.* Oleum anisi, *lenirent ; & tunicam ventriculi glandulosam blandè per extractum rhei constringerent . Nam ad hunc vomitum sanandum , hanc tunicam constringere ; ejus fermenti acrimoniam lenire, & ad intestina deducere oportebat.*

s Aloës . *Ad viscidum, non bilem , educendum : Vide* Rat. phil Obs. præc. *sub tit.* Magister.

t Extr. senn. *Ad viscidum, non melancholiam purgandam: ibidem.*

u Extr. rhei *Hoc autem non additum est ad viscidum eliminandum, quippe cui propter adstrictionem suam minimè respondet : sed ad tunicam ventriculi glandulosam constringendo succurrendum vomitui .*

W Resin. agaric. *Hæc verò hydragogis adnumeratur , adeoque viscido expellendo præ ceteris inservit : Vide textum sub* Aloës *allatum.*

x Purgantem , *& viscidum dissolventem .* Diagridium *enim, quod è scammonio cydoneo incocto paratur , blandè purgat .* Rat. Phil Observ. 5. *sub tit.* Resin. scammon. & Mercurius dulcis *potenter viscidum solvit,* Rat. Phil. Obs. præc. *sub tit.* Merc. dulc. *videre est.*

y Diminuebatur. *Quia in eo, quicquid ad cachexiam curandam requiritur invenitur . Vide* Rat. Phil. Observ. præc. *sub tit.* Purgantibus.

z Prostratus. *Appetitus prostratus perseverabat , quoniam sanguinis viscido per istum pulverem nondum satis attenuato , & eliminato , fermentum ventriculi debito viscidius esse non desinebat.*

aa Vomitu. *Vomitus scil.* idiopaticus , *continuabatur , quando , licet acrimonia hujus fermenti per diagridium aliquo modo ad intestina derivaretur , tamen Mercurius dulcis utpote sal , nec ad istam acrimoniam demulcendam , nec ad tunicam ventriculi glandulosam constringendam valebat , vide supra:* Purgantes.

bb Tussi . *Tussis persistebat , cum acrimonia , in sanguine nondum satis correcta , nec educta, pituitam pulmonalem reddere acrem pergeret .*

cc Limat. chalyb. *Qui hæc ad cachexiam valeat . Videsis* Rat. ph. Observ. præc. *sub tit.* Viscidum dissolventium.

dd Rhei . *Ad vomitum tunicæ ventriculi glandulosæ glandulas constringendo sistendum .*

ee Ol. anis. *Ad vomitum pariter , ac tussim, fermenti ventriculi , & deinde pituitæ pulmonalis acrimoniam demulcendo, curandum.*

ff Mane. *Ut hic pulvis , ventriculo vacuo , magis immediatè in ejus glandulas, & fermentum ageret .*

gg Ante vomitum . *Quo sic meliùs vomitum præ ceteris symptomatis laboranti molestum præveniren.*

hh Nigræ fœces. *A chalybe fœces alvinæ nigrescunt, quia menstruo suo , quod acidum est , nigredinem impertit ; & in ventriculo , ac fistula intestinali, acidum offendit . Qui verò hinc nigredinis perceptio menti nostræ obveniat.* Rat. phil. Obs. 9. *sub tit.* Nigros, *tribus verbis sum persequutus.*

ii Erectus . *Quoniam cachexiâ cum suis symptomatis parum diminutâ, plus fermenti laudabilis ventriculi è sanguine secerni cœpit.*

kk Œdematosius . *Sive , quia motu sanguinis intestino plus viscidi ex eo in hujus cruris, quàm in alterius lympham tubulosam est depositum: sive qui æger in hujus cruris latus magis , quàm in alterius cubuit. Vide* Rat. phil. Obs. præc. *sub tit.* Œdematosa.

ll Ca-

ll Calefactis. *Ut œdema, viscido per hunc calorem soluto, & in sanguinem faciliùs refluente, sanarem.*

mm Leipothymia. *Sive quia hoc viscidum in sanguinem regressum, eun incrassando sufficientem succi nervosi secretionem impediebat; sive quia idem ob usum pulveris dicti neglectum accidebat.*

nn Redibat. *Propter hujus pulveris omissionem.*

oo Interdum. *A lympha tubulosa perquam viscida, è tubulis, postquam i ils aliquandiu hæsit, soluta, & in sanguinem regressa. Vide* Leipothymia.

pp Macis oleum. *Quia, ut pituitæ pulmonalis acrimoniæ oleum anisi ita macis oleum acrimoniæ fermenti ventriculi præ ceteris mitigand aptum comperitur.*

qq Ol.caryoph. *Quod, cum alcali acri polleat, viscidum potentiùs dissol vendi gratiâ addidi.*

rr Decrescebat. *Ob mali pertinaciam.*

ss Infectis. *Pridem semel, atque iterum æger in ano dolorem passus est & vidit fœces sanguine conspurcatas. Ego, quia* aloë *hæmorrhoides cie perhibetur, eas ex illius oleo caryophyllorum acuati usu excitatas judicavi. Se cur aloë hujusmodi malum pariat? Ubi considero, plurimos* pilulas Franco furtenses, Majernas, &c. *quas pro basi aloë ingreditur, frequenter usurpanc hunc morbum non contrahere, imo prævenire, judicari oportet, experientia hanc aloëticam non esse perpetuam. Quin eundem etiam è dolorifico alvi pr fluvio natum memini. Unde meritò colligas, hoc effectum non magis aloës quàm cujusvis alterius purgantis, ut & fœcum alvinarum acrimoniæ acce tum esse ferendum: & quidem iis, quibus interior intestini recti superfici mollis, & laxa est, similiter ac gingivæ molles, & laxæ nonnullis ad contactu minimum sanguinem fundunt.*

t Leipothymia. *Hinc hoc malum adhuc quotidie incrementum capere constabat.*

u Pallido. *Ex tanto succi nervosi defectu, ut corde minus quàm par esse contracto, sanguis in vascula labiorum minima non propelleretur.*

W Debilis. *Ob eundem succi nervosi defectum.*

x Mitiora. *Non tam, quia hæc evacuatio ei proficua erat; quamquod sa guinis nondum vehementer incrassati indicium erat. Nam quamdiu alvus i hujusmodi ægris bene fluit, sanguinem intrinsecè facile motum, & nondum a summam crassitiem redactum esse constat.*

y Hoc. *Ad sanguinem attenuandum, & simul lubricam alvum reddendan Quomodo verò hic pulvis, eumque ingredientia operentur, ex superioribu abundè patet.*

z Sustulit. *Nam succo nervoso è sanguine, qui jam tandem ad summa crassitiem deflexit, non ampliùs secreto, nec in nervos cordis influente, sangui ex eo non contracto expelli, sicque circumire desinit. Itaque hæc causa morti proxima erat* succi nervosi defectus; *ut* Rat. Ph. Obs. 11. Aëris defectus. *Nan aëre deficiente, deficit simul effervescentia in sinistro cordis ventriculo fieri so lita, qua sanguis, ex eo, instar cerevisiæ è cantharo angusti orificii prosilientis in arteriam magnam prorumpere, ac circulum suum absolvere consuevit. Et o succi nervosi defectum nervi cordis illo destituti, hoc non constringunt, ideoqu sanguinem ex ejus ventriculis, ad circulum eundem obeundum non expellunt Ergo, ut duæ præcipuæ causæ sunt vitæ animalis, id est, circulationis sangui nis,* effervescentia in cordis ventriculis fieri solita; & cordis ventriculorum constrictio; *ita & totidem animalis mortis, id est, cessationis istius circulationi causæ existunt.*

OB-

OBSERVATIO XIX.

De Leucophlegmatia non gravi.

(*a*) LEucophlegmatiam incipientem, adeoque non gravem, modo ritè tractetur, (*b*) facilè sanari posse, curationes sequentes non confirmare non poterunt. Erat autem anni MDCXCVII Julius, quod mulieri cuidam ab hebdomade una, atque altera œdema pedum (*c*) ad inguina usque perveniens, ac abdominis (*d*) intumescentia, quibus partes corporis superiores (*e*) carere videbantur, oboriri cœpit. Adhæc 6. septimanæ erant elapsæ, ex quo (*f*) siti, & (*g*) somno vexata menses, qui ante quoque (*h*) minus debito fluebant, erat (*i*) passa. Ego, ut ei mederer, diætam *Obs.* 17. traditam, immodico (*k*) aquosorum usu insuper interdicto, injunxi, ac præcepi; ut ter die guttas 60. vel 70. *Salis volatilis oleosi* (*l*) *succinati*, ex vino quovis (*m*) pingui caperet; & vesperi singulis diebus (*n*) *hypocausti sudatorii Observ.* 17. beneficio non ultra, quàm ferre (*o*) posset, (*p*) sudorem moveret. Quatuor, aut quinque dies post illam revisens, *remedium mercuriale* (*q*) *hydragogum* præscripturus, malum ex toto superatum inveni. Anni ejusdem (*r*) hyeme puer quidam 8. vel 9. annorum eodem planè morbo non ita diu contracto laborabat, sed insuper faciem pallidâ intumescentiâ (*s*) tumidam; scrotum satis (*t*) œdematosum; alvumque ex voto (*u*) fluentem habebat. Is verò ejusdem *Salis volatili oleosi* guttas 36. vel plures ter die ex (*W*) cerevisia sumebat, dum interim victus ratio suprad cta, (*x*) calorque ipsi bene servabatur. Unde alvi fluxui aliquot dies adhuc (*y*) duranti, (*z*) sudor, subsequente (*aa*) sanatione, accessit. Anno MDCXCVIII. juvenis quidam egenus ab anno uno, aut altero (*bb*) scrofulis tenebatur, quibus tandem accedebat (*cc*) *leucophlegmatia*: nam præterquamquod ordinaria cachexiæ (*dd*) signa, sed graviora aderant, (*ee*) femora quoque non mediocriter œdematosa, abdomenque unà (*ff*) tumidum, at sine appetitu (*gg*) prostrato apparebat. Porrò, diæta conveniens, cum *lixivii cineris* (*hh*) *clavillati*, ac *pilularum viscidum dissolventium, atque* (*ii*) *purgantium* usu, sed eodem non (*kk*) continuato; nihil ad alterutrius curam profecisse (*ll*) videbat. Atque ex quo aliquot menses hoc malo posteriori laborabat, id sanaturo mihi angusto traditus est. Igitur præter victus rationem suprapositam, hoc *ligni guajaci* (*mm*) *decoctum*:

> ℞. (*nn*) *Rasur. lign. guajac. & Cort. lign. ejusd.* ā ℥viij. (*oo*) *Fol. senn.* ℥jß. (*pp*) *Sem. anis.* ℥ij. (*qq*) *Rad. liquirit. ras.* ℥ij. *M. & filtretur ad chartam. Hæc in* (*rr*) *s. q. aquæ communis per noctem* (*ss*) *infundit, & mane ad* ℔ xx. *remanentiam,* (*tt*) *vase clauso, igne* (*uu*) *lento, decoxit, colaturamque pro decocto usui servavit.*

licet bis vel ter die alvus mollia (*WW*) redderet, pro potu (*xx*) ordinario, ita ut illud octiduo consumeret, usurpavit. Hinc quotidie septies vel octies dejecit. Interim (*yy*) vesperis singulis *hypocausto* (*zz*) *sudatorio* admoto, sic ut pectus non obrueret (*aaa*) vestibus, (*bbb*) sudorem, apprimè è (*ccc*) pedibus, (*ddd*) copiosum emittebat. Per quæ auxilia tumorem ex voto diminutum, sed deinde alvo non bene (*eee*) soluta, (*fff*) eundem denuo adauctum deprehendi. Igitur remedio supradicto (*ggg*) *colocynth.* ℨj. & *rad. liquir.* ℥j. adjeci. Per quod, ut postea audivi, me inscio, sanatus aliorsum discessit.

RA-

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

a Leucophlegmatiam. *Quæ non nisi gradu a cachexia distat: nam gravis cachexia nil aliud quàm levis leucophlegmatia est.*

b Facile. *Quoniam inter initia viscidi ramuli non tam tenaciter, quàm postea sibi sunt impliciti, ideo morbi ex eo incipientes faciliùs, quàm cum inveterarunt, sanantur*; Rat. Ph. Obs. præc. *sub tit.* Lethalis.

c Ad inguina usque. *In cachexia vix femora œdemate correpta invenias.*

d Intumescentia. *Nec in ea etiam abdomen tumet. Tumet verò in leucophlegmatia, quoniam ejus viscera pariter ac femora & crura œdemate affecta sunt: nam in hac lympham in abdominis cavitatem, sicut in ascite, esse effusam, ob facilem ejus curationem non facilè concedam.*

e Carere. *Facies tamen aliquantò magis, quàm debebat, attendenti inflata apparebat.*

f Siti. *Quia sanguis hujus ægræ admodum viscidus erat, ideo saliva salivatoriis glandulis parum angustatis, debito parcior adeoque alcalinior sanguine secreta est, & papillas gustatorias movendo in ejus mente sitis perceptionem excitavit. Nam* alcali fixum, *& non* faucium ariditatem, *sitim producere*, Eadem *sequenti, ubi de* febribus continuis, *si Deo placebit, disseremus, abundè demonstrabimus.*

g Somno. *Cum sanguis admodum viscidus esset, succus nervosus frequenter copia tam exigua ex eo secessit, ut fibrillas cerebri & nervos non sufficienter distenderet. Qui inde collapsi motus sibi ab objectis impressos ad cerebri penetralia non transtulerunt, unde sensuum cessatio, in qua* somni essentia *consistit, provenit.*

h Minus debito. *Hinc constabat, sanguinem ejus vel pridem justo viscidiorem, e quo parcior mensium fluxus proficiscebatur, extitisse.*

i Passa. *Hunc autem parciorem, ac suppressum mensium fluxum hoc morbum non produxisse, ex* Rat Ph. Obs. 17. *sub tit.* Suppressio, *colligere licet.*

k Aquosorum. *Non tam, quoniam aquosa aquæ ægrotantis addita morbum augerent, (nam is ex viscido, non aqua, nascitur) quamquod illa multum globulorum cœlestium materiam primi elementi, æquè ac arenulas ignem, dispellentium, accerserent. Et quum hujus materiæ defectu sanguis minus intrinsece moveretur, debito viscidior fieret, morbumque adaugeri necesse erat. Hinc nonnullos aliquando ex potus thee & caffè abusu in leucophlegmatiam ac hydropem incidere deprehendimus. Ergo obiter patet, aqua qua aquam, modo immodicè sorbeatur, corpori nostro nocere posse.*

l Succinati. *Vide* Rat Ph. Obs. 17. *sub tit.* Succinatum. *Quod eodem modo, quo sal volatile oleosum, ibidem sub tit.* Salis volatilis oleosi, *viscidum solveret: quin una per sudorem, corpore ad eum composito, educeret. Nam salia volatilia oleosa, ut quæ plurimum ignis cœlestis transmittendo sanguinis fermentationem intendant, & glandulas cutaneas reserent, in sudoriferis minimè posteriores tenent.*

m Pingui. *Ut quodvis Hispanicum, &c. præcipuè, ne delicatulam ingratus hujus remedii sapor offenderet, quanquam ejusmodi vinum plus materiæ subtilissimæ admittendo etiam magis quàm tenue conduceret.*

n Hypocausti. *Cujus calor, & in corpus penetrans sanguinis fermentationem redderet majorem; & glandulas cutaneas aperiendo, particulis excrementitiis exitum pararet.*

o Pos-

o Posset. *Ne sanguinem particulis subtilissimis confestim depauperando, leipothymiam pateretur.*

p Sudorem. *An non ergo* celeriùs *ac* tutiùs *sanguis viscidus* sine sudore, *per sola salia volatilia aliave attenuantia dissolvitur? In hujusmodi affectibus non* celeriùs *attenuatur, quia motus per hypocaustum sudatorium allatus, motui salis volatilis additur, unde dissolutio viscidi non celerior effici non potest. Nec* tutiùs, *cum particulæ subtilissimæ, quæ inter sudandum è sanguine avolant, in eodem opera isthoc duplici motu resarciantur. Adde, quod non modo viscidum attenuare, verùm etiam idem evacuare oporteat.*

q Hydragogum. *Cujusmodi pilulæ* Obs. 17. *habentur.*

r Hyeme. *Cujus frigus forte multum ad hanc leucophlegmatiam producendam fecit. Vide* Rat. Ph. Obs. 1. *sub tit.* Frigus quodvis.

s Tumidam. *Ergo hujus patientis facies multò magis quàm præcedentis erat inflata, sive, quia hic capite humiliori cubare consuevit,* Rat. Phil. Obs. 17. *sub tit.* Œdematosa; *sive quia hæc leucophlegmatia præcedente gravior erat.*

t Œdematosum. *Vide ibidem.*

u Fluentem. *Quæ sanguinis fermentationem per se vigere, & particulas excrementitias ex eo secretas tunicam intestinorum glandulosam, glandulasque Peyerianas reserare significabat.*

w Cerevisia. *Non vino, quia pater ejus tenuis erat fortunæ: nam Medicum non tantùm ægrotorum morbis, sed & loculis consulere oportet.*

x Calor. *Eo magis, quod cœlum erat hyemale.*

y Durante. *Fermentatione sanguinis spontanea, a motu salis volatilis oleosi adjuta, qua particulæ excrementitiæ ex eo secretæ intestinorum glandulas servabant patulas.*

z Sudor. *Ut alvi fluxus præcipuè ab harum glandularum reclusione particulis excrementitiis sanguinis debita; ita hic sudor imprimis ab hoc sale volatili oleoso glandulas cutaneas aperiente natus videtur. Sed cur illæ particulæ* intestinorum, *& hoc sal volatile* cutis *glandulas, non item alias, aperuerunt? Id convenientiæ particularum vel medicamenti, vel sanguinis excrementitiarum, quoad magnitudinem cum glandularum meatibus, quos aperuerunt, est tribuendum. Ex quo fundamento phænomena plurima alias inexplicabilia, facili negotio deduci possunt & debent.*

aa Sanatione. *Quia viscidum sanguinis fermentatione spontanea, & motu eidem a sale volatili oleoso addito attenuatum, & per alvum, sudoremque eductum est.*

bb Scrofulis. *De quibus hic differendi locus non est.*

cc Leucophlegmatia. *Quod mirum non erat, cum uterque morbus ex eodem propemodum latice scaturiat.*

dd Signa. *Vide* Rat. Ph. Obs. 17. *sub tit.* Dejectus.

ee Femora. *Vide supra,* ad inguina usque.

ff Tumidam. *Vide supra,* intumescentia.

gg Prostrato. *Ergo hoc signum hujus morbi non est pathognomonicum,* Rat. Ph. Obs. 17. *sub tit.* Dejectus.

hh Clavillati. *Quod utpote alcali fixum, & motu materiæ primi elementi, quàm affatim affert; & cuspidibus instar acicularum suis viscidum dissolvit. Et quidem non minus efficaciter, quàm quodvis alcali volatile, quod uni frustulo sanguinis coagulatio hoc lixivium, & alteri spiritum salis armoniaci affundendo, re ipsa sum expertus. Nam licet alcali volatile magis quàm*

suum sanguinem intrinsecè moveat, tamen etiam faciliùs ex eodem avolat. Sed dosis alcali volatilis longè minor est, quàm lixivii cineris clavillati, quippe cujus bis die cochlear unùm ex potu ordinario dare licet.

ii Purgantium. *Cujusmodi* Obs. 17. *proposui.*

kk Continuato. *Quia è civitate nostra dimittebatur.*

ll Videbatur. *Nam ea verè profuisse patet eo, quod viribus viscidum attenuandi, & è corpore eliminandi pollent.*

mm Decoctum. *Ad viscidum attenuandum, & per sudorem, alvumque eliminandum. Nam attenuantia, sudorifera, ac purgantia commixta, quippe quorum motus collati plus efficere debent, affectibus ex viscido natis & chronicis multò magis prosunt, quàm si singula seorsim exhibeantur:* Rat. Phil. Obs. 17. *sub tit.* Abstineret.

nn Rasur. lign. *Hoc autem lignum ejusque cortex non modo viscidum dissolvunt,* Rat. Ph. Obs. 17. *sub tit.* Lign. guajac. *verùm etiam sanguinis fermentationem intendendo, & glandulas cutaneas reserando, sudorem movent: præcipuè cum corpus ad sudorem disponitur.*

oo Fol. senn. *Quæ viscidum solutum purgant.* Rat. Ph. Obs. præc. *sub tit.* Sennæ.

pp Sem. anis. *Quod per oleum suum acrimoniam succorum intestinalium demulcendo,* Rat. Ph. Obs 4. *sub tit.* Olei anisi, *dejectiones sine dolore blandas reddit. Nam stipites foliorum sennæ flatus excitando eum movere; at semen anisi ad eos resolvendos illis addendum esse, minus verosimile est.*

qq Rad. liquirit. *Quæ saporis gratia adjecta est.*

rr S. q. *Videlicet* ℔xxx.

ss Infundit. *Quo particulis aquosis in illorum poros calore dilatatos illapsis, utiles faciliùs ex iis solutæ excoquerentur.*

tt Clauso. *Ne subtilissimæ utilium particulæ avolarent.*

uu Lento. *Quo plus spatii esset iis excoquendis.*

ww Redderet. *Vide supra* Fluentem. *Cum ergo* natura, *id est, fermentatio sanguinis ita curationem inceperit, eam per hoc decoctum adjuvare conveniebat.*

xx Ordinario. *Quo sic* pedetentim, *adeoque, quia plus spatii est, majus, & quontam minus particularum subtilissimarum deperditur,* tutius *effectum sortiretur.*

yy Vesperis. *Quamvis tempus matutinum, ut quo corpus somno refectum faciliùs sudorem ferret, vespertino præstitisset, tamen hoc ei ob rationes œconomicas destinare oportebat.*

zz Sudatorio. *Ut sic semel ad minimum die viscidum potentiùs educeretur.*

aaa Vestibus. *Ut viribus patientis, corpore summo non multum sudoris emittente, consulerem.*

bbb Sudorem. *Hic autem sudor erat ille liquor, quem glandulæ cutaneæ insensibilem, sed jam ob sui copiam sensibilem, exhalare consueverunt. Non erat ergo ipsa lympha tubulosa, quæ è tubulis soluta immediatè per cutim foras profluebat, cum veriùs ex iis per vasa tubulosa in sanguinem refflueret, & ejus circulatione ad glandulas cutaneas delata demum ex iis prodiret.*

ccc Pedibus. *Latè sumptis, qui sub se vel ipsa quoque femora & crura comprehendunt.*

ddd Copiosum. *Sudor è pedibus haud nimis copiosus promanare potest, modo corpus summum non multum insudet. Nam quo ii magis sudore diffluunt, eò plus viscidi in lympha tubulosa dissolvitur, & postquam è tubulis*

bulis per vasa tubulosa in sanguinem refluxit, ex eo per cutis glandulas excernitur.

eee Soluta. *Quia sudore multum aquæ è sanguine per glandulas cutaneas elapsum est, ideo fæces alvinæ tenuviores* (Rat. Ph. Obs. 1. *inter initia*) *ea destitutæ crassiores debito minus diluerunt. Quibus proinde siccioribus factis, alvus leviter suppressa fuit.*

fff Eundem. *Hinc liquet, quid alvi fluxus ad leucophlegmatiam possit.*

ggg Colocynth. *Quod hydragogum est. Vide* Rat. Phil. Obser. 17. *sub tit.* Magister.

OBSERVATIO XX.

De Leipothymia.

ANni MDCXCVI. tempore (*a*) æstivo, puella quædam, cui facies erat (*b*) pallida, (*c*) aliquoties die leipothymia infestabatur: nam præter pulsum debito (*d*) minorem, ac (*e*) debiliorem, sensus (*f*) externi (*g*) internique erant diminuti, (*h*) motus voluntarius infirmus, ac respiratio (*i*) parva, cum (*k*) angustia præcordiorum conjuncta. Ut ego hoc malum sanarem, diætam *Obs.* 17. propositam ægrotæ injunxi, atque præcepi, ut sæpe die frustum (*l*) cinnamomi, aut caryophyllum manducatum deglutiret, hujusque (*m*) remedii:

℞. (*n*) *Sal.vol.oleos.Sylv.* & (*o*) *Sp.sal.armoniac.* ā. ʒvj. *Ol.macis gutt.* viij. *Cort.aurant.gutt.*vj. & *Caryophyll.gutt.*iv. *M.ad phiol* (*p*) *subere ac vesic. bene claud.*

quinquies de die guttas 30. vel plures ex vino (*q*) pingui caperet, ea lege, ut illud, ubi consumptum esset, repeteret, sicque ad morbi curationem usque continuaret.

RATIOCINIA PHILOSOPHICA.

L*Eipothymiam è sanguine* viscidissimo, *id est, viscidiori, quàm in ullo alio affectu, (eodemque, cum œdema pedibus, ac inflatio faciei desit, minus quàm in Cachexia, ac Leucophlegmatia tenaci) provenire, phœnomena clarè ostendunt: quanquam ubi sanguini viscidissimo unà tenacitas adest, hanc utramque leipothymia comitari queat.*

a Æstivo. *Quod, calore suo cum sanguine laborantis communicatio, eumque attenuante, sanationem adjuvavit.*

b Pallida. *Vide* Rat.Phil.Obs.17 *sub tit.*Pallida.

c Aliquoties. *Quia sanguis perquam viscidus erat, idcirco, quicquid eum aliquantò viscidiorem reddebat, ut, frigus quodvis, viscida, acida, &c.* Rat.phil.Obser.1. *sub tit* Frigus quodvis, & seq. *item, lympha tubulosa, viscida, postquam tubulis aliquandiu adhæserat, regressa, &c. efficiebat, ut succus nervosus ex eo non sufficienter secretus, leipothymiæ paroxismum induceret.*

d Minorem. *Vide* Rat. Phil. Obſ. 11. *ſub tit.* Parvo.

e Debiliorem. *Vide ibidem, ſub tit.* Debili.

f Externi. *Quum nervi ſenſoriorum externorum ob ſucci nervoſi defectum debito minus tenderentur, & ſine illorum tenſione motus iis ab objectis externis impreſſi in cerebrum transferri non poſſent, manifeſtum eſt, cur in hoc paroxiſmo ſenſus externi, qui ſunt,* tactus externus, guſtus, viſus, auditus, *ac* olfactus, *inter quos etiam* animi paſſiones externas *referimus, fuerint diminuti.*

g Interni. *Quia propter ejuſdem ſucci defectum fibræ cerebri, vel nervi non ita tendebantur, ut motus iis ab objectis internis impreſſi ad glandulam pinealem transmoverentur, etiam clarum eſt, cur ſenſus interni, qui ſunt,* ſomnia, imaginatio, memoria, reminiſcentia, & tactus internus, *quibus & animi* paſſiones internas; *nec non,* famem, & ſitim *adnumeramus, itidem fuerint imminuti.*

h Motus voluntarius. *Motus corporis noſtri eſt, vel* voluntarius, *quo corporis noſtri partes a nervis ſucco nervoſo copioſiori tenſis, & tendines muſculorum trahentibus, pro voluntate noſtra moventur; vel* involuntarius, *quo partes corporis noſtri continentes a nervis ſucco nervoſo æqualiter copioſo tenſis, & muſculos circulares trahentibus, nobis inſciis moventur: vel* mixtus, *ex voluntario, & involuntario compoſitus. Cum ergo nervi motui voluntario inſervientes ſucci nervoſi defectu non ſatis diſtenduntur, non abbreviantur, nec muſculorum tendines trahunt. Qui ubi non trahuntur, partes quibus inſerti ſunt, etiam non trahunt, nec movent. Atque ſic patet, cur motus voluntarius in hac noſtra patiente ſucci nervoſi penuriâ, infirmus fuerit. Quanquam interim reliquos duos motus eadem ex cauſa quoque hanc infirmitatem non evaſiſſe putem. E dictis liquet, nos in ea eſse ſententia, ut muſculorum motus* per nervorum tractionem *fiat. Quod nemini mirum videbitur, qui mecum conſiderat ſucci nervoſi copiam, ac efferveſcentiam; deinde nervos, eorumque fibras admodum longas; & tum eaſdem partim muſculorum fibras circumambire, ac præhendere; & partim ulteriùs in eorum tendines, horumque vaginas protenſas. Iſte ſiquidem ſuccus è cerebri ventriculis in ejus fibras in nervos conjunctas egreſſus, illas tam copia, quàm efferveſcentia ſua diſtendit, ita ut ob longitudinem ſuam breviores factæ, muſculos trahant. Qui idcirco tracti, partes, quibus implantati ſunt, ſive tendinum, ſi quas habeant, beneficio, ſive ſine iis, ſi muſculi ſint circulares, movent. Atque ſic nobis* demonſtraſſe *videmur, motum muſculorum* per nervorum tractionem *peragi. Quod etiam* confirmat experientia, *quia nervi in vulneribus trahentes ſunt viſi; quia inteſtina in paſſione hyſterica per nervos aliquando in globum contrahuntur, & ita ac ſi vivum animal in ægrotantis abdomine degeret, moventur, &c. Idem quoque tandem pupæ, quæ quarumque membra ab hiſtrionibus filorum ope variè moventur,* illucidant. *Injicias fortè ſcropulum, quod unius nervi, qui antagoniſtæ ramulum impertit, tractione; contrarii motus orirentur. At is eximi poterit, ſi conſideremus iſtum nervum tractum è propriis fibris nervoſis, conflatum diſtingui à ramulo, qui itidem è fibris propriis conſtat, quique ambo tunicis communibus continentur. Unde fieri poteſt, ut iſte nervus trahitur, non tracto ejus ramulo: & viceverſa. Vel, ſi mavis,* illucidatio *fiat, per magni ponderis feſtucam, quam ut multi funiculi, quos aliquot viri trahunt, attollunt, ita fibræ nervoſæ plurimæ muſculum, quem nervus ex iis contextus ingreditur, movent. Quod ſi quis objiciat, fibras nervoſas teneriores eſſe, quàm ut ſine ruptione hunc motum efficiant. Sed hæc difficultas tollitur, cum animadvertimus infinitum numerum earum teneritatem*

tem compensare (magis, quia aliis tenerioribus transversis colligantur, ac duabus membranis, dura & pia matre circumvestiuntur) eo modo, quo filamenta lini tenella, quæ singula facillimè rumpi, in unum filum conjuncta vix rumpi possunt. Si his addamus, fibrillas illas nervosas ob longitudinem suam veriùs extendi, quàm disrumpi debere, minus difficultatis remanebit. Forsan adversarius instabit, dicendo, musculorum motum graviorem esse, quàm ut per istas fibras tractas peragi queat. At considerare oportet, non vehementem istarum fibrarum tractionem requiri, quum musculi corporis nostri in æquilibrio teneantur; ac tractio levissima huic æquilibrio tollendo, adeoque motui absolvendo sufficiat. Eo modo, quo pondus levissimum lanci uni impositum oppositæ cum illa in æquilibrio pendenti elevandæ sufficit. Si juxta hæc perpendas, istas fibras ob longitudinem suam majori vi trahendi pollere; & varios musculos, non unam partem movere, difficultas adhuc minor erit. Interim, fateor, sanguis fibras musculosas ingressus, suum ad motum facit, quatenus tubulos parum comprimendo, succi nervosi progressum retardat, quo fibræ nervosæ magis distentæ abbreviantur, & trahunt. Hinc partes canis posteriores, trunco arteriæ magnæ descendente ligato, protinus motu destituuntur, qui simul atque vinculum solvitur, redit. Hinc viri torosi obesis fortiores sunt, &c. Igitur motus musculorum per eorum ventrum inflationem, succo nervoso in fibrarum musculosarum interstitiis, vel in ipsis hisce fibris effervescente, aut exploso debitam, eandemque tantam, ut tendines contraherentur, & partes ad se adducerent, non accidit. Sed hæc sententia, præterquamquod hoc modo motus musculorum circularium contingere non potest, illico corruit, modo advertimus, in musculorum motu ventres eorum nullo modo inflatos conspici. Ad hæc fibrarum musculosarum interstitia, & istæ fibræ tam arctè partibus circumjacentibus circumdantur, ut, sive per succi nervosi effervescentiam, sive explosionem tantopere dilatari; nec inflari possint: magis, quoniam succus supradictus in musculorum ventribus non remoratur, sed protinus sanguinem versus refluit.

i Parva. *Cum succus nervosus nervos ingressus motum quemvis efficiat, & respiratio motus mixtus sit, eam quoque efficere debet. At quia hic succus deficit, ideo copia debito minori nervos respiratorios ingressus, respirationem parvam reddere debuit.*

k Angustia. *Aëre propter hanc respirationem non sufficienter admisso, angustia præcordiorum fuit oborta*, Ratioc. philos. Observ. 17. *sub tit.* Angustia.

l Cinnamomi. *Cujusmodi aromata, qui viscidum sanguinis solvant.* Rat. phil. Obs. 4. *sub tit.* Aromatis, *videre est.*

m Remedii. *Hoc autem remedium est* Sal volatile oleosum, *quod, quomodo sanguinem viscidum attenuet*. Rat. phil. Obs. 17. *sub tit.* Salis volatilis oleosi, *demonstravimus.*

n Sal. vol. oleos. *Quod* ex duabus partibus tinctura cinnamomi, macis, caryoph. &c. cum spiritu vini rectificato facta, & una parte spiritus salis armon. *a Pharmacopæo paratum erat.*

o Sp. salis armon. *Qui hunc in Pharmacopæorum officinis præscribere velit, certus sit, quod spatio ex alcali suo volatili nihil amiserit. Nam eum in iis aliquando vix aqua communis efficaciorem offendi. Quod si quis hunc spiritum fortiorem, ac diutiùs vires suas, id est, alcali suum volatile servantem desideret, loco salis tartari, vel alterius alcali fixi* calcem vivam, *& pro aqua* spiritum vini *adhibeat; conf.* Ratioc. phil. Observ. 4. *sub tit.* Dulcis.

p Subere.

p Subere. *Ut suber spiritui alcalino volatili, ita obturamentum cereum acido in phiola servando magis conducit: cera namque illo mollescit, sed indurescit acido.*

q Pingui. *Vide* Rat. Phil. Obs. praec. *sub tit.* Pingui.

F I N I S.

IN-

INDEX

CAUSARUM, ATQUE MORBORUM

Ex iis provenientium, quæ Obſervationibus hiſce continentur.

OPERUM OMNIUM FINIS.